Digitized by Google

ONALE
VITT. EMANUELE
12
0G
17

M

12. 30. G. 17

ANDREÆ CÆSALPINI ARETINI,

Quæſtionum Peripateticarum Lib. V.

AD SERENISS. FRANCISCVM MEDICEM Magnum Hetruriæ Ducem II.

Dæmonum inueſtigatio Peripatetica.

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. Archiepiſcopum Piſanum Petrum Iacobum Borbonium ex Marchionibus Sanctæ Mariæ.

Secunda editio.

Quæſtionum Medicarum Libri II.

De Medicament. facultatibus Lib. II.

AD SERENISS. FERDINANDVM MEDICEM Magnum Hetruriæ Ducem III.

Nunc primum editi.

Bibl. Sancti Scholar.

Pantaleonis Sciarum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

28

L A

VENETIIS, Apud Iuntas. M D XCIII.

CVM PRIVILEGIIS.

Ex Lib. Jo: Alph. Bor.

POTENTISSIMO, ET FOELICISSIMO FLORENTIAE PRINCIPI, Franciſco Medici,

ANDREAS CÆSALPINVS, S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ALEXANDER ille Macedo ob militum applauſum cognomine Magnus, cum doctrina mallet quàm copijs, atque opulentijs anteire, poſt deuictos Perſas, & multa ſibi parta imperia, Ariſtoteli ſuccenſuit, quòd abditiſſima, quibus ipſe ab eo fuerat eruditus, naturæ arcana promulgaſſet. Si enim illa omnibus communia eſſent facta, non eſſe in qua re

amplius ipſe cæteris præſtaret. Tu verò Princeps Opt. cum incredibili animi præſtantia, & iuſtitiæ ſplendore excellas, in populis regendis clariſsimum te toti orbi exemplar præbeas; quæ tamen ad publicam vtilitatem videntur conferre, non inuide ſupprimis, vt ſolus potiaris; ſed inſtar vberrimi fontis, aut ſummi boni cæteris largiſſimè impartiris. Illos benigniſſime amplexaris, qui lucubrationes ſuas in publicum proferunt: & vt ſinguli, in quo genere quiſque pollet, idem faciant, honeſtiſſime cohortaris. imitatus Coſmum patrem & auos, quorum opera literarum ſtudia multis annis collapſa in Italia fœliciſſimè reuixerunt. volumina multa & Græca & Latina reperta ſunt: & tandem ſcientiæ omnes adeo excultæ, vt nullo vnquam tempore magis floruiſſe videantur. Quo ergò conſilio & exemplo illectus, ne tanquam ſterile ſolum viderer quædam, dum in philoſophiæ ſtudijs verſor multos iam annos, à me elucubrata, pro ingenij mei tenuitate in hoc breue opuſculum collegi, quod nunc Ariſtotelis exemplo in vulgus profero. Sed contra tamen, quàm in ſuis profeſſum eſſe & feciſſe libris philoſophum illum conſtat, planè ſtudui atque elaboraui. Cum enim priſcis illis eſſet in more poſitum,

tum, ac iureiurando cautum, vt precioſiſſima quæque & ſcitu digniſſima tanquam arcana reconderent, & ſolum chariſſimis veluti per manus traderent: Alexandro reſpondiſſe Ariſtoteles fertur, illos eo artificio à ſe eſſe conſcriptos libros, vt intelligi ab ijs tantum poſſent, qui ipſum audiſſent. Quod quidem, ita fuiſſe, experimento poſterior ætas deprehendit. quando illius argutiſſima dicendi breuitas atque obſcuritas in tot ſententias, omnes diſtorſit, vt vix quæ clariſſima ſunt videre liceat. Quam rem optime Triſmegiſtus prædicere videbatur, cum ſapientiam in ſophiſticam & inanem garrulitatem degeneraturam aſſerebat. A me vero id contra laboratum fuit, vt ſi quid ex ampliſſimo philoſophiæ campo occurrit antea aut non animaduerſum, aut non litteris commendatum, id quantum fieri potuit clare atque aperte meo etiam graui periculo ſtudioſis omnibus liberaliſſime communicaretur. neque enim neſcius ſum, & inuidiæ & audaciæ interdum nomen ſecum afferre nouarum rerum profeſſionem. Cæterum, quæcunque de nobis futura ſit opinio, ſi lucubrationes has noſtras, quæ nunc in tuum apparent nomen Princeps ampliſs. hilari fronte ſuſceperis, futurum id quidem eſt, vt

ego ad maiora tuis auſpicijs contendam : nunc verò hunc ingenij noſtri fętum licèt tenuem bonis ac doctis viris gratum fore non diffidam. Vale, ex Piſana Academia. Cal. Iunijs, 1569.

HIERONYMI PANIGAROLAE
PATRICII MEDIOLANENSIS,

De Quæſtionum Peripateticarum libris
Andreæ Cæſalpini Doctiſſimi
Præceptoris ſui,

EPIGRAMMA.

Legerat hunc librum Natura authore relicto,
Cum ducto hæc dixit verba ſupercilio,
Aut egomet ſcripſi, datur aut Natura ſecunda,
Aut maior docuit; Verius iſtud erat.

TORIO EMANUELE

Aliud eiuſdem.

Maxima dum paruo Naturæ arcana libello
Explicat hic, maius innuit implicitum,
Quod nempe potuit rerum Natura creatrix
Condere boni vno Corpore quicquid habet.

QVAESTIONVM PERIPATETICARVM LIBRI PRIMI, QVAEST. VII.

PRÆFATIO.

QVo pacto intelligendum eſt ex vniuerſalibus in ſingularia procedendum eſſe. primo Phyſicorum textu 4. *Quæſt.* 1

Omnem definitionem abſolutam ad demonſtrationem reduci. *Quæſt.* 2.

Primam philoſophiam neque demonſtratione neque definitione vti. *Quæſt.* 3.

Scientias diſtingui ſecundum genera ſubſtantiæ. *Quæſtio* 4.

Subſtantiarum differentias ex alijs generibus prædicamentorum colligi. *Quæſt.* 5.

Vnicam differentiam etiam ſi vltima fuerit, non ſufficere ad ipſum quid eſt explicandum. *Quæſt.* 6.

Præter animata & animatorum partes nullas eſſe ſubſtantias. *Quæſt.* 7.

Libri Secundi. Quæſt. IX.

SVBSTANTIAE *genera ordinem habere ſecundum additionem & ablationem.* *Quæſt.* 1.

In ſubſtantijs ſeparatis à materia, quatenus ſeparatæ ſunt, non dari multitudinem. *Quæſt.* 2.

VITT. EMANUELE

Primum motorem neque finitam neque infinitam virtutem habere. Quæſt. 3.

Primum motorem intelligentiam eſſe ſpeculatiuam non actiuam. Quæſt. 4.

Cæli circulationem imitationem eſſe intelligentiæ. Quæſt. 5.

Unam tantum eſſe primam intelligentiam diuinam. Quæſt. 6.

Intelligentiam humanam multiplicari ſecundum hominum multitudinem. Quæſt. 7.

Mortalium ſolas hominum animas immortales eſſe. Quæſt. 8.

Infælicitatem eſſe omnia ſpeculari. Quæſt. 9.

Libri Tertij. Quæſt. IX.

NATVRAM *principium eſſe patiendi non agendi. Quæſt. 1.*

Non eſſe in loco niſi grauia & leuia. Quæſt. 2.

Omnia aſtra epicyclis ferri. Quæſt. 3.

Planetas non in ſphæris, ſed in circulis ferri. Quæſt. 4.

Lineam meridianam certius inueniri per magnetem, quam per rationem. Quæſt. 5.

Maris fluxum & refluxum, ex motu terræ non lunæ fieri. Quæſt. 6.

Motum Planetarum ſub Zodiaco non caliditatem gignere in hæc inferiora, ſed refrigerationem. Quæſt. 7.

Sub Zona torrida cælum dari perpetuo temperatiſſimum. Quæſt. 8.

Caliditatem ex cæli motu vſque ad centrum terræ peruenire, & frigiditatem vſque ad extremum ignis. Quæſt. 9.

Libri

Libri Quarti. Quæſt. VIII.

HVMIDITATEM & ſiccitatem à caliditate & frigiditate pendere. *Quæſt. 1.*
Omnem virtutis intenſionem remiſſionemque ex materiæ quantitate oriri. Quæſt. 2.
Materiam mixtorum eſſe terram & aquam tantum. Quæſt. 3.
Mixta ex æquali omnium elementorum virtute dari. Quæſt. 4.
Mixta vt mixta ſunt non moueri nec ſimplici motu nec mixto. Quæſt. 5.
In generatione & corruptione ſimplici, non tranſmutari omnia quæ in materia ſunt. Quæſt. 6.
Primam materiam corpus eſſe quatenus corpus. Quæſt. 7.
Generationem omnem eſſe in tempore. Quæſt. 8.

Libri Quinti. Quæſt. IX.

QVAECVNQVE *ex ſemine fiunt, eadem fieri poſſe ſine ſemine. Quæſt. 1.*
Fœminam non ſolum materiam tribuere conceptui, ſed & formam, marem autem formam ſolum. Quæſtio 2.
Cor non ſolum arteriarum, ſed & venarum ac neruorum eſſe principium. Quæſt. 3.
Reſpiratione non intromitti aliquem ſpiritum externum in cor. Quæſt. 4.
In reſpiratione principium vnde motus, eſſe cordis calorem. Quæſt. 5.

Senſum nulli parti ineſſe, quæ ſanguine careat in animalibus ſanguineis. *Quæſt. 6.*

Animam non in ſingulis corporis partibus eſſe, neque totam in toto, ſed totam in corde. *Quæſt. 7.*

Medium illuminatum non facere ad colorum viſionem, ſed potius impedire. *Quæſt. 8.*

Imaginationem à rebus externis moueri poſſe, non moto ſenſu. *Quæſt. 9.*

FINIS.

QVÆSTIONVM MEDICARVM LIBRI PRIMI,

QVAEST. XIII.

MEDICVM agere de omni corpore tangibili. *Quæſt. 1.*
Medicinæ artem in cauſarum ſalubrium inuentione conſiſtere. *Quæſt. 2.*
Remedia ubi natura non adiuuet, inutilia eſſe. *Quæſt. 3.*
Medicamentorum uires in ſecundis qualitatibus magis conſiſtere quam in primis. *Quæſt. 4.*
Febrem eſſe cõuerſionẽ natiuæ caliditatis in igneã. *Quæſt. 5.*
Ex triplici ſubſtantia calidi innati triplex genus febrium haberi. *Quæſt. 6.*
Ephemeram in ſanguine calefacto conſiſtere, non putrefacto. *Quæſt. 7.*
Febrium putridarum tria tantum genera eſſe ſimpliciſſima. *Quæſt. 8.*
In omnibus febribus ex ſola putredine ortis humores putreſcere in uenis. *Quæſt. 9.*
Tres tantum eſſe circuitus ſimplices febrium putridarum. *Quæſt. 10.*
Hecticarum tria genera unicam potius eſſe temporibus diſtinctam. *Quæſt. 11.*
Febrem peſtilentem ſola putredinis malignitate non loco differre à cæteris. *Quæſt. 12.*
Venena omnia exceſſu primarum qualitatum enecare. *Quæſt. 13.*

Libri

NON *omnem putredinem à prohibita ventilatione fieri. Quæſt. 1.*

Coctione corrigi & putredinem humorum, & reliqua vitia. Quæſt. 2.

Signa coctionis & cruditatis ex vrinis ſumpta non eadem in ſanis & humoribus putreſcentibus eſſe. Quæſt. 3.

Venæ ſectionem in principijs tantum conuenire, non in progreſſu. Quæſt. 4.

Venæ ſectionem in morbis particularibus ex venis particularibus requiri. Quæſt. 5.

Medicamenta purgantia in principijs morborum conuenire in febribus putridis. Quæſt. 6.

Aquæ frigidæ potum in vehementiſſimis tantum febribus conuenire. Quæſt. 7.

Tria eſſe genera victus ægrotantibus neceſſaria. Quæſt. 8.

Balneum aquæ dulcis etiam in morbis acutis aliquando conuenire. Quæſt. 9.

Ex arterijs per cerebrum diſcurrentibus neruos conſtitui oppoſiti lateris. Quæſt. 10.

In fracturis cranei ſi os non fuerit denudatum, non denudandum eſſe. Quæſt. 11.

Dolorem omnem à ſolutione continui fieri in parte ſentiente. Quæſt. 12.

Priuata omnino ſenſu tactus animalia nutriri non poſſe. Quæſt. 13.

Deliria non omnia affecto cerebro fieri. Quæſt. 14.

Somnum & vigiliam fieri calore natiuo intus & extra vergente. Quæſt. 15.

Conuulſionem, Diſtentionem, Palpitationem, Rigorem, & Tremorem ab eadem cauſa fieri. Quæſt. 16.

Suffocationem in Angina fieri magis oppletis venis iugularibus quam clauſo laryngis oſculo. Quæſt. 17.

Orthopneam in Angina non contingere ob gutturis clauſionem. Quæſt. 18.

In omni Angina deuorationem impediri, reſpirationem non in omni. Quæſt. 19.

Cordis palpitationem ob complicationem diuerſarum cauſarum fieri. Quæſt. 20.

Dyſenteriæ non conuenire venæ ſectionem, niſi vlcus inflammatum fuerit. Quæſt. 21.

Duo tantum lumbricorum genera in inteſtinis reperiri. Quæſt. 22.

Flatus refrigerantibus remedijs magis tolli, quam calefacientibus. Quæſt. 23.

Calculos in animalibus gigni non ob ſolam caliditatem aſſantem, ſed & frigiditatem coagulantem. Quæſt. 24.

FINIS.

INDEX EORVM,

QVAE NOTATV DIGNA

viſa ſunt in toto volumine.

IN QVO

P. Significat Peripateticas Quæſtiones.

D. Dæmonum inueſtigationem.

M. Medicas Quæſtiones.

F. Facultates Medicamentorum.

Primus autem numerus Librum ſignificat, ſecundus Caput.

A

ABLVTIO *medicamentorum quid præſtet.* 2. *F.* 15.
Abſterſio à quibus fiat. 1. *F.* 10.
Abſterſio quomodo à dulcibus quibuſdam fiat. 1. *F.* 5.
Abſtractio Mathematica, & cæterorum vniuerſalium quo pacto differant. 2. *P.* 1.
Accidentia non habent rationem finis. 4. *P.* 6.
Accidentia non inſunt materiæ ſed actu ſubſtantiæ. 3. *P.* 1.
Accidentia videntur migrare de ſubiecto in ſubiectum. 4. *P.* 6.
Accidentium origo eſt materia. 1. *P.* 7.
Accidens vni, alteri eſt ſubſtantia. 1. *P.* 5. & 4. *P.* 6.
Acceſſionum repetitiones vnde fiunt. 1. *M.* 10.
Acerba quas facultates habeant. 1. *F.* 6.
Acida quomodo fiant. 1. *F.* 7.
Acidorum natura & facultates. 1. *F.* 7.
Acrium natura & vires. 1. *F.* 2.
Actiua potentia non poteſt per ſe ineſſe in eo quod mouetur. 3. *P.* 1.
Actiuæ potentiæ quo pacto ſint naturæ. 3. *P.* 1.
Actionem omnẽ à prædominante fieri, quomodo intelligendũ. 4. *P.* 4. & 4. *P.* 5.
Actus materiæ qui demonſtrabiles, & qui indemonſtrabiles ſunt. 1. *P.* 2.
Actus primus materiæ eſt ad actum ſecundum. 3. *P.* 1.
Actus primus non idem eſt cum potentia ad actum ſecundum. 3. *P.* 1.
Aequalitas in mixtione datur. 4. *P.* 4.

Aer cuius gratia interpoſitus inter cœlum & terram. 3.*P*.4.
Aer & ignis facile iunguntur. 4.*P*.3.
Aer pertingit vſque ad Lunam. 3.*P*.9.
Aeris media regio frigida propter duas cauſas. 3.*P*.8.
Aeris media regio ſub zona torrida perpetuo temperata eſt. 3.*P*.8.
Aeternum & corruptibile idem numero ſunt. 2.*P*.8.
Aetherea regioni quartum genus viuentium aſſignatur. D. 2.
Affectiones propriæ non ſunt in eodem prædicamento cum ſubiecto. 1.*P*.4.
Africa cur ſemper aliquid noui afferat. 5.*P*.1.
Albedinis differentiæ. 1.*F*.19.
Alexiteria quæ ſint. 1.*M*.13.& 1.*F*.8.
Alimentum duplex auctiuum & nutritiuum. 5.*P*.2.& 3.
Alimentum nutritiuum in corde perficitur. 5.*P*.3.
Alteratio vtrum præcedat generationem. 5.*P*.9.
Alurgus color. 1.*F*.23.
Amari saporis vires. 1.*F*.10.
Amnios interna fœtus membrana à cute extima deriuatur. 5.*P*.2.
Analoga quædam ordinem habent, quædam non. 1.*P*.4.
Analogi quomodo vna eſt ſcientia. 1.*P*.4.
Analogum non idem eſt, quod ad vnum. 1.*P*.4.
Angina omnis deuorationem impedit, reſpirationem non omnis. 2.*M*.19.
Angina pituitoſa inter Apoplexias. 2.*M*.17.
Anginam ſuffocantem fieri clauſis venis iugularibus magis, quam laryngis oſculo. 2.*M*.17.
Anginoſi affectus quidam ſolum potum impediunt, non cibos, quidam èconuerſo. 2.*M*.19.
Anguillæ neque mares neque fœminæ ſunt. 5.*P*.1.
Anima hominis immortalis. 2.*P*.8.
Anima non habet partes loco diſtinctas. 5.*P*.3.& 7.
Anima ſentiens vna eſt in corde ſedens. 5.*P*.6.
Anima non in ſingulis corporis partibus eſt, neque tota in toto, ſed tota in corde. 5.*P*.7.
Animalium pars mouens, & mota non ſunt anima & corpus. 3.*P*.1.
Animalium motus ſecundum circulos fit. 4.*P*.5.
Animalium motus quo ingenio neruis perficiatur. 5.*P*.6.
Animalium genera tempore ſterileſcere. 5.*P*.1.
Animalium perfectorum ſpontiua generatio. 5.*P*.1.
Animalium quorundam ac plantarum partes abſciſſæ cur viuunt. 5.*P*.7.
Animalia ex ouo vnicolore orta, vnicum genus venarum habent. 5.*P*.2.
Animata ſola, eorumque partes ſunt ſubſtantiæ. 1.*P*.7.
Anodyna quæ ſunt. 2.*M*.12.& 1.*F*.11.
Appetens pendet ab appetibili. 2.*P*.1.&.

Appetitus naturalis ſequitur intelligentiam ſpeculatiuam. 2.P. 4.
Appetitus artificialium non eſt in ipſis rebus, ſed in artifice. 3.P.1.
Apum generatio. 5.P. 1.
Aqua & terra facile iunguntur. 4.P.3.
Aqua feruens citius coagulat plumbum liquatum, quam aer frigidus. 4.P.2.
Aqua peruadit vſque ad intima terræ. 3.P. 9.
Aquæ frigidæ potum in vehementiſſimis tantum febribus conuenire. 2. M. 7.
Aquæ frigidæ potus quomodo cæteris interponatur. 2.M.7.
Aquæ decoctio apud Hippocratem. 2.F.16.
Aquæ diſtillatæ minus putreſcunt. 2. F.18.
Aquæ diſtillatæ quæ retinent vires, quę non. 2.F.19.
Aquæ ardentis vires. 2.F.18.
Aquæ pondus cur non computatur in medicamentorum compoſitione. 2.F.9.
Aquæ vires infirmiſſimæ. 2.M.7.
Aqua impura poſt coctionem refrigerata, deponit craſſitiem. 2. M. 24. & 2. F. 15.
Aqua ſimplex cur dulcis vocatur. 1.F.8.
Aquæ ſimplicis facultates. 1.F. 8.
Aqua ſola tuto exhiberi poteſt in magna copia. 2.M.7.
A quibus color quis. 1. F. 24.
Argenti uiui temperamentum & ſublimatio. 2. F. 20.
Argento uiuo ſupernatant grauiſſima quęque excepto Auro. 4. P. 5.
Ariſtotelis defenſio aduerſus Medicos, de Semine. 5.P.2.
Ariſtotelis defenſio de ortu venarum ex corde. 5.P. 3.
Ariſtotelis defenſio de ortu neruorum. 5.P. 3.
Ariſtotelis defenſio de prima parte ſentiente. 5.P. 6.
Ariſt. locus exponitur 1.Phyſ.4. Quapropter ex vniuerſalibus. 1.P.1.
Ariſt. locus explicatur 1.Phyſ.23. De momentanea mutatione. 4.P.8.
Ariſt. locus exponitur 1.Phy.76. Si ex animali animal fiat. 4.P.6.
Ariſt. locus exponitur 2.Phyſ.26. Homo hominem generat & ſol. 5.P.1.
Ariſt. locus reſtitutus 2.cæ.42. de caliditate facta à lumine. 3.P.7.
Ariſt. locus explicatur 1.de Gen.an. 1.de ijs quæ ex putri fiunt. 5.P.1.
Ariſt. locus explicatur 1.de Gen.& cor. 23. Quod generatio ſit mutatio totius in totum. 4.P.6.
Ariſt. locus reſtitutus 2.de Gen.& cor.48. Quatenus potentia eſt magis calidum. 4.P. 4.
Ariſt. locus explicatur 10.Metaph.23. Quomodo medium magis & minus dicatur. 4.P. 4.
Ariſt. locus exponitur 2. de An.67. Color motiuus eſt perſpicui. 5.P.8.
Ariſt. locus reſtituitur in lib. de Diuin. per Inſom. de ijs qui circa Herculeas columnas & circa Boryſthenem prauident. 5.P. 9.

Ariſt. locus explicatur 3. de An. tex. 3. de intellectu poßibili. 2. P. 7.
Ariſt. locus 2. de Part. an. 3. quomodo calidum innatum diuinius ſit quam elementa. D. 2.
Ariſt. locus exponitur 30. Probl. 1. de ijs qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur. D. 8. & 21.
Ariſt. locus 3. de Anim. 61. non dari intellectum ſine ſenſu in non manſiuis. D. 8. & 15.
Armaturas inuictas reddi arte Magica. D. 11.
Arteria Aorta alimentum nutritiuum continet. 5. P. 3.
Artes quaſdam conſultatione uti. 1. M. 2.
Arſenicum quomodo paretur. 2. F. 2.
Aſcites ob vehementiam caloris fit ſanguinem adurentis. 2. M. 23.
Aſtrictio à quibus fiat. 1. F. 6.
Attractio vnde fiat. 1. M. 13.
Augem ferentes circuli ſuperflui ſunt. 3. P. 4.
Augmentatio cur non fiat ſecundum materiam. 4. P. 5.
Auripigmenti natura & ſublimatio. 2. F. 20.
Auſtera quas facultates habeant. 1. F. 6.

B

BALNEI *aquæ dulcis conſideratio. 2. M. 9.*
Balnei vtendi modus duplex. 2. M. 9.
Balneum de Aquis etiam Hecticis confert. 2. M. 9.
Baſiliſcus cur viſu, & ſibilo enecat. D. 17.
Bigio inter colores. 1. F. 24.
Boni ſummi participatio duobus modis fit. 2. P. 2.

C

CALCVLOS *fieri non ob ſolam caliditatem aſſantem, ſed & frigiditatem coagulantem. 2. M. 24.*
Calculus in veſica fellis croceus. 2. M. 24.
Calidi innati conſideratio. D. 2.
Caloris innati ſubſtantia in ſpiritibus, humoribus & ſolidis conſiſtit. 1. M. 6.
Calidum innatum pro varia humiditate, in quo eſt, vario modo agit. 1. M. 3.
Calidum innatum ſub calore extraneo potentia eſt, non actu. 4. P. 4.
Calor febrilis quomodo ſit contrarius innato. 1. M. 5.
Calor igneus & natiuus vtrum in eodem ſubiecto. 1. M. 5.
Caliditas à lumine quomodo fiat. 3. P. 7.
Caliditas raritatem ſequitur. 4. P. 1.
Caliditas ex cœli motu vſque ad centrum terra peruenit. 3. P. 9.

Canis

Canis rabidi morſus propter quid pauonem aquæ inducit. 2. *M.* 19.
Cantharis cur renes & veſicam exulcerat, intactis prioribus partib. 1. *M.* 13.
Carotides apprehenſæ ſoporem inducunt. 2. *M.* 15.
Cauſa vnde motus non omnis eſt efficiens. 3. *P.* 1.
Cœli eſſe ab altero pendet. 2. *P.* 1.
Cœlum ſi maius eſſet, velocius moueretur. 2. *P.* 3.
Cœlum ſi eſſet infinitum, infinita eſſet circulationis velocitas. 2. *P.* 5.
Cœlum quomodo ſit in loco. 3. *P.* 2.
Cœli circulatio imitatio eſt intelligentiæ. 2. *P.* 5.
Cœlum non ex Sphæris componi poſſe. 3. *P.* 4.
Cœlum à duplici virtute mouetur. 2. *P.* 3.
Cœlum totum continuum eſt corpus. 3. *P.* 4.
Cœli ſtatus non particulares effectus producit, ſed vniuerſales. D. 16.
Cœli ſtatu non præcognoſci fortunam. D. 16.
Centrum quomodo locus intelligatur grauium. 3. *P.* 2.
Cerebrum cur datum eſt. 5. *P.* 3.
Cerebri baſis cur indiuiſa. 2. *M.* 10.
Ceræ oleum diſtillatum. 2. *F.* 18.
Cæruleus color quis. 1. *F.* 23.
Chalcanthi oleum acerrimum quomodo paretur. 2. *F.* 19.
Charopus color quis. 1. *F.* 19.
Cinereus color quis. 1. *F.* 24.
Cinnabari factitium. 2. *F.* 20.
Cinnamomi aqua odoratiſſima. 2. *F.* 18.
Circuitus tres tantum eſſe febrium putridarum. 1. *M.* 10.
Circulus lacteus eſt veluti Lunæ macula. 3. *P.* 3.
Citrinus color quis. 1. *F.* 20.
Coagulatio aquæ à frigore tantum fit non adiuuante ſiccitate. 4. *P.* 1.
Coccineus color quis. 1. *F.* 21.
Coctione corrigi putredinem & reliqua humorum vitia. 2. *M.* 2.
Coctionis duo genera. 2. *M.* 2.
Color non eſt propria mixtorum affectio. 5. *P.* 8.
Color proprius quo pacto differat à refractione. 5. *P.* 8.
Color viridis æqualem habet proportionem extremorum. 4. *P.* 4.
Coloris natura explicatur. 5. *P.* 8.
Colores non ſunt in medio niſi in potentia. 5. *P.* 8.
Colorum differentiæ. 1. *F.* 18.
Colorum ſpecies cur ſeptem dicendæ ſunt. 1. *F.* 18.
Colorum generatio. 1. *F.* 26.
Colores quomodo temperamentum oſtendunt. 1. *F.* 27.
Commune nullum eſt ſubſtantia. 1. *P.* 1.
Componendi modus. 2. *F.* 22.

Congregatio à caliditate fit humectatione. 4. P. 1.
Conſultatio in arte Medicinæ propter quid fiat. 1. M. 2.
Contactus ſecundum aſpectum in quibuſdam. 3. P. 6. & 7.
Contemplatiuus habitus via eſt in fœlicitatem. 2. P. 9.
Contagium peſtilentiæ vnde fiat. 1. M. 12.
Contrarietas in ſubſtantia quo pacto accipienda. 1. P. 5. & 4. P. 8.
Contrariorum extrema quomodo materia ſunt medij. 4. P. 3.
Contrariorum mixtio in medicamentis artificioſa. 2. F. 4.
Conuulſio ab inanitione vel repletione quomodo fiat. 2. M. 16.
Conuulſio & Paralyſis quomodo ab eadem cauſa fiant. 2. M. 16.
Cor principium eſt omnium facultatum. 2. M. 15.
Cor principium eſt omnium venarum & neruorum. 5. P. 3.
Cor ſolum eſt actu calidum, quo cætera membra calida redduntur. 4. P. 4.
Cor in leuam partem cur in multis animalibus inclinat. 5. P. 6.
Cor lædunt refrigerantia. 5. P. 4.
Cur non poteſt pati putredinem permanente vita. 1. M. 7. & 12.
Cor piſcium ex tribus ventriculis conſtat. 5. P. 3.
Cordis caro temperatiſſima in hominibus. 5. P. 6.
Cordis palpitationem fieri complicatis diuerſis cauſis. 2. M. 20.
Cordis pulſus efferueſcentiam ſequitur, non facultatem vt putauit Galenus. 5. P. 4.
Corion membrana extima fœtus à venis ortum ducit. 5. P. 2.
Corpus non eſt vnum genus vniuocum ſed analogum. 1. P. 4.
Corpus vt corpus non fit. 4. P. 6. & 7.
Corpus vt corpus non eſt immobile. D. 20.
Corpus abſtractum à naturali ſubſtantia non eſt ſubſtantia. 4. P. 7.
Corpori vt corpus non ſubeſt altera materia. 4. P. 7.
Corpori vt corpus non inſunt in ratione termini, neque interminatio. 4. P. 7.
Cranei fracturas non denudandas, ſi os non fuerit denudatum. 2. M. 11.
Craneum fractum quid patiatur ab aere ambiente. 2. M. 11.
Craſſum & tenue ad magnum & paruum reducuntur. 4. P. 1.
Craſſum & tenue ſpecies ſunt humidi & ſicci. 4. P. 1.
Cruda differunt ab inconcoctis. 2. M. 2.
Cyceon genus ſorbitionis. 2. M. 8.
Cyclopes hominibus veſcentes. D. 13.

D

DECEPTIO *vnde oriatur.* D. 5.
Definitio quid præſtet. 1. P. 1.
Definitio eſt compoſitorum ſolum. 1. P. 3. & 6.
Definitio per additamentum quo diſcernatur à definitione formarum. 2. P. 1.

Definitiones formarum & compoſitorum non differunt ſecundum rem, ſed ſecundum modum. 1. *P.* 2. *&* 6.
Definitionem omnem completam ad demonſtrationem reduci. 1. *P.* 2.
Definitionis tres conditionis explicantur. 1. *P.* 6.
Deleteria in quibus conſiſtant. 1. *M.* 13. *&* 1. *F.* 11.
Deliria non omnia affecto cerebro fieri. 2. *M.* 14.
Dæmones concedit Ariſtoteles. D. 7.
Dæmones aureum genus hominum apud Heſiodum. D. 6.
Dæmonum genera. D. 7.
Dæmones mediam naturam habent inter mortalia & immortalia. D. 6.
Dæmones non eſſe, quibus rationibus probetur. D. 8.
Rationum ſolutio. D. 15.
Dæmonum commercia cum hominibus. D. 15.
Dæmon Socratis. D. 6.
Dæmones non habent corpus vllum proprium. D. 15.
Dæmones non agunt ſine medijs naturalibus. D. 15.
Dæmones ſentiunt ſine inſtrumentis. D. 19.
Dæmones quomodo coeant. D. 19.
Dæmones quomodo transferant corpora per aerem. D. 20.
Dæmonis nutu omne corpus moueri poteſt. D. 20.
Dæmonum multitudo quomodo in eodem eſſe poſſit. D. 21.
Dæmonum leges. D. 14.
Dæmonum famulatus. D. 13.
Dæmonum proprietates cur non tractauit Ariſt. D. 7.
Demonſtrationis medium & extrema ex eodem genere eſſe, quomodo intelligendum. 1. *P.* 4.
Dependentia à primo ente non ſupponit materiam. 4. *P.* 7.
Dies decretorij tribus ſeptimanis abſoluuntur. 1. *M.* 10.
Differentiæ non ſunt in genere ſubſtantiæ. 1. *P.* 5.
Differentiæ communes quo pacto propriæ fiant alicuius. 1. *P.* 2.
Differentia non includit genus. 1. *P.* 6.
Differentia vnica etiam ſi vltima fuerit, non ſufficit ad quid eſt explicandum. 1. *P.* 6.
Diluuia vnde fiant. 3. *P.* 6.
Dyſenteriæ quando venæ ſectio conuenit. 2. *M.* 21.
Dyſenteriæ Aqua Tettuccij præſentaneum remedium. 2. *M.* 21. *&* 1. *F.* 10.
Diuerſorum generum diuerſas eſſe ſpeciè differentias, quo pacto intelligendum. 1. *P.* 5.
Diuinatio per inſomnia vnde. 5. *P.* 9.
Diuinum in morbis apud Hippocratem, quid ſignificet. D. 1.
Diuiſio quid præſtet. 1. *P.* 1.

Diuiſio bimembris ad definitiones vituperatur. 1. *P.* 6.
Dolor non omnis ſymptoma. 2. *M.* 12.
Dolorem omnem à ſolutione continui fieri. 2. *M.* 12.
Doſis medicamentorum vnde ſumatur. 2. *F.* 9.
Doſis compoſiti medicamenti quo pacto inuenienda. 2. *F.* 14.
Dulcedinis facultates. 1. *F.* 5.
Dulcia quædam venenoſa propter quid. 1. *F.* 5.

E

EFFICIENS *vninocum in omni ſubſtantia quomodo accipiendum.* 5. *P.* 1.
Efficiente abiuncto motus perfici à ſe poteſt. 5. *P.* 1.
Electri oleum ad ſanguinis ſputum. 1. *F.* 6. & 2. *F.* 18.
Elementa nullibi ſincera. 3. *P.* 9.
Elementa omnia circularem cœli motum recipiunt. 3. *P.* 6.
Elementorum formæ Entelechiæ ſunt, non Energiæ. 4. *P.* 2.
Elementorum ſubſtantiæ ſunt qualitates primæ. 4. *P.* 1.
Elementorum qualitates in ſummo ſunt. 4. *P.* 2.
Elementorum virtutes æquales quo pacto conſiderentur. 4. *P.* 2.
Elementorum vltimæ differentiæ non ſunt primæ qualitates. 1. *P.* 7.
Elementorum tranſmutatio inter ſe non eſt alicuius gratia. 1. *P.* 7.
Emplaſtica quæ. 1. *F.* 8.
Entis vt ens eſt affectiones indemonſtrabiles ſunt. 1. *P.* 3.
Entis vt ens eſt affectiones non definiuntur. 1. *P.* 3.
Entis vt ens eſt ſpecies quæ ſint. 1. *P.* 3.
Entis affectiones nobilius ſciuntur quam per demonſtrationem. 1. *P.* 3.
Ens eſt primo cognitum. 1. *P.* 3.
Ens non definitur. 1. *P.* 3.
Ephemeram in ſanguine calefacto conſiſtere. 1. *M.* 7.
Epicycli & Eccentrici defenduntur. 3. *P.* 3.
Epilepſia & Apoplexia quomodo ab eadem cauſa fiant. 2. *M.* 16.
Erucarum generatio. 5. *P.* 1.
Euacuationes à natura tentatæ in principio morbi, cur malæ ſint. 2. *M.* 2.
Extenuatio ex Hectica cur difficilius inſtauretur, quàm quæ ex alijs febribus. 1. *M.* 11.

F

FACVLTATES *medicamentorum enumerantur.* 1. *F.* 1. & 2.
Facultates medicamentorum qua ratione inueniantur. 1. *F.* 1.
Facultates medicamentorum quomodo ab extrinſecis innoteſcant. 1. *F.* 3.

Facul-

Facultatum principia in animali quomodo vnum, quomodo plura. 2. *M.* 15.
Faſcinatio ex inſpectione quomodo fiat. D. 17.
Fatum verbis commutari. D. 16.
Febrem eſſe conuerſionem natiuæ caliditatis in igneam. 1. *M.* 5.
Febris eſſentia vtrum ſiccitatem includat. 1. *M.* 5.
Febris proprium ſubiectum eſt calidum innatum. 1. *M.* 5.
Febrium tria genera ex triplici ſubſtantia calidi innati. 1. *M.* 6.
Febrium putridarum tria tantum genera eſſe. 1. *M.* 8.
Febrem propriam ſanguinis non dari. 1. *M.* 8.
Febres putridas omnes ex bile fieri, quomodo accipiendum. 1. *M.* 8.
Febres ex ſola putredine ortæ omnes putredinem habent in uenis. 1. *M.* 9.
Febres per ſe & per accidens quomodo accipiantur. 1. *M.* 9.
Febres ex inflammatione cur continuæ. 1. *M.* 9.
Febrem peſtilentem ſola putredinis malignitate, non loco à cæteris differre. 1. *M.* 12.
Fœlicitas contemplatiua non eſt hominis compoſiti. 2. *P.* 9.
Fœlicitas in operatione intellectus agentis conſiſtit. 2. *P.* 9.
Fœlicitas perfecta non niſi poſt mortem contingit. 2. *P.* 9.
Fœmina non ſolum materiam tribuit conceptui, ſed & formam. 5. *P.* 2.
Fœtus formatio in ſemine quomodo fiat. 5. *P.* 2.
Finita virtus ſecundum robur non poteſt mouere infinito tempore. 2. *P.* 3.
Flatus refrigerantibus magis tolli quam calefacientibus. 2. *M.* 23.
Flatus differentiæ. 1. *F.* 2.
Flatus aliquando redundat ex arteriis. 2. *M.* 23.
Fluxus & refluxus cur fiat in mari tantum, non in cæteris aquis. 3. *P.* 6.
Forma principium quoque eſt patiendi. 3. *P.* 1.
Forma ſine medio ineſt materiæ. 1. *P.* 2.
Formę materiales omnes ſunt participationes immaterialis ſubſtantiæ. 2. *P.* 8.
Frigiditas ex cœli immobilitate fit. 3. *P.* 7.
Frigiditas pertingit vſque ad extremum ignis. 3. *P.* 9.
Frigidus potus cur ſecundum naturam appetitur. 2. *M.* 7.
Fulmina arte Magica excitata. D. 11.
Fuluus color quis. 1. *F.* 20.
Furtorum inuentio arte Magica. D. 12.
Fuſcus color quis. 1. *F.* 24.

G

GENERATIO *neque ex ente neque ex non ente fit per ſe.* 4. *P.* 6.
Generatio omnis in tempore eſt. 4. *P.* 8.
Generatio omnis alteratione fit aut motu locali. 4. *P.* 8.
Generatio & alteratio eadem ſubiecto ſunt. 4. *P.* 8.

Gene-

Generatio eorum, quæ tota ſimul fiunt, non eſt continua. 5. P. 4.
Genera ſubſtantiæ ordinem habent ſecundum additionẽ & ablationem. 2. P. 1.
Genus vt pars ſpeciei, & vt totum accipi poteſt. 1. P. 1.
Gigantum genus. 5. P. 1.
Gigantes ex Dæmonum concubitu natos. D. 14.
Giluus color quis. 1. F. 20. & 24.
Glaucus color quis. 1. F. 19.
Gradus qualitatum quomodo conſiderentur. 2. F. 5.
Graduum latitudo in vnaquaque contrarietate. 2. F. 5.
Graduum intenſio & remiſſio per additionem & ablationem vnius partis ſucceſſiue fit. 2. F. 7.
Grandines arte Magica concitatæ. D. 11.
Grauia & leuia non mouentur à ſe ipſis. 3. P. 1.
Graue & leue ad ſubſtantiam accedit magis, quã calidum & frigidum. 4. P. 1.
Grauitas & leuitas non ſunt ſubſtantiæ elementorum. 4. P. 1.
Grauitas & leuitas ſubſtantiæ ſunt mundi partium. 4. P. 1.
Grauitas & leuitas principia ſunt patiendi. 4. P. 1.
Grauitatis & leuitatis principia ſunt rarum & denſum. 4. P. 1.
Guſtus vtrum omnibus animalibus datus ſit. 5. P. 6.

H

HARENVLAE *quæ calculum ſignificant, quę non.* 2. M. 24.
Hectica quæ incipere poſſit. 1. M. 6.
Hecticam vnam eſſe temporibus diſtinctam. 1. M. 11.
Hecticas vtrum contingat putridus eſſe. 1. M. 7.
Hecticarum tempora non penes coctionem conſiderantur. 1. M. 11.
Hectici cur aliquando in Hydropem incidant. 1. M. 11.
Hepar ad coctionem ſanguinis quid præſtat. 5. P. 3.
Hepar inſitum calorem habet à corde. 1. M. 5.
Heroes ex Dæmonum concubitu. D. 14.
Hippocratis locus explicatur in Prognoſticis, Si quid diuinum ineſt in morbis. D. 1.
Hipp. locus explicatur: Ignis ab inferiori ventre magis. 1. M. 9.
Hipp. locus explicatur: Conuulſio à repletione vel inanitione fit. 2. M. 16.
Hipp. locus explicatur: de aqua decocta. 2. F. 16.
Hippocratis liber de Veteri medicina, legitimus. 1. M. 4.
Hoſtanes Magiam intulit in Græciam. D. 13.
Homo ſolus ex operatione compoſiti tranſit in operationem propriam. 2. P. 8.
Homo vere eſt mens ſeparata. 2. P. 8.
Homo temperamentum æquale habet. 4. P. 4.
Hominis anima immortalis et multiplicata ſecundũ numerũ hominum. 2. P. 8.

Homini

Homini præter participationem diuini, ineſt quoque res participata. 2.P.8.
Hominis temperies æqualis in corde eſt, non in cute. 4.P.4.
Hominum vita cur breuior noſtris temporibus. 5.P.1.
Humanæ ab Ariſtotele appellantur operationes coniunƈti. 2.P.8.
Humidum omne dilatari amplius & condenſari poteſt 4.P.1.
Humidum & ſiccum inſequuntur naturam corporis vt corpus. 4.P.1.
Humiditas & ſiccitas pendent à caliditate & frigiditate. 4.P.1.
Humida nulla in quarto gradu. 1.M.13.
Humiditas cum mediocri caliditate aut frigiditate qua ratione in ſummo dici poſſit. 1.F.8.
Humores vtrum ſubieƈtum ægritudinis eſſe poſſint. 1.M.6.
Humores vtrum ſint partes animalium. 1.M.6.

I

IDEAE 2.P.4.& 6.& 5.P.1.
Ideæ non ſunt ſubſtantiæ. 2.P.1.
Idem à multis ſimul recipi poteſt, ſi ſine materia fuerit. 2.P.7.
Ignis non eſt continuum corpus ſicut neque terra. 3.P.9.
Ignis eget aere, vt terra eget aqua. 3.P.9.
Ignis ſubterranei vnde. 3.P.9.
Ignis caliditas non perficit mixtionem. 4.P.3.
Ignis elementum quopaƈto accipiendum. 4.P.2.
Ignis à motu genitus non differt ſpecie ab alio igne. 5.P.1.
Ignis generatio ex motu ad vniuocum reducitur. 5.P.1.
Ignes quidam perennes. 5.P.2.
Ignis animalium cur non perennis eſt. 5.P.2.
Ignis non nutritur aere. 5.P.4.
Ignis cur in aere ſolum ardeat. 5.P.4.
Ignis animalis in humoribus viuere poteſt. 5.P.4.
Ignitæ impreſſiones fiunt in elemento ignis. 3.P.9.
Illuminatio fit in tempore. 4.P.8.
Imaginatio à rebus externis moueri poteſt non moto ſenſu. 5.P.9.
Imaginatio quando vera, quando falſa. 5.P.9.
Imaginatio proxime accedit ad naturam intelleƈtus. D.19.
Imaginationis efficacia in multis rebus. D.17.
Incubi rem veneream agentes. D.14.& 19.
Induƈtio quid præſtet. 1.P.1.
Infœlicitatem eſſe omnia ſpeculari. 2.P.9.
Inſeƈta cur diuiſa viuunt. 5.P.6.
Inſipidorum natura & facultates. 1.F.8.
Inſomnia Dæmonia cur diƈta ab Ariſtotele. D.7.& 19.

Intellectus triplici progreſſu perficitur. 1. P. 1.
Intellectus actiuus & factiuus appetentiam gignunt in agente non in patiente. 2. P. 4.
Intellectus humanus multiplicatur ſecũdum hominum multitudinem. 2. P. 7.
Intellectus humani ſubſtantia potentia eſt, non actus. 2. P. 7.
Intellectus materialis quomodo differat à materia. 2. P. 7.
Intellectus materialis non intelligit ſubſtantias ſeparatas. 2. P. 9.
Intellectus temperamentum ſequitur. 4. P. 4.
Intellectus poſſibilis quomodo immixtus. 2. P. 7.
Intellectus poſſibilis quomodo impaſſibilis. 2. P. 7.
Intellectus humanus medius eſt inter diuinum intellectum & ſenſum. 2. P. 9.
Intellectus noſtri imbecillitas non eſt propter diminutionem potentiæ. 2. P. 9.
Intellectio humana laborioſa eſt. 2. P. 9.
Intellectio eſt in tempore. 4. P. 8.
Intellectus agens pulchre lumini aſſimilatur. 2. P. 8. & 5. P. 8.
Intellectus agens menſura eſt omnium quatenus intelligibile eſt. 2. P. 8.
Intellectus agens quomodo pariat intellectionem. 2. P. 8.
Intellectus agentis neceſſitas in anima hominis. 2. P. 8.
Intellectus agens non eſt extrinſecus animæ. 2. P. 8.
Intellectus per ſe eſt ipſius optimi. 2. P. 6.
Intelligentia diuina circulationi eſt ſimilis. 2. P. 5.
Intelligentia, appetitus, & orbis in cælo vnum numero ſunt. 2. P. 4.
Intelligentia vbique præſens eſt ſine motu. 2. P. 5.
Intelligentiæ immobilitas non eſt priuatio, ſed operatio. 2. P. 5.
Intelligentia diuina vna tantum eſt. 2. P. 6.
Intelligentia diuina non eſt alterius receptiua. 2. P. 6.
Intelligentia diuina propter quid ſui appetentia omnia mouet. 2. P. 6.
Intelligentia vnius ſimul eſt multorum intelligentia. 2. P. 6.
Intelligentia vna alteram non intelligit. 2. P. 6.
Intelligibilia actu ſunt in ſenſibilibus. 2. P. 8.
Intenſio & remiſſio eſt propter materiæ quantitatem. 4. P. 2.
Inteſtinalis membrana fœtum voluens à Peritoneo oritur. 5. P. 2.
Inuulnerabiles ex arte Magica reddi. D. 11.
Iunonis horti. 3. P. 8.
Iuppiter quos habet circulos & motus. 3. P. 4.

L

LAc *aſininum calculoſis remedium.* 2. M. 24.
Lac morboſum calculos gignit. 2. M. 24.
Lazurion inter colores. 1. F. 23.
Læſtrigones hominibus veſcentes. D. 13.

Ligamenta

Ligamenta & tendines à finibus Aortæ naſcuntur. 5. P. 3.
Locum ſpacium eſſe, quæ repugnant. 3. P. 2.
Locus analogicè dicitur de cœlo, & grauibus & leuibus. 3. P. 2.
Locus propriè eſt ſolum grauium & leuium. 3. P. 2.
Locus totius, & partium quomodo conſideretur. 3. P. 2.
Locus circulationis eſt centrum. 3. P. 2.
Lumen quo pacto calefaciat. 3. P. 7.
Lumen quomodo aerem atterit. 3. P. 7.
Luminis ſimilitudo cum intellectu agente. 5. P. 8.
Lumbricorum duo tantum genera eſſe in inteſtinis. 2. M. 22.
Lumbricos repertos, qui abdomen perforauerint & exierint. 2. M. 22.
Lunæ macula vnde. 3. P. 3.
Lunæ motus cur tardiſſimus & velociſſimus ſcribitur ab Ariſtotele. 3. P. 7.
Lunæ circuli & motus. 3. P. 4.
Luporum oculi cur raucedinem inducant. D. 17.
Luteus color quis. 1. F. 20.

M

MAGIA *per manus traditur, non per doctrinam. D. 14.*
Magia neque naturalis eſt, neque in noſtra poteſtate. D. 18.
Magia è Medicina nata. D. 22.
Magiæ duplex factio. D. 23.
Magiam omnem antiqui rem ſacram & diuinam exiſtimabant. D. 23.
Magiæ inuentor Zoroaſtres. D. 13.
Magiæ principia. D. 13.
Magiæ vim non conſiſtere in carminibus, aliſq; rebus, ſed in commercio Dæmonum. D. 13.
Magicas artes in imaginatione ſitas eſſe, vt quidam putant falſum eſt. D. 17.
Magi tenentur in concionem publicam conuenire. D. 14.
Magnes ferrum trahit non moto medio. 3. P. 6. & 5. P. 9.
Magnes propter quid Polos reſpiciat. 3. P. 5.
Magnetis vna facies ad Aquilonem vertitur, altera ad Auſtrum. 3. P. 5.
Magnetis vis etiam in ferro eſt. 1. M. 13.
Magnum & paruum inter principia reponuntur. 4. P. 1.
Maleficiorum hiſtoriæ variæ. D. 10.
Maleficia in iumenta. D. 11.
Maleficiorum inſtrumenta, pleraque ſigna ſunt. D. 17.
Maleficiorum inſtrumenta aliquando per vomitum reddita. D. 17.
Maleficiorum inſtrumenta veneficas vires continent ex rebus naturalibus collectas. D. 18.
Maleficiorum remedia. D. 23. & 24.

Maraſmus

Maraſmus qui dicatur. 1. *M.* 11.
Maris fluxus & refluxus ex motu terræ oritur, non lunæ. 3. *P.* 6.
Maria breuiora ſæpius æſtu agitantur. 3. *P.* 6.
Maris æſtuatio vnde. 3. *P.* 9.
Maris ſalſedo vnde. 3. *P.* 9.
Maris tranquillitas vt plurimum ſerenitati coniuncta eſt. 3. *P.* 9.
Mars quot habet circulos & motus. 3. *P.* 4.
Mas formam tantum tribuit conceptui. 5. *P.* 2.
Materia conſideratur & vt ſubiectum actu, & vt potentia ens. 1. *P.* 2.
Materia non omnis eſt ſubſtantia. 1. *P.* 7.
Materia cauſa eſt multitudinis. 2. *P.* 2.
Materiæ omni actus ſubeſt, quatenus ſubiectum eſt. 4. *P.* 6.
Materia altera eſt à potentia. 4. *P.* 7.
Materia potentiam includit in ratione. 4. *P.* 7.
Materia cæli & inferiorũ eadẽ eſt ratione actus, diuerſa ratione potẽtiæ. 4. *P.* 7
Materia non componitur ex actu & potentia. 4. *P.* 7.
Materia prima corpus eſt quatenus corpus. 4. *P.* 7.
Materia prima eſt hoc aliquid & ſubſtantia. 4. *P.* 7.
Materia prima pendet ab actu primo. 4. *P.* 7.
Materia prima vt ſubiectum notiſſima eſt: vt potentia res ignota. 4. *P.* 7.
Mathematicæ ſcientiæ vtrum ſint Philoſophiæ partes. 1. *P.* 4.
Mathematicæ magnitudines non ſunt in loco. 3. *P.* 2
Medicamentorum facultates quõ ad actum reducantur à calore innato. 1. *M.* 3.
Medicamentorum vires in ſecundis qualitatibus magis conſiſtere, quam in primis. 1. *M.* 4.
Medicamentorum facultates quomodo in ſaporibus conſiſtant. 1. *M.* 4.
Medicamentorum facultates quæ primæ, ſecundæ, tertiæ, & quartæ dicantur. 1. *M.* 4. & 1. *F.* 1. & 2.
Medicamenta purgantia in principijs conuenire. 2. *M.* 6.
Medicamentorum compoſitio & præparatio artẽ admirabilem reddũt. 2. *F.* 1.
Medicamentorum compoſitio vtrum neceſſaria ſit. 2. *F.* 2.
Medicamentorum compoſitio & mixtio quomodo differant. 2. *F.* 3.
Medicamentorum compoſitio ad plures affectus quæ vtilis, quæ inutilis ſit. 2. *F.* 3.
Medicamentorum contrariorum mixtio artificioſa. 2. *F.* 4.
Medicamenti compoſiti baſis quæ dicatur. 2. *F.* 4.
Medicamentorum refractio varia. 2. *F.* 5.
Medicamenta multa ſi miſceantur, quomodo temperamentum colligendum. 2. *F.* 13.
Medicamentorum præparatio quot modis fiat. 2. *F.* 15.
Medicamentorum compoſitorum duo genera. 2. *F.* 22.
Medicamentorum doſes. 2. *F.* 9. & 14.

Medi-

Medicamentorum
- *Ablutio.* 2. *F.* 15.
- *Solutio.* 2. *F.* 15.
- *Infuſio.* 2. *F.* 15.
- *Decoctio.* 2. *F.* 16.
- *Diſtillatio.* 2. *F.* 18.
- *Sublimatio.* 2. *F.* 18.
- *Vſtio.* 2. *F.* 21.
- *Nutritio.* 2. *F.* 22.

Medicinæ labefactatio ex Magicis remedijs. D. 12. & 24.
Medicinæ & Philoſophiæ limites. 1. *M.* 1.
Medicinæ artem in cauſarum ſalubrium inuentione conſiſtere. 1. *M.* 2.
Medicinæ partem Theoricam eſſe, & quandam Practicam. 1. *M.* 2.
Medicinam Theoricam propriè ſcientiam eſſe. 1. *M.* 2.
Medicum agere de omni corpore tangibili. 1. *M.* 1.
Medium illuminatum non facere ad colorum viſionem. 5. *P.* 8.
Melancholici cur præuident. 5. *P.* 9.
Melinus color quis. 1. *F.* 20.
Membranæ fœtum voluentes vnde ortum ducant. 5. *P.* 2.
Membranarum vſus, quæ oſtijs venarum appoſitæ ſunt in corde. 5. *P.* 4.
Mentis læſio ex vitio corporis quomodo fiat. D. 6.
Mentem lædi ex turbulentia ſpiritus. 2. *M.* 14.
Mercurius proprium circulum habet in Sole. 3. *P.* 4.
Meridianæ inuentio per Magnetem certior eſt. 3. *P.* 5.
Meridiana Aſtrologorum redarguitur. 3. *P.* 5.
Metalla cur grauiora ſunt lapidibus. 4. *P.* 5.
Metamorphoſes præſtigia eſſe. D. 21.
Meteorologia non conſiderat cauſam finalem. 1. *P.* 7.
Miſta inanimata non ſunt ſubſtantiæ. 1. *P.* 7.
Miſto ſine humore non fit. 2. *F.* 22.
Miſtorum materia eſt terra & aqua tantum. 4. *P.* 3.
Miſtio à calido fit, non à frigido. 4. *P.* 3.
Miſtio ex æquali omnium elementorum virtute datur. 4. *P.* 4.
Miſtio non fit ſecundum materiam. 4. *P.* 5.
Miſtum æquale diuerſum in diuerſis locis prædominans habet. 4. *P.* 4.
Miſta vt miſta ſunt, nec ſimplici nec miſto motu mouentur. 4. *P.* 5.
Miſtio non fit ex motibus contrarijs. 4. *P.* 5.
Miſtorum proprietates vnde ortum ducant. 4. *P.* 5.
Mola quomodo gignatur. 5. *P.* 2.
Morbi ex maleficio ſigna. D. 22.
Morales habitus ad fœlicitatem quomodo faciunt. 2. *P.* 9.
Mortalium ſolas hominum animas immortales eſſe. 2. *P.* 8.
Motorem primum neque finitam neque infinitam virtutem habere. 2. *P.* 3.

Moto-

Motorem primum intelligentiam eſſe ſpeculatiuam non actiuam. 2. *P*. 4.
Motus omnes præter naturam in animalibus à ſpiritu fieri. 2. *M*. 16.
Motus totius & partium quomodo conſideretur. 3. *P*. 2.
Motus ſecundum accidens neque eſt ſecūdum naturam, neque præter naturam. 3. *P*. 4. & 3. *P*. 6.
Motum planetarū ſub zodiaco nō caliditatem ſed refrigerationē facere. 3. *P*. 7.
Motus miſtus ſolis organicis ineſt ſecundum naturam. 4. *P*. 5.
Motus ſimplex omnibus corporibus ineſt ſeu ſimplicibus ſeu miſtis. 4. *P*. 5.
Motus vtrum quieti ſit continuus. 4. *P*. 8.
Motus in non tempore videtur admitti in lapidis ſciſſione. 4. *P*. 8.
Motus quidam communicari poſſunt ſine vlla medij affectione. 5. *P*. 9.
Mouens non eſt neceſſe comitari rem motam vſque in finem. 3. *P*. 1.
Multitudo omnis à materia. 2. *P*. 2.
Multitudo rationis quomodo ſit in ſubſtantijs ſeparatis. 2. *P*. 2.
Multitudo ab vnitate pendet. 2. *P*. 6.
Mutatio tota ſimul in tempore eſt. 4. *P*. 8.
Mutatio tota ſimul quo pacto partes habeat in termino à quo, & ad quem. 4. *P*. 2.
Mutatio in contradictione reducitur ad mutationem in contrarijs. 4. *P*. 8.

N

NATVRA *analoga eſt.* 1. *P*. 4.
Natura Dæmonia apud Ariſtotelem quid ſignificet. D. 7.
Natura prius dicitur de corruptibilibus quam de æternis. 1. *P*. 4. & 3. *P*. 1.
Natura principium eſt patiendi non agendi. 3. *P*. 1.
Naturam principium eſſe actiuum, quæ videntur probare. 3. *P*. 1.
Naturæ definitio explicatur. 3. *P*. 1.
Naturales potentiæ ad alienos vſus tranſlatæ per accidens ſunt. 3. *P*. 1.
Naturæ morborum medicatrices, quomodo intelligendum. 1. *M*. 3.
Nebula ex quo conſtat. 3. *P*. 9.
Nerui ex corde oriuntur. 5. *P*. 3.
Neruorum ſocietas cum venis propter quid. 5. *P*. 6.
Neruorum alij ad ſenſum alij ad motum faciunt. 5. *P*. 6.
Neruorum ortus ex venis explicatur. 5. *P*. 3.
Neruos ex arterijs oppoſiti lateris oriri. 2. *M*. 10.
Neruos viſorios ſe ſe interſecare. 2. *M*. 10.
Neruorum incontinentia vnde fiat. 2. *M*. 16.
Neruorum incontinentiam ſedat cantus. 1. *F*. 16.
Nigri coloris differentiæ. 1. *F*. 25.
Nigredo eorum eſt quæ corrumpuntur. 1. *F*. 26.
Nigra corpora nulla perſpicua. 5. *P*. 8.

Nili alluuiones vnde oriantur. 3.*P*.8.
Nitroſi ſaporis vires. 1.*F*.10.
Nonana febris vnde fiat. 1.*M*.10.
Nutrimentum duplex. 5. *P*. 2. & 3.
Nutritio quomodo fiat. 5. *P*. 4.
Nutritio non fit à proprio partium temperamento, ſed à cordis calore. 5.*P*.6.
Nutritionem in animalibus non fieri ſine ſenſu tactus. 2.*M*.13.
Nutritio in plantis quomodo fiat. 2. *M*.13.

O

OBSESSORVM *ſigna*. *D*.22.
Obſtetricis Magæ hiſtoria. *D*.14.
Octauæ ſphæræ motus trepidationis refellitur. 3.*P*.4.
Octauæ ſphęræ variatio ſeruatur ſine aliarum ſphęrarum additione. 3.*P*.4.
Oculus quomodo recipiat quantitates terminatas ſine deceptione. 5.*P*.7.
Oculi corpus perſpicuum obſcuro loco contineri oportuit. 5.*P*.8.
Oculi lumen proprium in qua parte eſt. 5.*P*. 8.
Odoris natura. 1. *F*. 12.
Odores frigidi qui. 1.*F*.12.
Odorum differentię. 1.*F*.13.
Odorum generatio. 1.*F*.13.
Odorum ſuauium vires. 1.*F*. 14.
Odores vtrum nutriant. 1.*F*. 14.
Odorum inſuauium natura & vires. 1.*F*.15.
Oleum aerem habet in mictione dominantem. 4. *P*. 3.
Olei extractio. 2.*F*. 15.
Olei diſtillatio. 2.*F*. 18.
Oleum quomodo vires medicamentorum recipiat. 2. *F*. 22.
Optimum eſt per ſe intelligibile cuius intellectione reliqua intelliguntur. 2. *P*. 6.
Ordo non eſt in ſubſtantia. 1.*P*.6.
Ordo non eſt in partibus definitionis. 1.*P*. 6.
Ordo vniuerſi eſt, vt omnia ad vnum quiddam, non vt inuicem ordinentur. 2. *P*. 9.
Ordo naturę ordinem cœleſtem imitatur. 1. *M*. 10.
Orthopneam in Angina non fieri ob gutturis clauſionem. 2.*M*.18.
Oſtreæ ex putredine tantum oriuntur. 5.*P*.1.
Oua ſubuentanea animam habent vegetatiuam ſolum. 5.*P*.2.
Oui album prima eſt conceptus materia, luteum autem adueniens nutrimentum. 5. *P*. 2.

P

PALLIDVS *color quis.* 1.F. 20.
Paradiſus terreſtris in qua terræ parte ſit. 3.P.8.
Participatio ſummi boni duobus modis fit. 2.P. 2.
Partes albæ vtrum inſtaurentur. 1.M. 11.
Partes organicæ ſolæ non reſtituuntur. 1.M. 11.
Partes propter quid continuè ſicciores fiunt. 1.M. 11.
Paſsiua potentia non omnis eſt principium motus. 3.P. 1.
Paſſiuæ qualitates per ſe non accedunt ad quartum gradum. 1.F. 6.
Pauonazzo inter colores. 1.F. 23.
Periodi vnde naſcantur. 1. M. 10.
Periodorum complicationes vnde fiant. 1. M. 10.
Perſpicuum interminatum non videtur. 5. P. 8.
Peſtilentia quo differat à venenis. 1.M. 12.
Peſtilentia cur contagioſa. 1.M. 12.
Piper cur non deleterium. 1.M. 13.
Pituita prima eſt materia animalium. 5.P. 2.
Planetas in circulis non in ſphęris ferri. 3. P. 4.
Planetarum motum ſub zodiaco non caliditatem, ſed refrigerationem facere. 3. P. 7.
Planetæ cur non ſcintillent. 3. P. 3.
Pleadum ſtellæ cur tripudijs colludere videntur. 3. P. 3.
Pleuritis in declinatione eſt, cum ſputa procedunt. 2. M. 8.
Pluuiæ perpetuę ſub ſole perpendiculari fiunt. 3. P. 8.
Pluuiarum materia ex mari potiſſimum aſcendit. 3. P. 9.
Pluuiæ arte Magica accerſitæ. D. 11.
Pondere menſurari materiam. 2.F. 9.
Ponderibus æqualibus quod temperamentum conſurgat. 2.F. 10. & 11.
Ponderibus inęqualibus quod temperamentum fiat. 2.F. 12.
Porphyrij arbor in ſubſtantia anſam errandi prębuit. 1.P. 6.
Potentia non componitur cum actu. 4.P. 7.
Prædicamentorum genera in Logica cõſiderantur, nõ in ſcientijs. 1.P. 4. & 5.
Præſtigia quomodo fiant. D. 21.
Præſtigiorum hiſtoriæ quædam. D. 9.
Præcipitatum quomodo paretur. 2.F. 21.
Primam Philoſophiam neque demonſtratione neque definitione vti. 1.P. 3.
Prima Philoſophia quo pacto eſt vniuerſalis ſcientia. 1.P. 4.
Primæ qualitates quo pacto dicendæ ſunt elementorum formæ. 1.P. 7. & 4. P. 1. & 2.
Primum motorem neque finitam neque infinitam virtutem habere. 2.P. 3.

Primum

Primum motorem intelligentiam eſſe ſpeculatiuam non actiuam. 2. *P.* 4.
Principiorum contrarietas vera eſt contrarietas. 1. *P.* 5.
Principia rerum naturalium ab ijs quæ ſupra naturam ſunt, pendere. D. 4.
Principium animalium quomodo vnum, quomodo plura. 1. *M.* 5.
Priuatio nullam ſpeciem conſtituit. 1. *P.* 6.
Priuatio vt priuatio non agit. 2. *F.* 12.
Priuatio quomodo principium ſit æternum. D. 4.
Proiectorum motus quomodo fiat. 4. *P.* 1.
Proportio ordinata iucunda eſt in qualibet mixtione. 1. *F.* 18.
Proportio contrariorum quomodo gradus variet. 2. *F.* 5.
Proportio contrariorum in ſingulis gradibus. 2. *F.* 6.
Proportio conſideranda in oppoſitione ſecundum habitum, & priuationem. 2. *F.* 12.
Proprietates occultæ quæ ſint. 1. *M.* 13.
Pulmonis artificium medicis non viſum. 5. *P.* 4.
Pulmonis arteria ſimilis eſt cæteris arterijs. 5. *P.* 4.
Pulmonis vena ſimilis eſt cæteris venis. 5. *P.* 4.
Pulmonis motus incipit à Corde non à Thorace. 5. *P.* 4.
Pulſus cordis & Arteriarum non fit à facultates vt putauit Galenus. 5. *P.* 4.
Pulſus facit ad nutrimenti diſtributionem. 5. *P.* 4.
Pulſus contractio vltima eſt in moribundis. 5. *P.* 4.
Putredo inſequitur corruptionem. 1. *P.* 7.
Putredinem in uenis meſeraicis maxima ex parte febres putridas gignere. 1. *M.* 9.
Putredo peſtilens quomodo differat ab alia putredine. 1. *M.* 12.
Putredo non omnis à probibita ventilatione fit. 2. *M.* 1.
Putredo quid indicet. 2. *M.* 2.
Putrefacientia quot modis agunt. 1. *M.* 13.
Pus quo differat à ſedimento vrinarum. 2. *M.* 3.
Puniceus color quis. 1. *F.* 21.
Purpureus color quis. 1. *F.* 21. & 23.

Q

QVALITATES *primæ differentiæ ſunt elementorum cõſtitutiuæ.* 1. *P.* 5.
Qualitates ſecundum totam ſubſtantiam vnde oriantur. 1. *F.* 4.
Qualitatum exceſſus ſecundum gradum, & ſecundum quantitatem quomodo conſiderentur. 2. *F.* 5.
Qualitatum auctio & diminutio ſecundum quantitatem. 2. *F.* 8.
Quantitas quomodo ſubſtantia eſt. 4. *P.* 7.
Quartana duplex aliquando Typum habet ſimplicis Tertianæ. 1. *M.* 10.
Quintana febris quomodo oriatur. 1. *M.* 10.

R

RARVM & denſum priora oſtenduntur calido & frigido. 4.P.1.
Rarum & denſum cur non ſunt de ſubſtantia elementorum. 4.P.1.
Rarum & denſum ad magnitudinem & paruitatem reducitur. 4.P.1.
Remedia vbi natura non adiuuat, inutilia eſſe. 1.M.3.
Remedia multa ex Magicis in Medicinam tranſlata. D.24.
Renitentia in motu recto duobus modis. 3.P.4.
Renitentia in motu circulari vnico modo. 3.P.4.
Renitentia intrinſeca nulla eſt in motu naturali. 3.P.4.
Reſpiratio cur data. 5.P.4.
Reſpiratione non intromittitur aliquis ſpiritus externus in cor. 5.P.4.
Reſpiratio non refrigerat cor. 5.P.4.
Reſpirationis principium ex corde. 5.P.5.
Reuulſio cur eligitur ſecundum ſurſum & deorſum, non ſecundum dxetrum & ſiniſtrum. 2.M.5.
Rigor ex ſuperiori ventre magis. 1.M.9.
Roſmarini flores quomodo diſtillentur ad viſum clarificandum. 2.F.19.
Rubeus color quis. 1.F.21.
Ruffus color quis. 1.F.20.
Rutilus color quis. 1.F.20.

S

SALSVS ſapor in nullis plantis reperitur ſecundum naturam. 1.F.10.
Salſorum vires. 1.F.10.
Sanatio arte Magica. D.12.
Sanguis in venis coquitur. 5.P.3.
Sanguinis miſſio in febribus quid faciat. 5.P.4.& 2.M.4.
Sanguis non putreſcit, niſi ratione excrementorum. 1.M.8.
Sanguis per vlteriorem coctionem dealbatur. 2.M.3.
Sapientia qua methodo vtitur. 1.P.3.
Sapor omnis inſignis lædit. 1.M.4.
Saporum ſpecies quot. 1.M.4.
Saporum ſingulorum facultates. 1.M.4.
Sapores propinquiſſimi ſunt temperamentis. 1.F.4.
Saporis dulcis facultates. 2.F.5.
Sapores calidi qui & quomodo differant. 1.F.9.
Saturni circuli. 3.P.4.
Scientias diſtingui ſecundum genera ſubſtantiæ. 1.P.4.
Scientia diuinorum in intellectu materiali recipitur. 2.P.9.

Scientia

Scientia nulla eſſet, niſi in anima ineſſet ſubſtantia immaterialis & aterna. 2. P. 8.
Semen maris non coagulatur neque à calido neque à frigido. 5. P. 2.
Semen mulieris quid præſtet. 5. P. 2.
Semen potentia animatum eſt. 5. P. 2.
Semen inſtrumentum eſt generationis. 5. P. 2.
Semina plantarum conceptus ſunt, vt oua perfecta. 5. P. 2.
Semitertiana quomodo generetur. 1. M. 10.
Senſus agens vtrum ſit introducendus vt intellectus agens. 2. P. 8.
Senſus eſt per participationem immaterialis ſubſtantiæ. 2. P. 8.
Senſum nulli parti exangui ineſſe in animalibus ſanguineis. 5. P. 6.
Senſum in cerebro eſſe, quæ videantur probare. 5. P. 6.
Senſus duplici genere partium eget. 5. P. 6.
Senſus communis non eſt alius à ſingulis. 5. P. 7.
Senſus indiuiſibiliter diuiſibilia recipit. 5. P. 7.
Senſus tactus vnius contrarietatis propriè eſt. 4. P. 1.
Senſus aliqua ex parte ineſt in oſſibus, & alijs partibus non ſentientibus. 2. M. 13.
Senſus quomodo ineſt in cerebri membranis, cũ neruos non recipiant. 2. M. 13.
Septana vnde fiat. 1. M. 10.
Septum tranſuerſum quomodo inſpirationem facit. 2. M. 18.
Sicca propter quid humorem trahunt. 4. P. 3.
Siccitas ſequitur extrema raritatis & denſitatis. 4. P. 1.
Siccitas in quarto gradu non datur ſine auxilio caliditatis. 1. M. 13.
Similium compoſitio in medicamentis quomodo admittitur. 2. F. 3.
Similitudo quomodo vires magni momenti oſtendit. 1. F. 16.
Solis circuli & motus. 3. P. 4.
Sol cur vertigine moueri videtur. 3. P. 3.
Soli cur Epicyclus datus eſt. 3. P. 7.
Solis vmbræ cur tremulæ. 3. P. 3.
Solem obliquari à medio Zodiaci. 3. P. 3.
Sol perpendicularis minus calefacit. 3. P. 8.
Somnum & vigiliam fieri calore natiuo intus & extra vergente. 2. M. 15.
Somniorum diuinatio vnde. 5. P. 9.
Somnia matutina cur veriora. 5. P. 9.
Species eſſe ſicut numeros, quomodo intelligendum. 1. P. 6.
Speciei æternitas non pendet ex ſingularibus. 5. P. 1.
Spiritus commune animæ inſtrumentum. 5. P. 1.
Spiritus animalis in ſemine idem numero tranſit in fœtum. 5. P. 2.
Spiritus quomodo author eſt motus conuulſiui. 2. M. 16.
Spumoſa vrina quid ſignificet. 2. M. 23.
Stacte liquorem diſtillatum ſignificat. 2. F. 18.

Stellæ

Stellæ omnes Epicyclis circumuoluuntur. 3. P. 3.
Stellæ cur ſcintillent. 3. P. 3.
Striges vnde dicantur. D. 13.
Sublimatio in quibus fiat, & quo modo. 2. F. 20.
Subiectum differt à materia. 4. P. 7.
Subiectum in ſui ratione actum includit. 4. P. 7.
Subſtantia non eſt vnum genus vniuocum. 1. P. 4.
Subſtantiæ tria genera analoga. 1. P. 4.
Subſtantiarum differentias ex alijs prædicamentis colligi. 1. P. 5.
Subſtantia opere determinatur. 1. P. 7.
Subſtantia vni, alteri eſt accidens. 1. P. 7.
Subſtantiæ genera ordinem habent ſecundum additionē & ablationem. 2. P. 1.
Subſtantiæ ſeparatæ à materia quomodo multitudinem recipiunt quomodo non. 2. P. 2.
Subſtantiæ ratio non à cœlo ducitur, ſed à primo mouente. 5. P. 1.
Subſtantiæ abſtractæ ſine motu præſentes ſunt, vbicūque opus eſt. D. 3. & 20.
Sulphuris ortus. 3. P. 9.
Sulphuris oleum quomodo paretur. 2. F. 20.
Succorum extractio. 2. F. 15.
Succorum clarificatio. 2. F. 15.
Succorum incraſſatio. 2. F. 17.
Syruppi qua ratione conficiantur. 2. F. 17.
Synocha non inſequitur naturam humoris, ſed loci. 1. M. 8.
Sympathiæ & Antipathiæ vnde ortum ducant. 1. M. 13.

T

TABIDA *febris quæ.* 1. M. 11.
Tabes cur incurabilis. 1. M. 11.
Taciturnitas in tormentiſ ex Magia. D. 13.
Tactus & guſtus inſtrumentum non caro nec lingua. 5. P. 6.
Tanè inter colores. 1. F. 24.
Temperamentorum gradus quomodo ex mixtione elementorum oriantur. 4. P. 2. & 2. F. 7.
Temperamentorum gradus quomodo inuicem agant. 4. P. 5.
Temperamenta naturalia non omnia ad tactum indicanda. 4. P. 4.
Temperamentum aliud actu aliud poteſtate. 5. P. 6.
Temperatiſſima pars hominis eſt cordis caro. 5. P. 6.
Tempora morborum in organicis non penes coctionem & cruditatem ſumuntur. 2. M. 8.
Tendines ex finibus Aortæ naſcuntur. 5. P. 3.
Terra altior eſt in Oriēte & Septētrione, quā in Occidente & Meridie. 3. P. 5.

Terra

Terra non omnino eſt immobilis. 3. *P.* 4.
Terræ iuuentutes & ſenectutes vnde ortum ducant. 3. *P.* 4.
Terræ concuſſiones. 3. *P.* 9.
Terram pluere cur non videmus vt aquam. 3. *P.* 9.
Terra non eſt opaca per ſe. 5. *P.* 8.
Tertiana notha quomodo generetur. 1. *M.* 10.
Thermarum ortus. 3. *P.* 9.
Theamedes lapis ferrum reſpuens in omni Magnete reperitur. 3. *P.* 5.
Theſaurorum inuentio ex arte Magica. D. 12.
Thorace tranſfixo non tollitur reſpiratio. 5. *P.* 5.
Totum vbique nobis notius eſt, quam partes. 1. *P.* 1.
Turgere quomodo accipiatur. 2. *M.* 6.
Turgentia vtrum requirat venæ ſectionem. 2. *M.* 6.
Tympanites eſt Symptoma caliditatis deprauantis opus ſanguificationis. 2. *M.* 23.
Typi febrium putridarum potius inſequuntur naturam partium quam humorum. 1. *M.* 10.

V

VEGETATIVI *ſubſtantia æterna eſt.* 2. *P.* 8.
Venæ omnes cordi ſunt continuæ. 5. *P.* 3.
Venarum duplex genus. 5. *P.* 3.
Venæ ſanguinem gignunt. 5. *P.* 3.
Venæ portæ rami continui ſunt cum ramis venæ cauæ in Hepate. 5. *P.* 3.
Vena caua alimentum auctiuum continet. 5. *P.* 3.
Venis omnibus & Arterijs in collo comprehenſis inſenſibile redditur totum corpus. 5. *P.* 3.
Venis vinculo exceptis cur intumeſcunt partes poſt vinculum. 2. *M.* 17.
Venæ ſectio aliquando præparatione eget. 2. *M.* 6.
Venæ ſectio in morbis particularibus ex venis particularib. requiritur. 2. *M.* 5
Venæ ſectio quomodo indicatur à magnitudine morbi & robore viriũ. 2. *M.* 4.
Venæ ſectionem in principijs tantum conuenire. 2. *M.* 4.
Venena omnia exceſſu primarum qualitatum enecare. 1. *M.* 13.
Venena tota ſubſtantia enecare, quomodo intelligendum. 1. *M.* 13.
Venetus color quis. 1. *F.* 23.
Venus proprium circulum in Sole habet. 3. *P.* 4.
Ventorum motus obliquus è ſubterraneis incipit. 3. *P.* 9.
Venti ad medium Oceanum non pertingunt. 3. *P.* 9.
Verbenaca quomodo diſtilletur ad ſtrumas. 2. *F.* 19.
Vermis eſt vt ouum imperfectum. 5. *P.* 1.
Veſica inflammata propter quid vrinam non reddit. 2. *M.* 24.

Victus

Victus tria genera ægrotantibus neceſſaria. 2. M.8.
Violaceus color quis. 1. F.23.
Vina medicata quomodo ſiant. 2.F.22.
Viride cur aciem oculorum reficiat. 1. F.18.
Viridis differentiæ. 1.F.22.
Virtus vtrum vbique maior in maiori quanto ſit. 2. F. 9.
Virtutes æquales in materia æquali. 2.F.9.
Virtutes quæ à tota ſubſtantia dicuntur, vnde pendeant. 1.M.13.
Virtutes ſecundum totam ſubſtantiam in quatuor materijs reperiri. 1. M.13.
Viſionem non fieri per extra miſſionem. 5.P. 8.
Viſus deceptio, quam vnum duo videntur, vnde oritur. 2.M. 10.
Vmbilici vaſa cur non deſinunt in cor. 5.P.2.
Vnam tantum eſſe intelligentiam diuinam, quomodo accipiendum. 2.P.6.
Vnitatem prius cognoſcimus quam multitudinem. 1. P.1.
Vnius generis vna contrarietas quo pacto intelligenda. 1.P.6.
Vnica differentia etiam ſi vltima fuerit, non explicat ipſum quid eſt. 1.P.6.
Vniuerſalia quæ omnibus conueniunt, prius cognoſcimus, quam quæ quibuſdam. 1.P.1.
Vniuerſale modo vt totum, modo vt pars conſideratur reſpectu ſingularium. 1. P. 1.
Vniuerſale prædicabile nullum eſt ſubſtantia. 1.P.1.
Vniuerſum animatum eſſe. 1.P.7.
Vrinæ bonæ in ſanis non bonæ in ægrotantibus. 2. M.3.
Vrinæ impuræ vnde oriantur. 2. M.3.
Vrinæ ſublime petentes apud Hipp. quid ſignificent. 2. M.3.
Vrinæ in morbis ex flaua bile quæ. 2. M.3.
Vrinæ turbidæ quid ſignificant. 2. M.3.
Vrinæ in morbis Melancholicis quæ. 2. M.3.
Vrſa iuxta Polum mundi. 3.P.4.

Z

ZONA *torrida inhabitabilis quo pacto accipienda. 3.P.8.*
Zona torrida cælo fruitur temperatiſſimo. 3.P. 8.
Zonæ omnes mutabiles. 3. P. 4.

FINIS.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI,

QVÆSTIONVM PERIPATETICARVM, LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.

NEMINI *profectò mirum videri debet, ſi veritatem, cuius cognoſcendæ omnibus hominibus natura inditum eſt deſiderium, vix tamen attingere datum eſt paucis. Quanquàm enim eius initium maximè ſimplex eſt, & natura clariſſimum, apertiſſimumq́ue; multiplici tamen rerum, ab eo prodeuntium compage inuoluitur, vt nobis, qui ſponte noſtra ſpectamus externa potius quàm interna, difficillimè pateat. Hac de cauſa illud effectum eſt, vt cum tot ſeculis philoſophi innumeri ſummis laboribus, & ſtudijs diuturnis in perquirenda veritate laborauerint, optatam tamen metam interdum non attigerint. Quibus tamen ob id maximè habendæ à nobis ſunt gratiæ, quòd à ſe inuenta cum poſteris tradiderint ad vlteriora per-*

ſcrutanda iter facilius reddiderunt. Si enim non fuiſſet Democritus, Empedocles, Anaxagoras, aliјque multi, & tandem Plato; non fuiſſet Ariſtoteles, quo duce Philoſophia ad dignitatis ſummum faſtigium perueniſſe videtur, quando an nis iam ferè bis mille, in vnius Ariſtotelis doctrina intelligenda ſtudium omne impenditur. Quanquam illud etiam factum eſt, vt ob quorundam barbarorum Commentarios, qui ob acre ingenium autoritatem & primarium locum in Peripatetica diſciplina ſibi vendicarant; tanta caligo oborta ſit, vt conſcriptis alijs innumeris in Commentatores Commentarijs, Philoſophia in errores impegerit inextricabiles. ſcilicet hi ferè noſtrorum Philoſophorum nunc ſunt mores, vt quos minus intelligunt, magis admirentur, & ad percipienda græcorum ſenſa, non ipſos græcos, quorum aliqui veluti per manus ab ipſomet Ariſtotele acceperunt, ſed Barbaros interpretes conſulant, qui tandem inter impios habitare putent ſapientiam. Hanc profectò diuinitus reuelatam ſacræ literæ nobis tradiderunt: eandem ſponte naturæ multi philoſophi, ſaltem balbutientes, indicarunt. non enim diſſentire, vllum eorum quæ ſunt, veritati oportet. multos tamen minimè pudet, quo minus ſuam fateantur inſcitiam, ijs quæ certiſſima ſunt, contradicere, & argumentorum deceptiunculas demonſtrationes putare, atque huiuſmodi ſuaſionibus ſacram veritatem euertere. Ego verò Deum optimum maximum precor, vt me ab huiuſmodi erroribus præcaueat, & ſuo lumine, quo ſolet humanas mentes illuſtrare, in ſinceram dirigat veritatem. Huiuſmodi igitur initio confiſus, enixus ſum Peripateticam diſciplinam multorum altercationibus inuolutam, pro viribus mihi conceſſis euoluere, vt

ſummi

ſummi philoſophi ſententiæ cum non parua humani generis iactura deliteſcentes, in apertum exeant, & reliquis ad veritatis complementum facientibus viam ſternant. Difficilem profectò aggreſſus ſum prouinciam, ſed libentiſſimè ſuſceptam. Nam & ſi opiniones conſuetæ, quæ diu iam in ſcholas Peripateticorum irrepſerunt, ex eorum mentibus, qui in iјs multum inſudarunt, extirpari nequeant: in eorum tamen gratiam, qui ſunt veritatis ſtudioſi, nec veneno impiorum adhuc confecti, pleniorem laborem non recuſaui. Damnabunt forte multi hoc inſtitutum, quod temerarium videatur, putare me videre, quæ oculatiſſimi illi, & tam celebres autores non viderunt: ſolent enim eos reprehendere, quicunque noui aliquid afferunt, tanquam paradoxa loquentes. Quibus illud reſpondeo: Superfluum eſſe ſcribere quæ ſcripta ſunt: Nolle autem ſua communicare, qualiacumque fuerint, aut ignauiæ, aut inuidiæ tribui oportere. malim ego certè mea proferendo doctiſſimorum virorum iudicio ſubiјci, quàm tacendo examen ſubterfugere. Eo autem ſtylo orationis hæc perſecutus ſum, qui neque faſtu turgeat, neque abiectiſſimo dicendi genere vileſcat: Sed qui rationum momentis apprehendendis ſit aptus. Veritatis enim nuditas, quo ſuam præſeferat pulchritudinem, non verborum amplitudine, aut aliјs orationis fucis indigere videtur: neque tamen ſermonis impuritate eandem ſordeſcere fas eſt. Interim vero vtiliſſima in ſcientiјs vocabula minimè abhorreo (licet non ignorem forè, vt eorum aliqua purgatiores aures offendant:) vt ſententiarum claritati conſulerem, non verborum ambagibus eaſdem obſcuriores redderem. Inſcripſi autem Quæſtiones Peripateticas: quoniam

quicquid in ijs diſputando quæritur, ſecundum Ariſtotelis Peripateticorum Principis ſententiam, aut ſecundum tradita ab eodem principia inueſtigantur. Nam ſicubi ab ijs, quæ in ſacris diuiniori modo reuelata nobis ſunt, diſcedat, minimè cum illo ſentio, fateorque in rationibus deceptionem eſſe: non tamen in præſentia meum eſt hæc aperire, ſed ijs, qui altiorem Theologiam profitentur, relinquo. His autem præfatis, inſtitutum ipſum aggredior.

A

QVOMODO INTELLIGENDVM, ex vniuerſalibus in ſingularia procedendum eſſe. 1. Phyſ. tex. 4. Quæſtio I.

CVM ſingularia ſint nobis notiora, quoniam propinquiora ſunt ſenſui, ab eodem verò remotiſsima, quæ maxime ſunt vniuerſalia. 1. Poſt. tex. 5. propter quid iubet Ariſtoteles ad inueſtiganda corporum naturalium principia procedẽdum eſſe ex vniuerſalibus in ſingularia tãquam ex notioribus nobis in ea, quæ natura ſunt notiora? An vbique notius nobis eſt ipſum totum quàm pars, & ipſum confuſum quàm diſtinctum? Patet autem inductione. Siue enim ſenſu apprehenſio fiat, ſiue intellectu, idem contingit. Nam
B in ſenſu tota alicuius facies prius nobis occurrit indiſtinctè, quàm oculus aut nares, aut reliquæ faciei partes. Et in intellectu plantam, aut arborem, aut animal, prius concipimus, quam oleam, aut ficum, aut canem: facilius enim eſt de quodam animali, animal enunciare indiſtinctè, quàm huiuſmodi animal determinatè. Et in ijs, quorum definitiones quærimus, ipſa primum indiſtinctè cognoſcimus, vt hominem aut canem: poſtea verò partes eorum ſubſtantiam conſtituentes, vt animal & bipedem intelligimus. Sed & ſi ex cognitione ſenſus ad intellectionem tendamus: idem modus eſt. Senſibilia enim, confuſa quædam ſunt & indiſtincta, vt hoc album, non ſolum album eſt, ſed & quantum, & motum, aut quieſcens, quadratum, aut rotundum, aut aliam habens figuram, ad hæc lapis, aut æs, aut aliud quippiã tale: quæ omnia ſimul indiſtinctè veniunt in ſenſum: intellectus autem ſingula ſeorſum contemplans, diſtinctè cognoſcit. Sanè horum cauſa eſt,
C quoniam vnitatem prius cognoſcimus quàm multitudinem: vnum enim menſura eſt multitudinis, ipſa autem menſura in vnoquoque genere notiſsima eſt. Cum igitur & totum & confuſum vnitatem ſignificet, quæ multitudinem ſeu diſtinctionem, & partes continet, prius illa quàm hæc cognoſcere oportet. Iccirco optimè inſtituit natura, vt ante omnia, inductione res vniuerſales diſcamus ex ſingularibus. Confuſa enim eſt ſingularium cognitio, vniuerſalium autem diſtincta: Nam album ſimplicius eſt quàm hoc album. Hinc autem ex conceptibus maximè vniuerſalibus, & indeterminationem multam habentibus, ſecundo loco per diuiſionem ad ſpecies indiuiduas accedimus. Vniuerſalium enim ea prius meritò concipimus, quæ omnibus conueniunt, quàm quæ quibuſdam: vt ens & vnum prius, quàm corpus, aut animal: id quod patet exemplo puerorum, qui conceptum matris putant eſſe conceptum mulierum omnium, & conceptum patris eſſe omnium vi-

rorum; donec intellectus perſpicacior per ætatem redditus diſtinctionem inuenerit. Vltimò tandem ſpecies ipſas indiuiduas iterum exactius cōtemplantes in partes, ex quibus earum ſubſtantia componitur, diſſecamus. atque hoc definitione præſtatur: qua habita, demonſtrationis principium primum, ſecundum ſe quidem notiſsimum, nobis autem antea ignotum, habemus, vnde omnis ſcientia pendet. Triplici ergo progreſſu, vt in alijs pleriſque natura ſolet, perfectionem attingimus: inductione ſcilicet, diuiſione, definitione. Inductione quidem ſimilitudinem & conuenientiam intuemur: Diuiſione, diſsimilitudinem & differentiam: Definitione, propriam vniuſcuiuſque ſubſtantiam. Inductio ex ſingularibus vniuerſalia facit, & materiam omnem intelligibilem menti offert: Diuiſio differentiam vniuerſalium inuenit tendens in ea, quæ ſpecie ſunt indiuidua: Definitio autem ſpecies in ſua principia reſoluit vſque ad elementa, incipiens à ſingularibus. Facilius enim eſt ſingulare definire quàm vniuerſale, vt hominem quàm animal: ideo à ſingularibus ad vniuerſalia aſcendendum eſſe præcipit Ariſtoteles 2. Poſt. tex. 22. Sed dubitatur. Si diuiſio ab vniuerſalibus tendit in ſingularia, Definitio autem è contra è ſingularibus in vniuerſalia: reſoluuntur enim ſpecies in genera & differentias, quæ vniuerſaliter prædicātur: quomodo vtrique ij proceſſus, à toto ad partes procedunt, aut à notis nobis ad notiora natura? Reſponſum eſt Ariſtotelis. 5. Metaph. tex. 30. vbi de parte quot modis accipiatur, loquens, inquit: vno modo ſpecies eſſe generis partes, quia in eas genus diuiditur: ſic autem accepit 1. Phyſ. tex. 4. vbi inquit: multa enim comprehendit vt partes vniuerſale. alio modo genus ſpeciei partem eſſe, quia. ſ. in eius ratione ineſt tanquam pars. quod 1. Phyſ. tex. 5. confirmat, cum inquit definitionem totum aliquod diuidere in ſingulas partes. Cum igitur vniuerſale reſpectu ſingularium, aliquando totius, aliquando partis rationem ſubeat; ſit, vt modo notius nobis, modo notius natura dicatur. Iccirco aliquando ex vniuerſalibus in ſingularia procedimus, ſcilicet in diuiſione: aliquando è contra è ſingularibus in vniuerſalia, in definitione ſcilicet & inductione. vbique tamen à toto ſeu confuſo ad partes & ad diſtincta procedimus, tanquam à notioribus nobis ad natura manifeſtiora. Similiter cum quæritur vtrum vniuerſalia veluti genera prius cognoſcamus, an particularia ideſt ſpecies; eadem diſtinctione reſpondendum eſt. Si enim animal tanquam commune quid conſideremus, ipſum prius cognoſcimus: Si autem tanquam ſpeciei partem; poſterius. Non eſt autem eadem animalis ratio, quatenus commune quid pluribus ineſt, & quatenus pars eſt ſubſtantiæ. Subſtantiam enim non eſt neceſſe pluribus ineſſe. Quemadmodum enim in hoc ſole integra ineſt Solis natura, ſic in hoc animali, natura animalis. nam, etiam ſi aliud nullum in natura eſſet animal præter hoc, nihilominus ſuam

D E F

A haberet perfectionem. commune autem nullũ ſubſtantia eſt 7. Meth. tex.48. iccirco animal vniuerſale, aut nihil eſt aut aliquid poſterius 1. de anima tex. 8. Cum igitur communis cuiuſque minimæ partes ſint ſpecies vltimæ. (indiuiſibiles enim ſunt in alias ſpecies) Specierum autem partes minimæ ſint ipſa ſuprema genera, non enim componuntur ex alijs generibus aut differentijs: hinc fit, vt ſuprema genera quatenus ſunt in ſubiectorum generum ac ſpecierum ratione, indiuiſibilia ſint, & poſtremo cognita: quatenus autem cõmunia quædam, diuiſionem multiplicem ſortiantur, & primo cognita exiſtant. Sed propter quid ad principiorum naturalium inuentionem præcipit Ariſtoteles ab vniuerſalibus in ſingularia procedendum eſſe, non autem è cõuerſo, cum tamen etiã vniuerſalia partes ſint ſingularium? An Principia eſſe ſupponitur? inductione enim & ſenſu iam prius id inueniſſe oportet: quot autem & quæ ſint, neque inductione, neque definitione haberi B poteſt. Definitio enim ſupponit notũ id eſſe quod definitur; ſed quæ ſint principia, adhuc incertum eſt: Inductio autem nec numerum nec diſtinctionem oſtendit, ſed vnitatem ſolùm in multis colligit. Relinquitur igitur, vt diuiſione conceptuum vniuerſalium in ſingulares, haberi poſsit id quod quærimus. Methodo igitur diuiſiua vtendum eſſe innuit Ariſt. cum ex vniuerſalibus in ſingularia procedendum eſſe dicit: prius enim ſingulares conceptus inuenire oportet, quàm eoſdem definire. Quòd autem Methodo diuiſiua id pręſtet, manifeſtum ſtatim facit in principio ſuæ indagationis, vbi inquit tex.6. Neceſſe eſt autem aut vnum eſſe principium, aut multa, & quæ ſequuntur. Duo autem illi proceſſus, qui definitionem antecedũt, inductio ſcilicet, & diuiſio, aliquando nobis minime animaduertentibus fiunt, paulatim increſcente intellectu. Iccirco in multis ſæpe nõ egemus huiuſmodi inquiſitione conceptuum ſingularium, vt hominis aut leonis: ſed ſolum C ipſum, quid eſt, relinquitur indagandum. In quibus autem ea minimè præſtiterimus, impoſsibile eſt definitionem aggredi priuſquam ea inuenerimus, quæ præceſsiſſe oportet.

Omnem definitionem abſolutam ad demonſtrationem reduci. Quæſt. II.

IN eorum definitionibus, quæ alteri inſunt, manifeſtum eſt hoc quod proponimus. Si.n. eclipſis definiatur, aut ira, aut aliquid huiuſmodi, cum neceſſe ſit addere & ſubiectum, & cauſam, propter quam ſubiecto inſit; ſtatim in huiuſmodi definitionibus aliquid eſt, quod eſt tanquam demonſtrationis concluſio, & aliquid, quod eiuſdem eſt principium. vnde tota definitio eſt veluti demon-

ſtratio, poſitione differens à demonſtratione, vt explicatum eſt.2.Poſt. D
tex.10. Idem autem contingere & in definitionibus ſubſtantiarũ, nunc
manifeſtum fiet. Cum enim quæſtionum aliæ ſimplices ſint, vt An eſt,
& Quid eſt: aliæ compoſitæ, vt, Quòd aliquid alicui inſit, & propter
quid: Vult Ariſt.7.Metaphy. tex.59. omnem quæſtionem aliquid de
aliquo quærere, etiam in ijs quæ ſimpliciter videtur quæri, vt an eſt ho
mo, & quid homo eſt, aut domus. quamuis enim in his lateat aliquid
de aliquo quæri, ſemper tamen quæſtionem compoſitam eſſe: nam
vbique de aliqua materia aliquid quærimus. quod ſi id non fuerit, ni-
hil quæri. Idcirco ergo de ſimplicibus nullam eſſe quæſtionem neque
doctrinam. Si igitur omnis quæſtio ſimplex ad compoſitam reducitur:
ergo etiam omnis definitio completa ſubſtantiæ ad demonſtrationem
reducetur. idem enim eſt quid & propter quid: & eſſe compoſitarum
ſubſtãtiarũ eſt aliquid alicui ineſſe: quod prius habere oportet, quàm
ipſum quid eſt, aut propter quid quæramus. Idem ſignificauit Ariſt.2. E
de Ani. tex.12. vbi animæ completam definitionem quærens, inquit:
oportere diffinitiuam rationem oſtendere non ſolum ipſum eſſe, ſed
etiam propter quid: vt non ſolùm tanquam concluſio videatur, ſed
etiam eius cauſam explicet. Iccirco naturam definitionis explicans.
2.Poſter. tex.10. inquit: definitionem eſſe orationem ipſum propter
quid eſt, explicantem. Sed hæc in oppoſitum videntur facere. Nam ſi
ſubſtãtiæ definitio eſt demõſtratio, ſubſtantiæ erit demonſtratio. quod
negat Ariſt.6.Metaph.tex.1.& Poſter.2.tex.2. Præterea cum ſubſtãtia
tribus modis dicatur, vt materia, vt forma, & vt cõpoſitum ex his: ne-
que vt materia, neque vt compoſitũ demonſtrari poteſt: demõſtratur
enim ſemper alterum de altero: at ſubſtantia vt materia, & compoſi-
tum, alteri ineſſe nequeunt: hæc enim cæteris omnibus ſubijciuntur.
Forma verò, ſiue materiæ dicatur ineſſe, ſiue compoſito; omnino in-
demonſtrabilis eſt, nam ſine medio vtriſque ineſt. Inſit igitur per ali- F
quod medium forma ipſi materiæ, illud medium longè magis ſpecies
eſſet & ſubſtantia, de qua iterum quærẽdum eſſet vtrum per aliud inſit
medium, an immediate inſit: aut igitur in media infinita eſſent, aut
ſpecies & forma ſine medio ineſt materiæ. Significauit autem hoc Ari
ſtoteles. 8.Metaph. tex.15. vbi nullam aliam cauſam quærendam eſſe
putat, cur materia & forma vnũ ſint, hoc enim eſt eorum eſſe, non vin-
culum aliquod aut copula aut quid tale. Merito igitur indemõſtrabilia
hæc fuerint, & demonſtrationum principia. Similiter verò putandum
eſt formam compoſito immediate ineſſe. cum enim illi tanquam pars
inexiſtat, ſi inter totum & partes non eſt tertia quædam natura, neque
medium vllum inter ipſa fuerit. Quamuis autem partium quædã pro-
pinquiores ſubiecto fuerint, quædam diſtantiores, vt genera ſuperiora
& inferiora ſe habẽt; neque tamen inferiora genera pro medio in de-
mon-

A monſtratione accipi poſſunt, vt per ipſa demonſtrentur ea, quæ ſuperiora ſunt: neque ſuperiora ad demonſtrationem inferiorum: in ijs enim quæ ſubalternatim prædicantur, medium neque cauſa eſt prædicati, neque reciprocum: Non quidem cauſa, quia è contra ſuperiora cauſæ ſunt inferiorum, inſunt enim ſuperiora in ratione inferiorum, non è conuerſo. Quòd ſi ſuperiora pro medio ſumantur, non fiet ſyllogiſmus: contingeret enim in ſecunda figura affirmatiuè cõcludere. Nullum autem eorum eſt reciprocum, quia ſuperiora ſemper vniuerſalia ſunt magis: at demonſtratio ſi ex primis & immediatis eſt, ex reciprocis conſtat & cauſis concluſionis. Amplius ſi in omni demonſtratione ſubiectũ aliquod eſſe oportet actu exiſtens, nulla definitio ſubſtantiæ, demonſtratio erit. Subſtantia enim compoſita non poteſt eſſe eius ſubiectum, quia eius partes definitione explicantur: quod autem demõſtratur, non eſt ſubiecti pars, ſed affectio. Multo autem minus ipſa

B forma ſubiectum eſſe poſsit: ineſt enim in eius ratione materia, vt naſus in definitione ſimi, & corpus in definitione animæ. at in demonſtratione ſubiectum ineſt in ratione prædicati, non è conuerſo. Si igitur forma inſit materiæ, nõ erit forma demonſtrationis ſubiectum; ſed materia. At verò neque materia huiuſmodi ſubiectum videatur. non enim eſt actu per ſe, ſed potentia ſolùm: in demõſtratione autẽ ſubiectum actu eſſe oportet, & per ſe exiſtens. Hæ igitur difficultates circa hanc ſententiam contingunt. Non fuerit autem difficile ſoluere, ſi ſupponamus, materiam omnem dupliciter cõſiderari: vno ſcilicet modo, vt ſubiectum actu exiſtens, quod præexiſtere oportet in omni generatione, vt æris actus quatenus æs: alio autem modo vt potentia ad alios actus, vt æs nõ quatenus actu aliquid eſt, ſed quatenus potentia ad ſtatuam: non enim idem eſt æris eſſe, & potentia ad ſtatuã. 3. Phyſ. tex. 9. Conſideratio igitur materiæ quatenus potentia eſt, nullius prędicatio-

C nis ſubiectum exiſtit, niſi fortè priuationis: imo neque priuationis eſt ſubiectum: eſſet enim actu aliquid, vt alterum contrariorum: at ſecundum ſe neutrum habet actu neque formam neque priuationem. quatenus autem actu aliquid eſt, ſubijcitur ipſis formis, quemadmodum reliquæ ſubſtantiæ affectionibus. patebit enim id magis, cum de materia loco proprio agemus. Quoniam autem eorũ, quę in materia ſunt tanquam in ſubiecto, quædam alteram habent cauſam, quędam minimè, vt in lapidibus forma domus alteram habet cauſam, ſcilicet finem cuius gratia inſtituta eſt, vt conſeruationem ſupellectilis: huius autem forte non eſt altera cauſa. iccirco hæc ſubſtantiæ ratio eſt indemõſtrabilis, demonſtrationis principium exiſtens: in ipſum enim vltimum reſoluuntur cæteræ rationes quæ in materia exiſtunt. Cum igitur definitio omnis reſoluat ipſum totum in partes ſecundum ſubſtantiam, partium autem quædam inſint vt rationis materia, quædam vt perfectio:

omnis

omnis definitio veluti demonſtratio erit, in qua nō quidem perfectio D neque de toto, neque de parte demonſtratur; ineſt enim ſine medio: ſed partes ſecundum materiam de materia totius per alteram partem, quæ eſt vt forma. Explicauit autem id Ariſt. 7. Metaph. tex. 60. vbi inquit: in huiuſmodi quæſtionibus ſubſtantiæ poſtquam habemus ipſum eſſe, quæri materiam propter quid ſit, vt hæc ſunt domus, propter quid? quia hæc exiſtunt, quod erat domui eſſe: & homo hoc, aut corpus hoc tale habens. Quare? cauſa materiæ quæritur, hæc autem eſt ſpecies qua aliquid eſt & ſubſtantia. Ex quibus facile dubitationes ſoluuntur. Nam prima ratio oſtendens ſubſtantiæ non eſſe demonſtrationem, conceditur. non enim demonſtratio eſt ſubſtantiæ, quatenus ſubſtantia eſt: quoniam ſubſtantia non ineſt alteri. Quamuis enim forma ſit in materia, non tamē illi ineſt vt actu exiſtenti, ſed potētia. Quatenus igitur ex potentia & actu vnum fiunt; eatenus ſubſtātia eſt compoſita, cuius eſt definitio, demonſtratio autem nequaquam: quatenus E verò materia ſubiectum quoddam eſt, cui actu exiſtenti inſunt cæteræ formæ; eatenus earum demonſtratio eſt, non definitio. Dubitabit autem quis de primis rationibus materiæ inexiſtentibus, vtrum & ipſæ demonſtrabiles ſint. ſi enim quo minus detur proceſſus in infinitum, indemonſtrabiles ponantur, nulla methodo ſciri videbuntur. non.n. definitione, quoniā non vnum per ſe ſunt plures actus, oportet autem vnum per ſe eſſe, quæ in definitione ſunt. Dicimus omnem actum materialem quāuis vt indemonſtrabilis ſupponatur à ſingulis artificibus, reſolui tamen in actum quendam priorem à ſuperiori ſcientia, aut ea quæ omnibus communis eſt: Actus autē immaterialis in nullum alium reſoluitur. hic enim ſolus primus eſt à quo cætera pendent: actus autē materiæ primæ quāuis ab altero pendeat principio, non tamen demonſtrabilis eſt. non enim alteri materiæ ineſt ipſum primū omnium ſubiectum. Quomodo autē primi actus, & quicūque alteri non inexiſtunt, F ſciantur, alibi explicabitur commodius. Ad alteram dubitationem patet ſolutio ex dictis. non enim in infinitum tendunt media. Nā quemadmodum ſubſtantia primum eſt principium eorum quæ inſunt: ſic prima aliqua ſubſtantia eſt, in quam cæteræ ſubſtantiæ reſoluuntur. Quod autem dicitur actum & potētiam ſine aliquo medio vnum eſſe, conceditur. at non concedimus demōſtrari actum de eo quod potentia eſt, ſed de aliquo ſubiecto quatenus actu eſt. Neque ſuperiora de inferioribus nec è conuerſo demonſtrantur: ſed rationes ſuperiorum generum inſunt vnicuique materiæ per inferiorum rationes: primæ.n. ſubſtantiæ cauſæ ſunt cæterorum. Aperuit hoc Ariſtot. 2. Poſt. tex. 18. vbi ea quæ propria ſunt generum, ſpeculādum eſſe inquit, per vltimarum ſpecierum rationes: non enim per propria generum intellexit affectiones generibus contingentes: è contra enim hæ prius inſunt generibus,

A neribus,per ipſa autem ſubiectis ſpeciebus,vt explicatum eſt.2.Poſter. tex.22.ſed rationes ipſas genericas ex rationibus ſpecierum vltimarum demonſtrari: quia ſpecierum rationes priores ſunt ac ſimpliciores. harum enim perfectio indemonſtrabilis eſt principium exiſtens cæterarũ conditionum,quæ ex additione materiæ contingunt. Hoc autem modo & termini demonſtrationis conuertibiles redduntur, cum aliàs genera vniuerſaliora ſint quàm ſpecies. Nam differentiæ omnes,quarum ratio eſt diffinitio,ad propriam aliquam materiam contractæ conſiderantur in demonſtratione: vt curuitas, quamuis lineæ ſit affectio, ad naſum tamen contracta ſimitas appellatur: nihil autem refert ſimitatẽ dicere & naſi curuitatem.Idem & de cæteris differentijs eſt dicendum, inter quas & genera ponuntur,ſunt enim & genera differentiæ quædã. Patet autem id magis in formarum definitionibus: nam in his manifeſtum eſt ſubiectum quod additur, cuius ratione contrahuntur diffe-
B rentiæ: anima enim actus quidem eſt,ſed non quicunque,at talis corporis: proprium igitur quoddam eſt anima alicuius corporis,alijs nullis competens: iccirco illud in eius ratione ineſt,quia includitur vt pars eius:nugatio enim eſſet ſi animę corpus adderemus,& ſimitati naſum: non enim anima alicuius corporis eſt anima, ſed actus: & ſimitas non eſt naſi ſimitas,ſed naſi curuitas. communis igitur differentia,vt curuitas,commune habet ſubiectum,vt forte lineam: contracta autem contractum,vt ſimitas naſum. & reſoluuntur ſemper propria in communẽ differentiam,& proprium ſubiectum non commune. Sed in definitionibus compoſitarum ſubſtantiarum hoc minus patet: quia genus materiam includit,quod differentijs cõtrahitur. Quamuis autem hic ſubſtantiæ partes alio modo diuidantur,quàm in formarũ definitionibus: re tamen minimè differunt vt alibi à nobis oſtenditur. iccirco modica quadam verborum conuerſione animalis definitio in animę definitio-
C nem tranſit. quod ſi hæc manifeſtam habet reductionem ad demonſtrationem,omnis definitio ſubſtantiæ ad demõſtrationem reducetur. Ad vltimam dubitationem, concedimus neque ipſum cõpoſitum neque formam ſubiectum eſſe demonſtrationis,cum ſubſtantiarum definitiones ad demonſtrationem reducuntur: ſed ipſam materiam, non tamen quatenus potentia eſt,ſed quatenus actu. Quòd ſi quis inſtet: ea quæ in demonſtratione ſunt,per ſe ineſſe oportere: at materiæ quatenus actu eſt,non per ſe ineſſe formas,ſed ſecũdum accidens, vt ſignificauit Ariſt.2. de Part. ani. cap.3. cum enim caliditas ſanguini per ſe inſit,in eius enim ratione ineſt: materiæ tamen ſanguinis nequaquam per ſe ineſt,ſed eſt ac ſi aquam calidã vno nomine ſignificemus, cuius pars eſt caliditas,aquæ tamen per accidens ineſt: ſimiliter & de cæteris formis dicendum videtur,omnes enim compoſiti ſunt partes,materiæ autem nequaquam. An materia pars eſt earum,iccirco in ſecundo modo di-

do dicendi per ſe fuerint? per accidens autem ineſſe ab Ariſtotele for D
te dicũtur, quia nõ ſunt in primo modo? At quæcunque per ſe ſunt,
eadem & ex neceſsitate inſunt, formæ autem non ex neceſsitate viden-
tur huic materię ineſſe, caliditas enim non ex neceſsitate materiæ ſan-
guinis ineſt: ſi enim hæc auferatur ex ratione, adhuc ratio caliditatis
remanet, vt in igne. Dicendum eſt igitur materiam non vnamquãque
eſſe ſpeciei partem: vbique tamen formam inſeparabilem eſſe à pro-
pria materia, iccirco ineſſe huic in ſecundo modo dicendi per ſe, reli-
quis autem per accidens: vt ſanguinis, qua ſanguis eſt, caliditas, ratio
quædã eſt huius materiæ, verbi gratia humoris, à quo ſeparari nequit:
ſimpliciter autem caliditas, ab hoc ſeparabilis eſt. non enim humor eſt
proprium caliditatis ſubiectum. propter hoc igitur dictum eſt calidi-
tatem ſimpliciter acceptam per accidens materiæ ſanguinis ineſſe. At
in demonſtratione non huiuſmodi ſubiectum accipimus, ſed propriũ,
& tandem id cui primò ineſt. iccirco ex reciprocis ſemper eſt demon- E
ſtratio, vt oſtẽſum eſt ſuperius. Patet igitur omnem definitionem com
pletam veluti demonſtrationem eſſe: differre autem verborum poſi-
tione, quæ non ſolum penes eorum ordinem conſideratur, ſed multo
magis penes modum. Nam in definitione reſolutio fit in partes, quarũ
vna alteri nequaquam ineſt, ſed vnũ ſunt vt potentia & actus: Demon
ſtratio autem in eaſdem reſoluit, quatenus actu ſunt, iccirco ſemper al-
terum alteri ineſſe dicit. Neque ob id ſequitur demonſtrationem eſſe
ipſius quid eſt: aut definitionem dicere eſſe vel non eſſe: alio enim
modo accepti termini demonſtrationem conſtituunt, alio modo defi-
nitionem.

Primam Philoſophiam, neque demonſtratione neque defini-
tione vti. Quæſt. III. F

CVM duo tantum videantur ſciendi modi apud Ariſtotelem,
vnus per demonſtrationem, quæ cauſam tradit eorum, quæ
alteri inſunt, propter quam & inſint & omnino ſint: alter per
definitionem, qua ſubſtantiam ipſam & quid vnumquodque ſit per-
ſpicimus. Vt enim ea quæ ſunt, vel ſimpliciter ſunt, veluti ſubſtantiæ:
vel alteri inſunt, vt ſubſtantiarum affectiones: ſic duo videntur ſuffi-
cere inſtrumẽta ad eorum reſolutionem: definitio ſcilicet, quæ in par
tes ſecundum ſubſtantiam reſoluit ea quæ ſunt: Demonſtratiò autem
quæ in principia, ea quæ inſunt, redigit: Mirum profectò fuerit primã
Philoſophiam neutro iſtorum vti. Quomodo enim ſciet princeps ſcien
tiarum, vnde omnis fides cæterarum pẽdet? Num ignobilius aliquod
argumentationis genus, quali Dialecticus aut ſimilis ad fidem incertã,
quam tamen poſſunt aſtruendam, vti ſolent, vſurpabit? At incertiora
multo

A multo eſſent reliqua inde ortum ducentia: nec tandem ſcientia vlla eſſet, ſed opinio tantum, aut ſimilis quędam exiſtimatio. Demonſtrationem igitur non eſſe eorum, quæ à primo Philoſopho tractantur, hinc fiet manifeſtum. Cum enim de ente, quatenus ens eſt pertractet, huiuſmodi autem ſit quod ſimpliciter eſt & primum, ideſt ſubſtantia 7.Metaph.tex.5. ſi ſubſtantiæ non eſt demonſtratio, nec igitur primus Philoſophus demonſtrabit. Non eſſe autem ſubſtantiæ demonſtrationem, ſed alium quendam manifeſtationis modum apertè ſcribit Ariſto.6.Metaph.tex.1.& 2.Poſter.tex.2. nec enim alteri ineſt ſubſtantia, demonſtratur autem ſemper alterum de altero. Quatenus igitur primus Philoſophus de ſubſtantia agit, non demonſtrat. At verò ſi ad eundem pertinet de ſubſtantia agere, & de illis, quæ ipſi per ſe inſunt. 4.Metaph.tex.5. ſunt autem quædam affectiones propriæ entis quatenus ens eſt, vt idem, diuerſum, vnum, & multa, & alia huiuſmodi; de-B monſtratio ſaltem ad huiuſmodi neceſſaria fuerit. An iſtorum quoq; non eſt medium? iccirco indemonſtrabilia, & dignitates illas conſtituentia, quas omnes ſcientiæ accipiunt? Non eſſe autem aliquod medium diſtinctum à ſubiecto, patet. Si enim ſubiectum eſt ipſum ens quatenus ens, inſunt enim omnibus entibus quatenus entia ſunt: hoc autem ſubſtantia eſt & quid, non eſt inuenire alteram rationem priorē illa, vt accidit in affectionibus entium particularium: cum enim in his alterum ſit vnumquodque & quid eorū, eſt ſemper altera ratio prior, ſcilicet ipſum quid eſt. In primo autem cū idem ſit ipſum ens & quid, non poteſt diſtingui medium à ſubiecto. Nec igitur demonſtratio conſtitui poteſt. Idcirco Ariſtoteles 4.Metaph.tex.9. dignitates omnibus notiſsimas ineſſe quidem enti prout ens, demonſtrari autem non poſſe teſtatur, niſi aliqua demonſtratione ducente ad impoſsibile. Demonſtratio igitur oſtenſiua ex prioribus nullo modo à Philoſopho primo C aſſumitur. Cauſa enim accidētium eſt ſubſtantia, & primorum prima: prima autem eadem eſt cum ſubiecto. Quod ſi altera fuerit, non ergo prima erit ſubſtantia: aut duæ primæ non vna: nec tamen profecerit quippiam ſi duæ primę ponantur ſubſtantiæ: vna enim alteri quid proderit, ſiue ſit ſiue non ſit? nec igitur demonſtratio cōſtitui poterit: neceſſe eſt enim terminos inuicem prædicari. At verò neque definitione ſciri ea quæ à primo Philoſopho tractantur, ex his patefiet. Cum enim omnis definitio partes habeat, eſt enim oratio, erūt ſimiliter partes ipſius rationis & ipſius quid eſt. 7.Metaph. tex.33. Rationis autem partes eſſe hanc quidem vt materiam, hāc verò vt actū, habetur 8.Metaph.tex.15. Non tamen quamlibet materiam eſſe partem rationis, ſed aliquā vbique, & quo pacto diſtinguatur, explicatur 7.Metaph.tex.34. & 37. Quæ igitur nullam habent materiam neque ſenſibilem neque intelligibilem, indiuiſibilia omnino, & ſtatim vnum eſſe manifeſtum eſt.

eſt.8.Metaph.tex.16.horum ergo nec ratio erit, nec diffinitio. haberēt D
enim partes. Huiuſmodi autem eſſe, ea quæ primus Philoſophus ſpeculatur, patet. Ens enim ſimpliciter dictum ac primum, de quo ille agit, incompoſitum quid eſſe manifeſtum eſt. ſi enim materiam aliquā haberet, & tandem compoſitionem, aliquid eo prius eſſet, quo exiſtente illud eſſet. Cum autem prima ſubſtantia ſola ſimpliciter ſit, quia non dicitur eo quod aliud in alio ſit, vt in materia 7.Metaph.41. & ob id in huiuſmodi idem ſit eſſe & quid eſt: ſimplex omnino eſſe oportet ipſum ens primum, & ideo non definibile ſed omnia finiens. Primus igitur Philoſophus in ſpeculatione ſubſtantiæ definitione non vtitur. At verò neque in ſpeculatione eorum, quæ illi per ſe inſunt: nam ſimiliter ſimplicia eſſe neceſſe eſt & prima: cætera enim ad illa reducuntur 4.Metaph. tex.6. Neque ideo dici quia alia ſint priora præter ſubſtantiam ipſam, quam addi neceſſe eſt in eorum definitionibus. Non igitur aliqua ratio conſtitui poteſt, quemadmodum in cæteris poſterioribus E
fit: in priora enim ſemper reſoluuntur, vt ſimitas in curuitatem, curuitas in aliquid aliud, donec tandem ad primam contrarietatem deueniatur, quæ vnum & multa continet. Si igitur magnitudo prima eſſet ſubſtātia, rectum & curuū prima eſſet contrarietas, nec definiri poſſet. Quòd ſi ſubſtantia quæ in affectionum ratione adiungitur, ipſa per ſe definitionem compleret, quomodo non idem eſſet ſubiecto eſſe, & affectioni, vt naſo & curuitati? eſſe enim naſi eſſet curuitati eſſe, neque ſolum ſubiecto vnum eſſent, ſed & ratione. At affectio omnis aliquid aliud eſt præter additum, ſiue ſubiectum. Si igitur primæ entis affectiones, rationes priores non habent præter ipſam ſubſtātiam, neque ergo earum definitio fuerit. Primus igitur Philoſophus neque demonſtratione vtetur, neque definitione. Oppoſitum tamen videtur ſignificare Ariſtoteles. Nam 6.Ethic. cap.6. inquit Sapientis eſſe de nonnullis habere demōſtrationem: qua ratione differt ab intellectu, qui circa principia tantum verſatur. Sapientiam autem eſſe primam philoſophiam F
teſtatur inferius cap.7. exactiſsimam enim ſcientiarum eſſe, nec ſolum circa principia verſari, ſed & circa ea quæ ex principijs colliguntur, iccirco compoſitionem eſſe intellectus & ſcientiæ, rerum tamen præſtantiſsimarum. Et 11.Metaph. cap.1. Demonſtratiuam ſapientiam vocat, quæ circa accidentia verſatur. Definitionem autem ad eundem pertinere innuit 6.Metaph.tex.1.imo ſolius primi philoſophi eſſe rationem facere ipſius quid eſt: inquit enim reliquas ſciētias circa genus aliquod entis verſari, nō circa ens quatenus ens eſt, neque ipſius quid eſt vllam rationem facere, ſed illud aut ſenſu manifeſtantes, aut ſuppoſitione accipientes, ea quæ generi per ſe inſunt demonſtrare. Idem 11.Metaph. cap.6. Quod & rationem videtur habere: ſi enim proprie ſcire eſt demonſtrationem habere: ſubſtantiæ autem & ipſius quid eſt non eſt
demon-

A demonſtratio, nec igitur ſcientia aliqua proprie dicta erit ipſius quid eſt. Meritò igitur ſupponendum ab vnoquoque demonſtratore. Eſſe autem aliquam ſcientiam ſuperiorem, quæ ſapientia dicitur, cui negotium delegetur ipſius ſubſtãtiæ, neceſſarium videtur. cum enim in cuiuſque ratione inſit ſubſtantiæ ratio 6. Metaph. tex. 4. ignorata ſubſtantiæ ratione, & reliqua ignorari neceſſe eſt. Si ergo ſcientię ſunt demonſtratiuæ, & aliud genus ſciẽdi prius & nobilius & perfectius neceſſe eſt eſſe, quo ſubſtantiam cognoſcamus. Nobiliſsima autem ſcientiarum eſt Sapientia & prima philoſophia. Si igitur ſubſtantiæ ratio diffinitio eſt, illa ſola ipſius quid eſt, rationẽ faciet, & ſic definitione vtetur. Propterea crediderunt quidam ad primum philoſophum pertinere de omnibus entibus ipſum quid eſt cognoſcere vſq; ad ſpecies vltimas. quod & videtur ſignificaſſe Ariſto. 4. Metaph. tex. 2. vbi inquit, Quemadmodum Grãmatica vna exiſtens omnes voces ſpeculatur, ſic entis quoque

B quot ſpecies ſunt, & ſpecierum ſpecies contemplari vnius ſcientiæ genere eſt. Quæ tamen ſi hoc modo accipiantur, maximas patiuntur difficultates, & manifeſtas habent contradictiones. Nam primum expreſſe negat Ariſt. 11. Metaph. cap. 3. vbi inquit: philoſophi primi ſcientiã eſſe entis quatenus ens eſt vniuerſaliter, non ſecundum partem: qua ratione differt à Mathematicis & à Naturali, qui ſecũdum partem conſiderant aſſumentes genus proprium vniuſcuiuſque, de quo quærunt principia & accidentia, vt talia, non vt entia. Præterea, ſi primus philoſophus ſpecularetur ſubſtantias naturales, & Mathematica demonſtraret quoque eadem eorum accidentia. eiuſdem enim ſcientiæ eſt de ſubſtãtia & affectionibus ipſius ſpeculari, quarto Metaph. tex. 6. ſuperfluæ igitur eſſent reliquæ ſcientiæ. Amplius pertinere propriorũ ſubiectorum definitiones ad ſcientias particulares nõ autem ad ſuperiorem aliquam ſciẽtiam, declarat Ariſtoteles. 6. Metaph. tex. 2. & 11. Metaph.

C cap. 6. & primo de Ani. tex. 16. quibus in locis oſtendit quomodo Phyſico ſit definiendum, & quomodo Mathematico. Primo igitur philoſopho relinquentur ea quæ nullam habent materiam. hæc autem definiri non poſſe oſtenſum eſt. Quæ cum hoc modo habeant, non poſſumus dicere ſubiectorum quidem ſciẽtiam, quæ definitione habetur, primi philoſophi eſſe, propriarum verò affectionum, quæ demonſtratione ſciuntur, alterius eſſe: eadem enim ſcientia circa ſubiectum proprium quęrit principia & affectiones quæ ex principiis. Iccirco primus Philoſophus, entis, vt ens eſt, principia quærit, & eiuſdem affectiones proprias: ſic Mathematicus circa numeros & magnitudinem: & naturalis circa mobilem ſubſtantiam & eiuſdem affectiones verſatur. Quid ergo dicendum ad authoritates Ariſtotelis in oppoſitum adductas? Dicimus igitur in eo differre ſcientias particulares à ſapientia, quod illæ quidem circa genus proprium, poſtquam ſubiectum in propriam illius

lius rationem,atque affectiones in principia propria reſoluerint, quieſcunt. Sapientia autem omnium rationes quas cæteræ ſcientiæ ſupponunt, in priorem reſoluit rationem: quoniam verò illa non eſt altera prior,in eam definit omnis reſolutio,nec in infinitum datur cauſarum proceſſus. At verò vtrum rationum reſolutio in alias ſuperiores rationes,demonſtratio ſit,aut definitio,hoc modo conſiderãdum eſt.Nam quamdiu ratio ipſius quid eſt, diuiſibilis fuerit, vt eius aliquid ſit tanquam materia, & aliquid tanquam actus: definitio dicenda eſt ac demonſtratio ſola verborum poſitione differens, vt alibi à nobis eſt explicatum. Vbi vero ad indiuiſibile peruentum fuerit, erit quidem illa ratio ipſius quid eſt vltima, definitio autem nequaquam; omnem enim definitionem partes habere oportet eo modo diſtinctas. Quòd ſi ea definitio non fuerit,nec etiam demonſtratio. omnis enim demonſtratio ex definitione colligitur.Si igitur primus Philoſophus in huiuſmodi quid,entia reſoluat; rationem quidem afferet cæterorum omnium, at neque ob id definiet aut demonſtrabit. His autem explicatis iam dubitationes ſoluamus. Quod igitur ſcribit Ariſtoteles Sapientis eſſe de nonnullis habere demonſtrationem,& ſapientiam quãdam demonſtratiuam eſſe,dictum eſt, quoniam nõ ſolum de ſubſtantia agit ſapiẽs, ſed etiam de ijs quæ illi per ſe inſunt, quorum & ſi demonſtratio oſtenſiua non ſit,vt in ſcientijs particularibus, eſt tamen quædam,ea ſcilicet quæ ducit ad impoſsibile, vt patuit ſuperius de cõmuni omnium ſcientiarum dignitate. At forte inſtet quis: communes entis affectiones de ſingulis entibus demonſtrari poſſe per rationem ipſius primi entis.An hæc demõſtratio minimè eſt? oportet enim ex eodem genere eſſe medium & extrema,hic autem medium & affectio primi philoſophi eſt: cætera verò entia cum ſecundum partem cõſiderẽtur, ad cæteras ſcientias pertinent. Præterea & ſi eiuſdem ſcientiæ concedantur eſſe omnia entia, ſcilicet quatenus entia ſunt, cum tamen non ſit vniuerſalis demonſtratio, nec etiam particulares erunt: ideo enim problema eſt demonſtratiuum, ſi verbi gratia de vite cur folia fluãt quęramus, quia continetur ſub vniuerſali,ſcilicet latifolio,cuius primi eſt demõſtratio. 2.Poſter.tex.24.At de ipſo ente quatenus ens eſt,vniuerſaliter demonſtrari proprias affectiones demonſtratione oſtenſiua non poſſe, ſed ſolum ducente ad impoſsibile oſtenſum eſt. Ad alteram dubitationem quæ oſtendebat omnium definitionem ad primum philoſophum pertinere, cum cæterę ſcientiæ nullam rationem faciant ipſius quid eſt: cõcedimus,reſolui quidem omnium rationes in ſupremam rationem: non tamen hanc definitionem eſſe,neque demonſtrationem: ſingulorum autẽ definitiones ſpectare ad eum qui circa illud genus verſatur, & ab vnoquoque ſupponi, quia non eſt ſubſtantiæ demonſtratio. Dubitabit autem quiſpiam,ſi ipſum quid eſt in ſcientijs ſupponitur: nam

de

A de ſubiecto præcognoſcere oportet eſſe & quid eſt. 1. Poſt. tex. 2. quomodo ergo quæruntur in ſcientijs definitiones? An quæruntur quidem antequam affectiones quæramus: cum autem quærimus ea quæ per ſe ſubſtantiæ inexiſtunt, neceſſe eſt prænoſcere ſubiectum eſſe, & quid eſt. Quæruntur igitur illa quoque in ſcientijs, non tamen demonſtratione manifeſtantur, ſed alia ratione. Supponuntur autem cum accidentia quærimus, quorum eſt demonſtratio. Reſtat vt explicemus quomodo vna ſcientia exiſtens, omnes ſpecies entis & ſpecierum ſpecies contempletur, non tamen in meſſem aliarum ſcientiarum deſcendat. Non enim intelligere poſſumus, ens genus eſſe omnium de quibus prædicatur, vt vox genus eſt omnium vocum. Differentiæ enim diuidentes ipſum ens non eſſent entia, cum genus non ſit particeps differentiarum, nec è contra 11. Metaph. cap. 1. Nec etiam accipiendũ videtur pro vno entis genere, vt pro ſubſtantia: nam in eandem diffi-
B cultatem incideremus, ſi vna eſſet ſcientia omnium ſubſtantiarum ſecũdum partem: non enim relinqueretur locus naturali & Mathematico. de ſubſtantijs enim quibuſdam conſiderant ſingulæ, & tot ſunt philoſophiæ partes, quot ſunt ſubſtãtiæ. 4. Metaph. tex. 4. Non ergo prima philoſophia de omni ſubſtantia agit, nec ſpecies ſpecierum ſubſtantiæ quærit. An per ſpecies entis vt ens eſt, intellexit affectiones eiuſdẽ, vt vnum & multa, idem & diuerſum, & eorum ſpecie, vt differentiam, cõtrarietatem, & alia huiuſmodi, quæ entis vt ens eſt naturã inſequuntur? Hæc enim entis & vnius ſpecies appellauit 4. Metaph. tex. 3. affectiones autem per ſe eorundem eſſe dixit 4. Metaph. tex. 5. Cum enim genera entium ad vnum primum ideſt ſubſtantiam reductionem habeant, reliqua eiuſdem affectiones merito appellantur. Non igitur ob id primus philoſophus in meſſem cæterarum ſcientiarum deſcendet: neque propter hæc definitione aut demõſtratione vti cogetur. vniuer-
C ſaliter enim & quod primum in vnoquoque genere eſt, conſiderat, reliqua autem ſecundum partem. Quæ cum hoc modo habeant, qua methodo vtetur ſapientia? An in ſimplicibus & ijs, quorum non eſt altera cauſa, neque reſolutio, neque compoſitio locum habent? neque enim quæſtio aliqua de ijs formari poteſt, neque eorum vlla eſt doctrina 7. Metaph. tex. 60. in omni enim doctrina & quæſtione, aliquid præexiſtere notum oportet, de quo aliquid aliud quæritur: alioqui nihil cõtingit quærere. In ijs autem quæ verè ſimplicia ſunt, quomodo aliud erit quod quærit ab eo quòd præexiſtit? dico autẽ verè ſimplicia, quia aliquando quæſtio fit eorum quæ ſimpliciter dicuntur, vt compoſitarũ ſubſtantiarum, veluti hominis an ſit, & quid ſit: in quibus latet aliud de alio quæri: ſemper tamen cauſa altera quæritur, & aliquid alterum ſupponitur. Ob id bene dictum eſt 2. Poſter. tex. 1. omnem quæſtionem eſſe cauſæ quæſtionem ſeu medij. In ijs autem quæ omnino ſim

pliciа ſunt, ſi quæſtio aliqua formetur, erit eiuſdem de eodem, iccirco D nihil in ijs contingit quærere, quod profecto in ipſo ente vt ens eſt, patet: in omnibus enim ipſum ens ſupponitur non quæritur. Hoc igitur eſt quod intellectus ex ſenſibilibus inductione colligens primum omnium cognoſcit, quo ſuppoſito & manifeſto reliqua perquirit. Quæ autem enti per ſe inexiſtunt, ſciunt quidem, quia cauſam habent, non tamen per demonſtrationem, quia cauſa non eſt altera à ſubiecto, altera tamen ab eo cuius eſt cauſa: medium autem demonſtrationis non ſolum alicuius cauſam eſſe oportet, ſed & alicui 2.Poſt.tex.25. nec etiā definitione, quia vnaquæque completa definitio demonſtrationem continet poteſtate, vt alibi explicauimus. Iccirco reſolutionem quidē aliquam ipſorum & compoſitionem cōcedimus, ſed ſimpliciorem, quia alius modus ſciendi eſt nobilior & perfectior, quàm per demonſtrationem, aut definitionem, omnium autē perfectiſsimus eſt, quo ipſum quid eſt ſimpliciſsimum apprehendimus, primum omniū ſcientiarum E initium. Quoniam autem difficile eſt nobis ea, quæ in natura manifeſtiſsima ſunt, eo modo vti ſunt, cōcipere, iccirco ſimilitudine quadam rationis cum ijs quæ nobis notiora ſunt, ea comparantes, compoſitiones quaſdam comminiſcimur, vnde & definitiones ac demonſtrationes eorundem ſecundum analogiam aſtruimus.

Scientias diſtingui ſecundum genera ſubſtantiæ. Quæſt. IIII.

QVAMVIS entia multis modis diuidantur, & genera diuerſa conſtituant, vno quidem modo quatenus diuerſam prædicandi figuram ſortita ſunt, vnde prædicamentorum genera à locis conſiderata orta ſunt: alio modo quatenus ipſum eſſe diuerſo modo participant, ab vno quodam quæ ſubſtantia eſt deſcendentia, quomodo à primo philoſopho accipiuntur: diſtinctio tamen ſcientiarum neque penes genera prædicamentorum, neque ſecundum diuerſam entium reductionem ad ſubſtantiam aſsignatur ab Ariſtotele, ſed F ſecūdum partes ipſius ſubſtantiæ. inquit enim 4.Metaph.tex.4. tot eſſe philoſophiæ partes, quot ſunt ſubſtantiæ. Quod & ratione illa comprobari poteſt. cum enim in omni ſcientia affectiones de aliquo ſubiecto quærantur, ſola autem ſubſtantia ſubiectum ſit omnium aliorum entium, non enim eſt accidentis accidens, merito de aliqua ſubiecta ſubſtantia omnes ſcientiæ conſiderant. Vbique autem proprie primi & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur, ſcientia eſt.4.Metaph.tex.2. Si igitur huiuſmodi ſubſtantia eſt, penes ipſam omnis ſcientia aſsignanda videtur. Sed hoc tamen multas patitur difficultates. Nam primum, ſi ſubſtātia vnum genus eſt, 1.Phy.tex.50. omnis autem generis vnius vna ſcientia eſt 4.Metaph. tex.2. ergo omnium ſubſtantiarum

tiarum

A tiarum vna erit ſcientia: neque igitur prima philoſophia diſtinguetur à Mathematicis & naturali, genus enim non diſtinguitur a ſuis ſpeciebus. Quòd ſi primus philoſophus de aliqua tantum ſubſtantia agat, nō de omni, quomodo vniuerſalis erit ſciētia? & quomodo de ente quatenus ens eſt vniuerſaliter agat, non quemadmodum reliquæ ſcientiæ genus quoddam circumſcribentes ſecundum partem? vt tradit Ariſt. 6.Metaph. tex.1. & 11. Metaph. cap.3. Præterea circa Mathematicas ſcientias alia oritur dubitatio. Cum enim partem entis ſibi aſſumant 4.Metaph. tex.1. & ſit pars philoſophiæ ſpeculatiuæ. 6.Metaph. tex.2. & 11.Metaph. cap.3. numeri igitur & continuum ſubſtantiæ erunt, ſi omnis ſcientia de ſubiecta eſt ſubſtantia. At ipſum quantum non eſſe ſubſtantiam & ex diuiſione prædicamētorum patet, & ex 12.Metaph. tex.44. vbi inquit, ſolum Aſtrologum de ſubſtātia agere, reliquas Mathematicas, quæ circa numeros & circa Geometriam de nulla ſubſtan-

B tia tractare. Amplius quomodo ex eodem genere fuerint omnia quæ in ſcientia traduntur? vt voluit Ariſtoteles 1.Poſter.tex.20. vbi inquit. Ex eodem genere eſſe oportere extrema & medium demonſtrationis. Si enim ſubiectum in omni ſcientia fuerit ſubſtantia; quæcunque in alijs generibus entis continentur, vt in quanto, quali, & reliquis, non erunt ſcibilia: aut ſcientiæ diſtinguendæ fuerint ſecundum genera entium, vt quædam ſit ipſius ſubſtantiæ, quædam ipſius quanti, vt Mathematicæ, quædam reliquorum generum. Pro ſolutione igitur eorum, primo notandum eſt: ſubſtantiam non eſſe vnum genus vniuocum. Cum.n. ipſum quid eſt vniuſcuiuſque, & partes eius ſubſtantiæ dicantur, item materia, forma, & compoſitum 7.Metaph. tex.7. non ſolum penes hæc ſignificata diuerſo modo ſubſtantiæ dicuntur, ſed etiam ſi ſingula eorum accipiamus. nā ipſum quid tot modis dicitur, vt ipſum ens. 7.Metaphyſico.text.14. ſimiliter materia, forma, & compoſitum:

C ſingula enim eorum non vnum quid ſunt in æternis & generabilibus, nam genere differūt corruptibile & incorruptibile. 10.Metaph.tex.26. Quæ cum hoc modo habeant, diuiſę quidem ſunt ſcientiæ non ſecundum ſignificata illa ſubſtantiæ, quæ dicta ſunt, vt ſcilicet quædam ageret de quid eſt, alia de materia, alia de compoſito: nam hæc quamuis non ſecundum vnum dicantur, ad vnum tamen omnia ſunt, ſcilicet ad eam ſubſtantiam, quę vt forma dicitur: ipſius enim eſt ipſum quid eſt, & materia ideo ſubſtantia eſt, quia potētia eſt hoc, compoſitum autem quia actu id habet: iccirco ſub eadem ſcientia omnia iſta cadunt, quemadmodum vna ſcientia eſt entis vt ens eſt, quia ad vnum cætera habent reductionem. Sed alio modo genera ſubſtantiarum ſcientias diſtinguentia ſumūtur ab Ariſtotele. 12.Metaph.tex.29. & 5. eiuſdem, tres ſcilicet eſſe ſubſtantias, duas quidem naturales, vnam autem immobilem; duas æternas, vnam generabilem & corruptibilem: idcirco

treſ quoque parter philoſophiæ conſtituit. 6.Metaph. tex.2. & 2.Phy. D
tex.71.Mathematicam,Phyſicam, Theologiam, quo autem pacto,inferius patebit. Secundo notandum tria iſta genera ſubſtantiarum eſſe inter ſe proportionabilia. omnia enim affectionibus quibuſdam ſubijciuntur, & vbique ſubſtantia prior eſt & cæterorum cauſa. ideo conueniunt in genere quodam analogo. quod & de principijs eorundem teſtatus eſt Ariſtoteles 12.Metaph. tex.19. & 22. quodammodo enim alia aliorum principia, vt æternorum æterna, corruptibilium corruptibilia, quodammodo verò eadem ſcilicet ſecundum proportionem. Quoniam autem eorum, quæ ſub eadem proportione continentur, quædam ordinem habent inter ſe, vt vnum ſit primum, alterum ſecundum. & de reliquis eodem modo, vt habent animæ partes, & figuræ, & numeri: alia autem nullum habet inter ſe ordinem, vt natantia cum volatilibus, aut os cum ſpina & ſepio: quæcunque quidem conueniūt diuerſis generibus ſecundum ſimilitudinem proportionis quomodocunque, vnius ſcientiæ eſſe innuitur ab Ariſtotele 2.Poſt.tex.23.& 25. E
vbi in demonſtratione medium aliquando analogum ſumi oportere ſcribit. Quòd ſi ex illis ſint, quæ dicuntur ſecūdum prius & poſterius, rationabilius eſt, demonſtrationem primi eſſe, reliquorum autem per primum, quàm è cōtra. In alijs autem nihil refert, cum nullum eorum ſit primum. Communis autem alicuius non poteſt fieri demonſtratio aut definitio, quoniam non eſt aliqua natura eadem in omnibus quæ analoga ſunt. 2.Poſter.tex.23. Quibus hoc modo ſe habentibus ſoluuntur dubitationes circa primam Philoſophiam. Agit enim hæc de primo genere ſubſtantiæ, & de affectionibus primis: reliquæ ſcientiæ de reliquis generibus eorumque affectionibus, & diſtinctæ ſunt inter ſe, vt genera ſubſtantiæ diſtincta ſunt. Quod autem dicitur, ſubſtantiam vnum genus eſſe, intelligēdum eſt ſecundum analogiam, habent enim genera ipſa proportionem cum primo genere. Eodem autem modo F
quæcunque per ſe accidunt poſterioribus generibus, vt motus quies, calidum frigidum, rectum curuum, par & impar, proportionem habēt cum prima contrarietate primo generi aſsignata, ſcilicet vnum & multa, quo pacto reductionē fieri docet Ariſt. 4.Metaph. tex.6. Ex quibus patet, aliud eſſe ad vnum, & analogum. Accidentia enim ad vnum dicuntur, id eſt ſubſtantiam, & materia ad formam: nullam tamen proportionem habent ad illa ad quæ dicuntur, & vnius ſcientiæ ſunt, quia non ſunt ſeparabilia. Analoga autem proportionem habent inter ſe, vt ſubſtantia ad ſubſtantiam, cōtrarietas ad contrarietatem: principia vnius ad principia alterius, & de reliquis eodem modo, ac ſub diuerſis ſcientijs cadunt, quatenus ſcilicet non ſunt eiuſdem generis: ſeparabilia enim ſunt, nō ſolum ratione ſed & ſubiecto. Patet etiam quo pacto prima philoſophia vniuerſalis ſit ſcientia, etiam ſi de vno tantum genere

A nere agat. Cum enim quædam inſint omnibus generibus ſubſtantiæ quatenus analogiam habeat, vt ipſum eſſe,& ipſum vnum,& quæ con ſequuntur hæc : nulla autem ſit natura communis ipſorum analogorum, cui primo inexiſtant affectiones, ſed per primum inexiſtant reliquis : meritò vniuerſalis eſt ſcientia, quia eſt primi generis . Si igitur non eſſet aliqua ſubſtantia prior ſubſtantia naturali, ſcientia de natura prima eſſet philoſophia, & ipſa ageret de ente vt ens eſt & cæteris con ſequentibus . cum autem quędam alia ſit ſubſtãtia immobilis & prior, ad illius ſcientiam pertinet agere de ijs,quæ omnibus generibus inſunt ſecundum analogiam,vt indicauit Ariſtoteles.6. Metaph. tex.3. Circa Mathematicas autem ſcientias videtur fuiſſe Ariſtotelis ſententia,non omnes eſſe inter partes philoſophię recipiendas,ſed ſolam Aſtrologiã. Explicauit autem hoc manifeſtè 12.Metaph. tex.44. vbi Aſtrologiam vocat peculiariſsimam philoſophiam mathematicarum ſcientiarum :
B quia hæc de ſubſtantia quidem ſenſibili, ſed ſempiterna ſpeculatur, cæteræ verò de nulla ſubſtantia agunt, vt quę circa numeros & quæ circa geometriam. colligi etiam poteſt ex enumeratione ſubſtantiarum. 12. Metaph. tex.5. & 29. Cum enim tres ſint ſubſtantiæ,duæ ſen ſibiles & mobiles,altera intelligibilis & immobilis, ſenſibilium autem vna generabilis & corruptibilis, altera æterna : de generabili quidem & corruptibili naturalis eſt ſcientia,de æterna autem & ſenſibili Aſtro logia inter Mathematicas,de immobili autem Theologia. Idcirco tres philoſophiæ partes, quot etiam ſubſtantiæ ſtatuit 6. Metaphy. tex. 2. Phyſicam, Mathematicam, ideſt Aſtrologiam, Theologiam. Videtur autem ſeiunxiſſe cæteras Mathematicas à Philoſophiæ partibus, propter Platonis & Pythagoreorum ſententiam,qui cum omnem ſubſtan tiam in ſuperficies, lineas, & puncta, & tandem in numeros reſoluerent,quorum ſcientiæ Mathematicis aſsignatæ ſunt ; ideo primam phi
C loſophiæ partem Mathematicis tribuebant, vt habetur. 1. Metaphy. cap. 5. Ariſtoteles autem cum oſtendiſſet nulla ex ijs ſeparabilia eſſe 11. Metaph.cap.2.nec inter ſubſtantias numeranda 7. Metaph. tex. 8. meritò eorum ſcientias non eſſe inter philoſophiæ partes reponendas, tanto minus inter primas. Verum enimuero dura hæc videatur ſenten tia, excludi ſcilicet omnino ſcientiam numerorum & magnitudinum, præcipuas Mathematicarum ſcientias à Philoſophia. Nam alibi videtur admittere Ariſtot.6.Metaph. tex.2. vbi tres partes philoſophiæ di ſtinxit, quatenus vna verſatur circa inſeparabilia quidem, ſed non im mobilia, vt eſt naturalis : alia autem circa immobilia quidem, non tamen ſeparabilia fortaſſe, ſed vt in materia, vt Mathematicarum quædam : in quibus verbis manifeſtè ſignificat Geometriam & Arithmeticam, Aſtrologiam autem nequaquam : eſt enim circa mobilia : Primam vero philoſophiam circa immobilia & ſeparabilia. ex quibus col

legit tres partes philoſophiæ. Idem ſignificauit 11. Metaphy. capit. 3. D poſtquam enim oſtendit circa quæ verſetur Mathematicus, vt circa lineas, angulos, numeros, eorumq; affectiones, & circa quæ Phyſicus, & tandem primus philoſophus, concludit Phyſicam & Mathematicã ſcientiam ſapientiæ partes eſſe ponendas. Prętérea alio pacto dubitare licet. Si enim ſubſtantia ſenſibilis & æterna alterum genus eſt à generabili & corruptibili, & ad alteram ſcientiam pertinet ſcilicet ad Aſtrologiam: Naturalis igitur ſolũ erit de generabilibus & corruptibilibus: nam alioqui diuerſorum generum vna eſſet ſcientia. Pertinere autem ad ſcientiam de natura agere de cœleſtibus corporibus, quæ ſola æterna ſunt & mobilia, oſtenditur ex libris de cęlo ab Ariſtotele conſcriptis, qui inter naturales reponuntur. Cum enim natura ſit principium motus in ipſis, vt ex vniuerſali demonſtratione colligitur 1. cęli. tex. 5. non excluduntur à naturali contemplatione. Dicimus igitur, quemadmodum ſubſtantia non vnum genus eſt vniuocum, ſed ſecundum analogiam tribus generibus conuenit, vt oſtenſum eſt: ſic etiam corpus putandum eſt ſecundum analogiam prædicari de corporibus corruptibilibus & æternis. Cum igitur ſub vna ſcientia cadant quæ analoga ſunt, quatenus habent rationis ſimilitudinem: atque huiuſmodi aſcribatur primo generi, quando ſecundum prius & poſterius dicantur: meritò conſideratio de corpore vt corpus eſt & de eius affectionibus, illi ſcientiæ tributa eſt, quę de incorruptibili corpore agit. prius enim eſt æternum corruptibili. Huiuſmodi autem ſcientia Mathematica appellatur. Quoniam autem corpus vt corpus quatenus quidem diuiſibile eſt, includit rationem numeri, nam ex diuiſione numerus cõſurgit 3. Phyſi. tex. 68. quatenus autem ſecundum tria diuiſibile, includit rationem ſuperficiei, quæ ſecundũ duo diuiſibilis eſt; & lineæ, quæ ſecundum vnum: idcirco Mathematica non vna fuit ſcientia, ſed in plures partes diſtributa. Sunt enim diuerſa genera ordinem inter ſe F habentia, vt etiam ſcientiæ. Quædam igitur Aſtrologia eſt, quæ de corpore ſenſibili & æterno agit: quemadmodum prima philoſophia de primo ſubſtantiæ genere. Aliæ autem de ijs agunt, quæ primum quidem inſunt corpori æterno, analogicè autem cæteris corporibus corruptibilibus: perinde ac prima philoſophia, quæ de ente vt ens eſt & eius affectionibus agit, quæ analogicè inſunt cæteris ſubſtantijs. Diuiſæ autem iſtæ ſunt præcipuè in duas partes, ſcilicet in eam quę de magnitudinibus & continuo agit, Geometriam & ſcientiam ſolidorum continens, & eam quæ de numeris eſt Arithmeticam appellatam. Iſtæ igitur philoſophiæ quidem partes non erunt per ſe ſumptæ, nã de nulla ſunt ſubſtantia. Si autem ſumantur adnexæ Aſtrologiæ, particulæ quædam erunt philoſophiæ, & de ſubſtantia hoc modo agent quatenus illius ſubſtantiæ quam tractat Aſtrologus partes quædam ſunt: in-

ſunt

A ſunt enim primo in eius ratione. Quapropter bene dictum eſt, Aſtrologiam eſſe peculiariſsimam Mathematicarum philoſophiam, quaſi & reliquæ aliquo modo philoſophiæ nomine ſint cenſendæ, non tamen ſimpliciter, ſed vt dictum eſt. De naturali autem philoſophia quid dicendum? quomodo ingreditur in Aſtrologiæ negocium? An & natura ſimiliter analoga eſt, vt corpus & ſubſtantia? diuerſis enim generibus ineſt, corruptibili ſcilicet & incorruptibili: vna tamen eorum eſt ſcientia, quatenùs principiũ motus in ſe habẽt, quæ natura eſt: quamq; Mathematicus omnis à ſuis conſiderationibus ſeiungit. Num & hoc ambiguum de Aſtrologia? videtur enim tanquam mobile corpus conſiderare, cum ſyderum curſus velocitates & tempora perquirat. An de ijs agit vt quanta ſunt? continuum enim primo quidem ineſt magnitudini, poſterius autem motui & tẽpori. 3. Phyſ. tex. 70. & 6. Phy. tex. 39. lationum igitur cœleſtium commenſurationes & tempora perquirit
B Aſtrologus quatenus quanta quædam ſunt: nec ob id de motu vt motus eſt, nec de corpore mobili vt mobile eſt, conſiderat. Illud ſolum dubitationem facit. Si natura non vnum quiddam eſt niſi ſecundum analogiam: ineſt autem cœlo & generalibus: propter quid eius conſideratio non delegata eſt illi qui de cœlo agit, vt Aſtrologo? ſed ei qui de altero genere tractat, ideſt de generabili & corruptibili ſubſtantia: cum cœlum prius ſit corpore generabili, & ſimiliter eius motus cæteros omnes præcedat? Quæ enim ſecundum analogiam dicuntur, & ſecundum prius & poſterius, priori generi aſcribenda videntur. An & ſi cœlum ſit prius & circularis latio, natura tamen de ijs poſterius dicitur? accedũt enim magis ad immobilitatem & id quod ſupra naturam eſt, cum vnus tantum inſit motus, isq; non ſecundum totum, ſed ſecundũ partes 4. Phy. tex. 43. Rectè igitur natura generabilibus primo aſcribitur, poſterius autem & ſecundum analogiam corporibus æternis.
C Oppoſito autem modo habuit natura corporis vt corpus eſt: ingenerabile enim & incorruptibile exiſtens 3. cœl. tex. 29. rectè prius quidem ineſt cœlo, poſterius autẽ generabilibus & corruptibilibus: nam hæc & ſi generentur corrumpanturque, non tamen vt corpora ſunt, ſed vt calida frigida, grauia leuia, magna parua, & alia huiuſmodi hęc patiuntur. Meritò igitur Mathematicæ ſcientiæ ſunt de incorruptibili ſubſtantia: naturalis autem de corruptibili. Iterum verò dubitatur. Si contraria eiuſdem ſcientiæ ſunt, quomodo corruptibile & incorruptile diuerſorum ſunt generum? Præterea naturalis vtrunque probat de ſubſtantijs, vt de cęlo ingenitum eſſe & incorruptibile; de grauibus autem & leuibus oppoſitum. An ſubiecta diuerſorum ſunt generum? eſſe autem corruptibile & incorruptibile vnius generis ſunt? potẽtiam enim & impotentiam ſignificant: ſic autem habent mobilitas & immobilitas, motus & quies, & tandem contraria omnia & priuationes.

Agit autem naturalis de vtriſque quoniam corruptibile ad ipſum pertinet: hoc autem tanquam habitus eſt reſpectu incorruptibilitatis: ſcientia enim per ſe eſt ipſius habitus, priuationis autem ſecundum accidens. Relinquitur vltima dubitatio, quomodo ſcilicet ex eodem genere ſint, quæcunque in eadem ſcientia conſiderantur, extrema videlicet & medium. Nam ad vnum dici ea, quæ ſubſtantiæ inſunt, & propter hoc eiuſdem ſcientiæ eſſe de aliquo ſubſtantiæ genere & ijs quæ per ſe illi inſunt, conſiderare, ſuperius eſt explicatum: hoc enim modo diuerſorum generum vnam ſcientiam eſſe poſſe teſtatus eſt Ariſto. 11. Methaph. cap. 3. Quo autem modo eiuſdem generis ſint accidentia & ſubſtantia, nulla ratio eſt. neque enim vniuocum genus eſt, neque analogum. Præterea neque ideo in eodem genere eſſe dicere poſſumus, quia ad vnum dicuntur: non enim excluſiſſet Ariſtoteles accidentia, quæ per ſe non inſunt: omnia enim entia ad vnam ſubſtantiam dicuntur, non tamen in eodem genere ſunt omnia cum ſubiecta ſubſtantia. Innuit autem ſola ea quæ per ſe ſunt in eodem genere eſſe, cum inquit, ſi enim non per ſe, accidentia erunt: quaſi hæc non in eodem genere ſint. Propter hæc putauerunt quidam, in prædicamentis accidentium non contineri proprias ſubſtantiarum affectiones, ſed eas à genere ſubſtantiæ ſeiungi non poſſe: dixeruntq; in eo eſſe, quia ſubſtantiam ipſam concomitentur. Non videtur autem hoc eſſe ex mente Ariſtotelis. nam 5. Metaph. cap. 7. ens per ſe dictum diſtinguit ſecundum genera prædicamentorum: de ente autem per accidens nullam eſſe ſcientiam oſtendit. 6. Metaph. tex. 4. Affectiones igitur propriç, de quibus eſt ſcientia, ſiquidem non diſtribuerentur ſecundum genera prædicamentorum, non eſſet aliud ens per ſe præter ſubſtantiæ genus: reliqua enim eſſent ſecundum accidens. Dicendum eſt igitur aliud eſſe in aliquo genere contineri, aliud ex aliquo generè fluere & originē ducere. Nam omnia quidem prædicamenta ex aliquo genere ſubſtantiæ fluunt, vt longitudines & cæteræ quantitates ex genere corporis: calidum frigidum, graue leue, ex genere corporis corruptibilis, & ſic de reliquis: eadem verò in diuerſis generibus continentur ſecundum figuras prędicamentorum. Quæ igitur per ſe ſunt, ex eodem genere eſſe neceſſe eſt: vel enim inſunt in ratione ſubiectorum, vel ipſa ſubiecta in ratione eorum. Quæ verò per accidens, non ex eodem ſunt genere. ſi enim fluerent ex eo genere, cui accidere dicuntur; determinatam haberent cauſam per quam demonſtrarentur, aut definirentur: at neutro modo, quę accidunt, rationem conſtituunt: eſſent enim per ſe in primo modo, aut in ſecundo: iccirco eorum non eſt ſcientia. Optimè igitur dixit Ariſtoteles ex eodem genere debere eſſe medium & extrema, quia per ſe ſunt: non tamen ob id in eodem genere collocari. Sunt autem eiuſdem ſcientiæ etiam ſi diuerſorum ſint generum:

quia

A quia ad vnum dicuntur, vt ſuperius eſt oſtenſum. Quapropter non fuit neceſſe ſcientias diſtinguere ſecundum genera prędicamentorum. Diuiſis enim ſecundum genera ſubſtantiæ dicta, & reliqua in cæteris prædicamentis contenta diuiſionem recipiunt, prout ex diuerſis generibus ſubſtantiæ prodeunt, aut propria illorum exiſtentia, aut ſecundum analogiam pluribus conuenientia, aut aliqua alia ratione.

Subſtantiarum differentias ex alijs generibus prædicamentorum colligi. Quæſt. V.

NON ſolùm affectiones propriæ ſubſtantiarum in alijs generibus prædicamentorum contineri videntur, ſed etiam ipſæ ſubſtantiarum differentiæ quid eſt explicantes. Nam de affectionibus proprijs ſuperius eſt probatum: de differentijs autem hinc B fiet manifeſtum. Primo igitur non contineri in genere ſubſtantiæ, patet: nulla enim ſubſtantia contraria eſt alteri ſubſtantiæ, 1. Phyſico. tex. 53. & 5. Phyſicor. tex. 10. Differentiæ autem genus quodcunque diuidentes contrariæ ſunt: perfecta enim differentia contrarietas eſt. 10. Metaph. tex. 13. quòd ſi perfecta non fuerit, non omnes ſpecies in diuiſione cadent. Nulla igitur differentia ſubſtantia eſt: continebuntur ergo in alijs generibus. Præterea ſubſtantia formam prædicandi habet in quid: differentia autem in quale. Si igitur genera prædicamentorum diſtincta ſunt ſecundum figuras prædicandi. 6. Metaph. tex. 4. differentia non erit in genere ſubſtantiæ. Sumi autem differentias ſubſtantiarũ ex omni genere prædicamentorum oſtendit Ariſtoteles. 8. Metaphy. tex. 5. vbi Democritum reprehendit inſufficientiæ, ſumebat enim ex tribus tantum ſubſtantiarum differentias, ex figura ſcilicet, ſitu, & ordine: addenda autem vult multa alia genera, & tandem tot eſſe quot C modis ipſum eſt dicitur. Patet etiam exemplo eorum, quæ de animalibus traduntur ab Ariſtotele. 1. de part. anim. cap. 3. & 4. & 1. de Hiſt. cap. 1. differunt enim vel quia habeant aliquid, vel non habeant, vel loco in quibus degant, vel figuris, vel potentijs & impotentijs, & cęteris huiuſmodi. Idem comprobant elementorum differentiæ, calidum ſcilicet, frigidum, humidum & ſiccum, quæ cum materia prima principia ſunt vt actus & forma primorum corporum tãgibilium 2. de Gen. & cor. tex. 6. & 7. Sed hæc dubitationes maximi momenti patiuntur, adeo vt grauiſsimos philoſophos diu torſerint, & in errores multos duxerint. Nam primùm ſi hæc admittantur: quantum, quale, ad aliquid, & reliqua genera erunt priora ipſa ſubſtantia. Quatenus enim formam ſignificant ſubſtantiarum compoſitarum, priora ſunt materia & compoſito: materia quidem, quia actus prior eſt potentia. 9. Metaph. tex. 13. compoſito autem, quia in eius ratione ineſt. ideo ſubſtantia,

vt

vt compoſitum, poſterior eſſe traditur.7. Metaph. tex.9. quatenus verò ipſum, quid eſt, ratio eſt differentiarum : reſoluitur enim ratio in rationes eorum ex quibus componitur. 1. Phyſic.tex. 65. componitur autem ex differentijs, differentiæ priores erunt ipſo quid eſt. At ipſum quid & tandem omnis ſubſtantia præcedit reliqua entia omnibus modis 7.Metaphy. tex.4. Præterea cum cætera prædicamenta præter ſubſtantiam alteri accidant,non enim ſunt ſeparabilia,ergo & ipſum quid eſt ex illis conflatum,& tandem ſubſtantia alteri accidet. Ratio autem hæc colligitur ex.1.Phyſi.tex.29. ſi enim animal & bipes alij accidunt, & homo vtique erit accidentium alteri : at ſubſtantia nulli accidit. Differentiæ igitur non fuerint in prædicamentis accidentium. Amplius pręcipit Ariſtoteles 2. Poſterio. tex.27. ad venandum ea,quæ in quod quid eſt prædicantur, aſſumi oportere quæ de omni quidem prædicentur : & de alijs quoque, at non extra genus : huiuſmodi autē ſi tot aſſumantur, vt totum conuertibile ſit cum definito, eſſe quod quid eſt. Si igitur huiuſmodi ſunt differentiæ,non in alio genere reperientur.eſſent enim extra genus.Hę rationes,aut huiuſmodi,adeo perſuaſerunt aliquos in Peripatetica diſciplina principes,vt eſſentiales differentias incognitas eſſe dicerent,circumſcribi autem per eas, quæ inter accidentia quidem ſunt,repręſentant autem ipſas ſubſtantiæ conſtitutiuas. Idcirco negauerunt primas qualitates tangibiles, differentias eſſe elementorum eſſentiales:& tandem videntes quidem contrarietatem in accidentibus, in ſubſtantia autem nequaquam ; prima entium principia negauerunt eſſe verè contraria.Promouerunt quoque eos in huiuſmodi ſententias, quædam ab Ariſtot.dicta : vt illud 8.Metaphy. tex. 6. vbi poſtquam explicauit exempla multa differentiarum ex vno quoque genere prædicamentorum,inquit: Subſtantia itaque nihil horum eſt,neque ſi ſimul ſumantur, attamen proportionale in vno quoque. Interpretati igitur ſunt,differentias illas in diuerſis generibus prædicamentorū collocatas nullas eſſe ſubſtantias: ſed aliquid aliud quod per illas circunſcribitur formam eſſe ſubſtantialem, huiuſmodi autem latere.Item quod ſcribitur.5.Phy. tex.10. in ſubſtantia non eſſe motū, quia in ſubſtantia non eſt contrarietas : quaſi differentiæ ſubſtantiam diuidentes non ſint contrariæ,ne cogantur ex alijs generibus colligere. Et 5.Phyſ.tex.7. generationem & corruptionem mutationes eſſe in contradictione, motum autem in contrarijs,aut medijs.Ex quibus collegerunt principia generabilium & corruptibilium non eſſe verè contraria, ſed oppoſita ſecundum habitum & priuationem : huiuſmodi enim oppoſitio contradictio eſt in determinato genere. 10. Metaphy. tex.15.Sed hæc quantū recedant à mente ſummi philoſophi, facile eſt videre.Nam ſi differentiæ ſubſtantiam conſtituentes laterent, quomodo doceret venari ipſum quid eſt, aſſumendo ea quę non extra genus ſunt?

D E F

A ſunt? nam hæc latere dicunt, iccirco aſſumi ex alijs generibus. Prætere-rea ſi liceat ex accidentibus conſtituere definitionem, quomodo differet à deſcriptione? Amplius quæ inſunt in definitione alicuius, illud non ineſt in definitione eorum. 1.Phyſ.tex.29. ſubſtantia autem ineſt in definitione accidentium. 7.Metaph.tex.4. non ergo accidentia aſſumi poſſunt in definitione ſubſtātiarum. Neque etiam ſi repræſentent differentias ſubſtantiales, ob id definitionem aſtruent: non enim definitio eſt ſi oratio idem ſignificet quod nomen, nam omnis oratio definitio eſſet. 7.Metaph.tex.13. quocunque enim nomine repræſentare poſſumus orationem quamcunque, ſimiliter etiam & rem quamcunque: imponuntur enim nomina ſecundum placitum. Nomen igitur accidentis ſignificatiuum ſignificare poſsit ſubſtantialem differentiā, at hoc modo non erit ignota, vt ipſi ſtatuunt: non enim ſcientia conſiſtit in impoſitione nominum: rem autem ignotam quomodo repræ-
B ſentabunt, aut quomodo ſcientiam parient? Sed ſecundum magnam quidem partem conferunt ad cognoſcendū quid eſt. 1.de An.tex.11. quia poſtquam habuerimus notitiam aliquam accidentium, facilius poſſumus ipſum quid eſt inuenire: ipſam autē tradere rei ſubſtantiam impoſsibile eſt. De primis autem tangibilibus contrarietatibus inferius ſpeculandum erit ex proprijs rationibus, vtrum ſubſtantiam elementorum conſtituant an non, idcirco nunc prætermittatur earū ſpeculatio. Quòd autem prima generabilium principia negauerunt eſſe verè contraria, ſimiliter repugnat ſentētiæ Ariſtotelis. 10.Metaph.16. cum inquit. Si itaque generationes ipſi materiæ ex contrarijs (fiunt autem aut ex ſpecie & habitu ſpeciei, aut ex aliqua priuatione ſpeciei & formæ) patet quod omnis quidem contrarietas priuatio eſt, priuatio vero non omnis fortaſſe contrarietas eſt. Cauſa verò eſt, quia multipliciter priuari contingit quod priuatū eſt: è quibus autem vltimis tranſ-
C mutationes, hæc contraria ſunt, & quæ ſequuntur. In poſtremis igitur his verbis manifeſtat veram contrarietatem principiorum non eſſe ſecūdum habitum & priuationem ſimpliciter, ſed aliquam priuationem eſſe, quia omnis contrarietas priuatio eſt, non è conuerſo. Amplius ſi differentię genus diuidentes conſtitutiuæ ſunt ſpecierum, priuatio autem vt priuatio eſt nullam ſpeciem conſtituit: nulla igitur ſimpliciter priuatio differentia erit. Quòd ſi in omni genere vna contrarietas, erit in ſubſtantia vera contrarietas non autem oppoſitio ſecundum priuationem. Relinquitur igitur, vt ad obiecta reſpondeamus. Principium autem illorum eſt: genera prædicamentorum non eſſe genera conſiderata in ſcientijs, ſed apud logicos, qui diuerſam prædicandi formam perquirunt: idcirco ſub vna ſcientia continentur, quæ in diuerſis ſunt prædicamentis: nam ex eodem genere dicuntur eſſe medium & extrema, quia per ſe ſunt vt ſuperius eſt explicatum. Quæ igitur ſunt ſecundum

dum accidens, ex alijs ſunt generibus, quamuis forte eandem figuram D
prædicandi habeant. Verbi gratia animalibus omnibus ineſt eſſe graue, at ſecundum accidens, non enim ſecũdum quod animal graue eſt, ſed forte ſecundum quód terreum quippiam: huiuſmodi igitur corpori grauitas per ſe inerit, alijs autem ſecundum accidens: quapropter extra genus animalis eſt ipſa grauitas, ſed non extra genus terreſtrium corporum, quamuis eandem prædicandi figuram habeat in omnibus. Accidentia igitur, id eſt quæ non per ſe inſunt, non poſſunt conſtituere ipſam ſubſtantiam, imo neque omnia quę per ſe ſunt, ſed ea tantum quæ ſunt in primo modo dicendi per ſe: iſta enim quid eſt ſubiectorũ explicant. 1. Poſter. tex. 9. Ex quibus facile ſoluũtur dubitationes. Non enim ſequitur accidentia priora eſſe ipſa ſubſtantia. quæ enim in primo modo ſunt dicendi per ſe, non accidentia ſunt, quamuis figuram prædicationis habeant vt accidentia. Quod autem dicitur ipſum quid eſt præcedere reliquas prædicationes: quantum enim, quale, ad aliquid, & reliqua prædicamenta non ſunt ſeparabilia ab ipſo quid eſt: E
ſimiliter etiam verum eſt, non ſolum de ijs quæ accidunt, ſed etiam de ipſis differentijs: poſteriores enim ſunt ipſo quid eſt, quemadmodum omnia vniuerſalia. Alio tamen modo ex priores ſunt, quatenus ſcilicet partes ipſius quid eſt, vt enim pars eſt prior toto, ſic differentiæ ipſa ſpecie. ſed hæc conſideratio alia eſt ab illa, qua cõſideratur forma prædicandi: nam ſecundum hanc aſsimilantur ipſi toti, vniuerſale enim totum quoddam eſt. 5. Metaph. cap. 25. Circa alteram verò dubitationem, qua videtur ſubſtantia alteri accidere: ſi quidem ea quæ ſunt in prædicamentis accidentium, ſumerentur in definitione alicuius, vt accidentia alteri, etiam illud alteri accideret, vt concludit ratio Ariſtotelis. Sed non accipiuntur, vt accidentia, quæ in definitione aſſumuntur, quamuis accidere alteri poſsint. Non tamen omnia vnicuique accidere poſſunt quæ per ſe inſunt alicui, vt ſenſitiuum nequaquam ineſſe poſsit ei quod non eſt animal, lapidi enim neque per ſe, neque per accidens ineſſe contingit. Figura autem & color, & grauitas, & leuitas, multis inſunt ſecundum accidens, cum tamẽ eorum ſingula alicui per ſe inſint. Ratio autem eſt, quoniam quæcunque per ſe inſunt prioribus generibus, inſunt etiam poſterioribus, verbi gratia ſi figura differentia per ſe eſt ſuperficiei, erit etiam corporum omnium ſuperficie cõtentorum, vt terræ, lapidis, animalium: ſed non ſecundum quod ipſa: per accidens igitur, ideſt ſecundum aliud. Quæ autem poſterioribus inſunt, non ex neceſsitate inſunt ſuperioribus, vt quod ineſt homini quatenus homo, vt ratione vti, non ex neceſsitate ineſt animali, multo minus corpori: per accidens tamen ineſſe poſsit, quia homo animal eſt & corpus: illi autem qui homo non eſt, neque per ſe, neque per accidens ineſſe poſsit. Quando autem contingat, vt quæ per ſe inſunt F

ſuperio-

A ſuperioribus generibus per ſe etiam inſint inferioribus, alibi oſtendemus. multa enim huiuſmodi in definitione eorum ſunt tanquam rationis materia. Adhuc verò inſtabit quis: æquiuoce dici, ſi aliquid vni ſit ſubſtantia, alteri accidens. An hoc quidem verum eſſet ſi accidentis aliqua natura eſſet per ſe? eſſet enim eius altera diffinitio. At ſi hoc eſſet, haberetur eius ſcientia, contra ea quæ determinata ſunt. 6. Metaph. tex. 4. Verum cum ſit quaſi non ens, nomine enim ſolum videtur eſſe ipſum accidens, ſi quid eſt, non eſt extra id quod per ſe eſt: non igitur æquiuoce dicitur calor in igne & in alijs corporibus, & ſanatiuum quod ineſt Medico & Fabro. Tertia dubitatio, qua oſtenditur, ea quæ aſſumuntur ad explicandum quid eſt, non eſſe extra genus illius quod definitur, ſignificat ea non conuenire alijs generibus, niſi fuerint ſubalternatim poſita, vt in ante prædicamentis ſtatuit cum dixit: Diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ
B ſunt ſpecie differentiæ. Non enim differentiæ vnius generis aptari poſſunt alteri generi, ſi per ſe ſint: per accidens autem nihil prohibet, vt ſi bipes aut multipes accommodetur, non quidem pedes habenti, cuius per ſe differentiæ ſunt, ſed plumoſo, aut implumi, aut aliis huiuſmodi, quorum per accidens differentiæ ſunt. 1. de part. ani. cap. 2. In ſubalternis autem contingit. vt aquatile & terreſtre, non ſolum differentia per ſe eſt auium; ſed etiam animalium: nec animalium ſolum; ſed etiã viuentium corporum, vt plantarum. Obiter autem hic explicandum videtur, cur diuerſorum generum diuerſæ ſpecie ſint differentiæ, non autem genere. Viderentur enim ſi in eodem genere ſunt cum iis quorum ſunt differentiæ, ſi quidem illa diuerſa ſunt genere, & ipſæ quoque eſſe. An hoc quidem neceſſarium eſſet, ſi differentiæ in eodem prædicamento eſſent cum genere cuius ſunt differentię? Quoniam autem ex alijs generibus prædicamentorum ſumuntur; ex eodem aliquo
C genere, verbi gratia ex qualitate ſumi poſſunt diuerſorum generum differentiæ, quæ tamen inter ſe ſpecie ſolum differant, vt rectum & curuum differentiæ magnitudinis, par autem & impar numeri. Quomodo autem dicantur differentiæ eſſe ex eodem genere cum eo cuius ſunt differentiæ, ſuperius eſt explicatum, ideſt non ſecundum formam prædicandi, ſed quatenus per ſe inſunt. Ad locum autem in 8. Metaph. tex. 6. vbi videtur negare differentias ex prædicamentis accidentium ſumptas, ſubſtantias eſſe, ſed accipi loco ſubſtantiarum, quia latent; dicimus, male expoſitum eſſe ab iis, qui in eam ſententiam interpretati ſunt. non enim hoc dicunt verba eius. Sed, quoniam exempla multa tradita ſunt in ijs quæ ab arte fiunt, & alijs quæ non ſunt ſubſtantiæ, ſimilitudinem tamen habent & proportionalem rationem cum ſubſtantijs; iccirco dixit, ſi quidem ſubſtantia cauſa eſt cur vnumquodque ſit, huiuſmodi autem eſt, quæ ſecundum ſpeciem dicitur: ſimiliter intelligendum

gendum in vnoquoque quod ſubſtantia quidem non eſt, ſed propor D
tionem habet cum ſubſtantia, in omnibus enim ſpecies & actus cauſa
eſt ipſi materiæ, vt ſecundum vnamquamque prædicationē ſit. Quòd
autem per verbum illud, proportionale, hoc ſignificauerit; oſtendūt
verba illa, quæ ſtatim ſequuntur: & quemadmodum in ſubſtantiis,
quod de materia prædicatur, ipſe actus eſt, & in alijs definitionibus ma
ximè, vt ſi limen definiatur, dicetur lignum aut lapis ſic poſitus, & quę
ſequuntur. Actus enim per quem limen eſt, poſitio eſt, materia autem
lignum aut lapis, eodem modo ſe habet in ſubſtantijs. Actus autem
omnes cuiuſque materiæ ſumuntur ex generibus, quæ paulo ſuperius
enumerauit: idcirco ex ijs etiam cauſæ cur ſingula ſint, & tandem ea
quæ ſpeciem, & ipſum quid eſt, explicent, petentur. Significauit hoc
idem Ariſtoteles. 1. Phyſic. tex. 63. vbi modos generationis ſubſtantię
enumerauit, qui proportionem habent cum ijs, quę ab arte fiunt. Sed
locus ſupra citatus. 5. Phyſi. tex. 10. maximè angit, vbi motus negatur E
in ſubſtantia, quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium. Non enim ſatis fa-
cere videtur reſponſio illa: intelligere ſcilicet Ariſtotelem de ſubſtan-
tia compoſita, non autem de partibus ſubſtantiæ, ideſt de differentijs,
quæ contrariæ eſſe conceduntur. Nam hoc admiſſo, vt contrarietas in-
ſit ipſis ſubſtantijs ſecundum formas, redditur vana argumentatio Ari
ſtotelis. Non enim quia contrarietas non adſit ſecundum ſubiectum,
aut ſecundum quod compoſitum eſt, ob id negandus videtur motus.
eſt enim motus cum ex homine albo fit homo niger, non tamen con-
trarietas adeſt neque ſecundum ſubiectum hominem, neque ſecundū
compoſitum ſcilicet album hominem, ſed ſolum ſecundum alteram
partem ſcilicet albedinem. Neceſſe igitur eſt, ſi argumentatio Ariſto-
telis bene concludit, vt negetur à ſubſtantia cōtrarietas ſecundum for-
mas. An ſimiliter quoque dubitauit Ariſtoteles. 1. Phyſ. tex. 52. & 53?
vbi concluditur ratione ſubſtantiæ principia non eſſe contraria: pri- F
mum quia contraria nullius eorum quæ ſunt, ſubſtantiæ videntur: di-
cuntur enim omnia contraria de ſubiecto: ſi autem principia de ſubie
cto dicerentur, eſſet principiorum principium, ſcilicet ſubiectum,
quod prius eſt prędicato. Deinde cum fiat tranſmutatio in ſubſtantia,
ſiquidem in contraria fieret huiuſmodi tranſmutatio, aut vna ſubſtan-
tia contraria eſſet alteri ſubſtantiæ, aut ex non ſubſtantia fieret ſubſtan
tia: vtrunque autem impoſſibile eſt. Solui autem has rationes teſtatur
ſuppoſita materia: quā ſolutionem explicat. 1. Phyſi. tex. 67. inquiens:
principia quodammodo eſſe contraria, quodammodo non contraria:
Contraria quidem, quia rationes eorum contrariæ ſunt, ſpeciei, ſcili-
cet & priuationis: non contraria autē, quia aliud eſt ſubiectum quod
non eſt contrarium, inſeparabile tamen à contrarijs: Hoc igitur cum
priuatione vnum numero exiſtens minimè contrarium eſt eidem cum
ſpecie

A ſpecie exiſtenti, quamuis rationes vtriuſque ſint contrariæ. Num igitur & nobis eodem pacto ſoluere licebit dubitationem propoſitam? Vt igitur clarior fiat ſolutio, dicamus, Tranſmutationem in ſubſtantia cum reliquis tranſmutationibus in eo differre apud Ariſto. 5. Phyſ. tex. 7. quod illa quidem ex non ſubiecto in ſubiectum eſt, vel è conuerſo: reliquæ autem mutationes omnes ſunt ex ſubiecto in ſubiectum. Quod ideo dictum eſt, non quia tranſmutatio ſecundum ſubſtantiam non fiat ex ſubiecto aliquo: oſtenditur enim 1. Phyſ. 62. omnem ſimplicem tranſmutationem fieri ex ſubiecto aliquo non minus quàm alterationem, & cæteros motus. Sed quia conſideratio ſubiecti in tráſmutatione ſecundum ſubſtantiam, non eſt tanquam actu exiſtentis, ſed tanquam potentia, quo modo nequit affirmatione monſtrari, ſed negatione tantum ſignificatur; Idcirco ſecundum contradictionem dicitur huiuſmodi mutatio, non ſecundum contrarietatem: contra-
B rietas enim omnis in ſubiecto eſt, ſubſtantia autem nequaquam. præcedit enim ſubſtantia omnem prædicationem. Quoniam autem in omni tranſmutatione ſubſtantiæ ratione includitur contrarietas, neceſſe eſt & ſubiectum aliquod actu exiſtens includi, cuius ratione mutatio fiat, non ſimpliciter ſecundum contradictionem, ſed ſecundum contrarietatem, & omnia affirmatione monſtrari, vt induxit Ariſtoteles. 1. Phyſ. tex. 63. ſed de his magis erit manifeſtum, cum de generatione loquemur. Patet igitur propter quid dixit Ariſtoteles in ſubſtantia nõ eſſe motum, ſed mutationem ſecundum contradictionem: contrarietas enim quæ eſt in ſubſtantia, ratione tantum includitur, cum reſoluimus compoſitum in ſubiectum & contrarietatem: non autem quatenus ſubſtantia eſt. hæc enim componitur non ex ſubiecto & contrarietate ſed ex materia & forma, ideſt potentia & actu, quatenus hæc vnum per ſe ſunt, non ſecundum accidens. Hinc etiam patet differen-
C tias non eſſe ſubſtantias: contrariæ enim ſunt. at dicuntur ſubſtantię, quatenus accipiũtur vt ſubſtantiarum partes, ſcilicet vt actus materię. Quibus explicatis nihil amplius videtur obſtare, quo minus differentiæ cuiuſque generis ſint contrariæ, & ob id ſumantur ex cæteris prædicamentis, non tamẽ vt accidentia ſunt, ſed vt per ſe in primo modo. idcirco partim quidem dici poſſunt ſubſtantiæ, partim non: vt etiam ſolet appellare Ariſtot. in prædicamentis, vt enim partes ſubſtantiæ, ſubſtantiæ ſunt dicendæ: vt autem alteram formam prædicandi habent, dicendæ ſunt qualitates. vtrunque autem coniungentibus, qualitates circa ſubſtantiam appellantur, & prædicantur in quale quid. Nec mirari quis debeat, cur potius qualitates appellentur, cum in cæteris prædicamentis reperiantur. Nam hoc accidit, aut quia plurimæ in eo ſunt prædicamento: aut quia vndecunque ſumantur, repræſentant qualitatem circa genus, vt bipes quale quoddam animal.

5. Me.

5.Metaph.cap.14. Eodem modo genus dicitur ſignificare qualitatem circa ſubſtantiam in prædicamentis:& tandem omnia vniuerſalia qualia dicuntur. 7. Metaph. 48. Nam & genera differentiæ quædam ſunt circa aliquam materiam, & omnia vniuerſalia differentiæ quædam ſunt circa ſingularia. D

Vnicam differentiam etiam ſi vltima fuerit, non ſufficere ad ipſum quid eſt explicandum. *Quæſt. V I.*

RECEPTVM quidem eſt vulgò, vniuſcuiuſque rei vnam eſſe differentiam vltimam, in qua reliquę antecedentes virtute cõtineantur: iccirco illam ſolam conſtituere ipſam ſpeciem, & per illam ſolam definitiones dari poſſe. Quoniam verò in diuerſarum rerum examine huiuſmodi vltimam non inueniunt, inquiunt vltimas differentias ignotas eſſe,iccirco cogi per accidentia definire. Afferunt quoque in hanc ſententiam Ariſtotelis teſtimoniũ. 7.Metaph. tex.43. vbi in definitionibus ſecundum diuiſionem datis, ſi non ſuperflua futura ſit, crebro iiſdem repetitis,neque diuiſio ſecundum accidens fiat, inquit: Manifeſtum eſt, quod vltima differentia rei ſubſtantia erit & definitio. Putauerunt enim illud Ariſtotelem concludere tanquam verum ex veris, non tanquam abſurdum ex prauo definiendi modo ſecundum diuiſionẽ,vt Plato faciebat. Res autem tota explicatur. 1.de Part.ani.cap.2.& 3. Nã præter alia abſurda & impoſsibilia quæ ſequuntur ex bipartita diuiſione,qua vtebatur in ſpecierum vltimarum inuentione, & earundem definitione, differentiarum differentias continuè facientes,duo potiſsimum contingebant. Vnum quod ſæpe cogebantur aſſumere differentias ſecundum accidens, ex quibus non fit vnum per ſe, quemadmodum vnum eſt ipſum quid eſt. Aſſumebant autem differentias ſecundum accidens,cum ad hominis definitionem,animal bipes diuidebant in habens alas & earum expers.non enim habere alas bipedis differentia eſt vt bipes, ineſt enim vtrunque etiam non bipedi, vt Muſcis, & formicis: quemadmodum ſi diuiderent in album & nigrum, quæ nec etiam animalis differentię ſunt: inſunt enim & non animali. Alterum autem abſurdum contingebat, cum omnes differentias per ſe aſſumebant. Nam aut ſuperflua reddebatur definitio, repetitis ſæpe iiſdem: aut vnica tantum differentia, vltima ſcilicet; erat rei diffinitio. Fiebat autem huiuſmodi repetitio,cum antecedentes differentias vſque ad vltimam ponerent. cum enim in vltima includantur antecedentes, fruſtra ponuntur antecedentes poſita vltima. exempli gratia habere pedes differentia eſt animalis, duo autem pedes habere, illius differentiæ differentia per ſe eſt: quatenus enim pedes habet,dicitur bipes aut multipes: in bipede igitur includitur habere pedes: E F

nam

A nam ſi trãſponantur differentiæ,manifeſtius fiet, cum ſcilicet dixerimus,animal bipes habens pedes: fruſtra enim ponitur habens pedes dicto bipede: non deberet autem ordo alterare definitionem, quoniam in ſubſtantia non eſt ordo.Quòd ſi aufugere velint repetitionẽ, vnica tantum differentia ſcilicet vltima,integra erit rei definitio,& tot numero erunt ſpecies ſub aliquo genere, quot ſunt illius diuiſionis differentiæ indiuiſibiles in alias differentias,vt ſub genere habentium pedes, ſiquidem bipes indiuiſibilis ſit in alias differentias, cum ſit vltima,vnica erit bipedum animaliũ ſpecies vltima. Multipedum autem ſiquidem alia fiſſos habent pedes, alia non fiſſos, vt quæ ſolidam habent vngulam: habentia autem fiſſos, aut in duas partes, vt biſulca, aut in plures,vt quorum pedes deſinunt in digitos, ſecundum numerum ſciſsionis pedum,erit numerus ſpecierum vltimarum: vt enim ad indiuiſibiles differentias peruenitur,ſic ad ſpecies indiuiſibiles in alias B ſpecies. Sed hæc omnia quàm ſint abſurda,manifeſtum eſt. Nam aliquando plures ſunt ſpecies, quàm vltimæ differentiæ, vt habentium pedes non ſciſſos reperitur equus, aſinus, camelus, quorum non eſt amplius differentia ſecundum pedes: Et biſulcorum ſimiliter multæ ſpecies reperiuntur: nec non eorum quorum pedes in quinque digitos ſunt ſciſsi: differentiæ tamen illæ indiuiſibiles ſunt in alias differentias per ſe exiſtentes. Aliquando autem pauciores ſunt ſpecies quàm differentiæ: non enim differentia quæ ſecũdum priuationem dicitur, ſpeciem aliquam conſtituit ſola.neceſſe autẽ eſt illis bipartito diuidentibus priuationes aſſumere pro differentiis vltimis. nam priuatio vt priuatio non ponit aliquam naturã. & multo minus priuationis erunt aliæ differentiæ. differentiæ enim ſunt eius quod eſt, non eius quod non eſt.Si igitur non ſunt æquales ſpecies ipſis differentijs vltimis,ſed omnis differentia vniuerſalis exiſtit & prædicabilis eſt de pluribus ſpeC ciebus; fieri nõ poteſt,vt vnica differentia ſit alicuius ſpeciei definitio. Omnia autem hæc contingunt ex modo definiendi per diuiſionem bipartitam,quem modum etiam Porphyrius exempli gratia tradit in conſtitutione arboris ſubſtãtiæ, vnde forte orta eſt occaſio errandi in Peripatetica doctrina. Ariſt. igitur vt huiuſmodi errores euitaret,præcepit genus ſtatim diuidendum eſſe pluribus diuiſionibus, non vnica tantũ,vt altera ratio faciebat. vniuſcuiuſque autẽ diuiſionis vltimas tãtum differẽtias colligendas eſſe ad vltimarum ſpecierum definitionẽ, ne ſuperflua redderetur. cum igitur ſingulæ ampliores eſſent, idcirco tot aſſumebat donec oẽs cõiunctim æquales eſſent cum ſpecie: ſic.n. propriã fieri vniuſcuiuſque definitionẽ: atq; hoc modo neq; aſſumentur differentiæ ſecũdũ accidens,cũ nullę ex ijs ſint extra genus primũ: neq; ſuperfluum quid aderit,cum ſolum vltimæ differẽtiæ aſſumãtur: neq; diminutum,cum nõ prætermittatur aliquid eorum, quæ in quid

eſt prędicantur, quemadmodum prætermittitur ab ijs qui vnicam D tantum differentiam aſſumunt in definitione. Quæ tres conditiones ab Ariſtotele notantur.2.Poſter.tex.4.Ex quibus etiam patet non eſſe ordinem in ſubſtantia. 7.Metaphy.tex.43. nihil enim refert ſiue vna præcedat, ſiue altera, cum altera non ſit alterius differentia, ſed omnes vnius. Non videtur autem Ariſtoteles. 7. Metaphyſ. tex.43. inferre tanquam abſurdum vltimam differentiam eſſe rei definitionem: quoniam non erat eius intentio in illo loco methodum illam redarguere, cum alibi abunde feciſſet. ſed volebat oſtendere quomodo ea quæ in definitione ponuntur, vnum quid ſunt. oſtenditurque hoc primùm in definitionibus ſecundum diuiſionem traditis, vnum eſſe, quia vna tantum differentia vltima definitio eſt, ſi ritè fiat. Quoniam autem hoc non contingebat in alijs definitionibus, idcirco alia ratione oportuit oſtendere vnitatem partium definitionis, quod poſt multas dubitationes tandem oſtendit.8.Metaph.tex.15.& 16. Sed vt hæc clariora E fiant, bonum fuerit aliquantum dubitare aduerſus ea quæ dicta ſunt. Primum igitur ſi generis vnius vna eſt contrarietas 1. Phyſic. tex. 50. contraria autem in vnam ſpeciem componi nequeunt, eſſet enim mixtio: neque igitur plures differentiæ vltimæ coniungi poterunt ad aliquam ſpeciem conſtituendam: nam illas inter ſe rationem contrarietatis habere neceſſe eſt, cum ex eadem oriantur diuiſione. vna igitur erit vltima vniuſcuiuſque differentia. Quòd ſi plures differentiæ vltimæ ex diuerſa contrarietate aſſumantur; ſpecies igitur vna ſub diuerſis generibus collocabitur: aut vnius generis plures erunt contrarietates, non vna. Præterea ex duobus in actu non poteſt fieri vnum 7.Metaph.tex.49. differentiæ autem huiuſmodi ex diuerſa contrarietate ſumptæ actus plures ſunt: non enim vna eſt alterius actus licet ſint ambæ ipſius materiæ: non ergo vnam ſpeciem & vnum quid eſt, conſtituent. Ad primam dubitationem dicimus: Genera quidem F ſimplicia vnicam contrarietatem habere: ſimplex enim non niſi vnico modo diuiſibile eſt, vt linea ſecundum vnum, ſuperficies ſecũdum duo: Genera autem compoſitionem multam habentia multis modis diuidi poſſe rationi eſt conſentaneum. Sunt autem ſimpliciſsima genera ſumma, non enim componuntur ex alijs: inter quæ eſt ſubſtantia, cuius contrarietas ſumma, ad quam cæteræ reducuntur tum in eo prædicamento, tum in reliquis, eſt habitus & priuatio. Maximè autem generis ſimplicitas apparet in ſenſibilibus qualitatibus, vt in coloribus album & nigrum, in ſaporibus dulce & amarum, & in cæteris eodem modo: vnica enim contrarietate diuiduntur non pluribus, quia genus in his ſimplicem differentiam ſignificat: at in ſubſtantijs compoſitis hoc minimè contingit. genera enim in his non vnam ſignificant differentiam ſimplicem, ſed multarum complexionem. Si igitur

ſingulæ

A ſingulæ differentiæ diuiſionem recipiant, neceſſe eſt huiuſmodi genera multiplici diuiſione diuidi, non vnica. Quod autem dixit Ariſtoteles in omni genere vno vnam eſſe contrarietatem, per vnum genus ſignificauit ſimplex, qualia ſunt & genera ſumma, & differentiæ omnes ſimpliciter acceptæ: hæ enim ſi diuidantur, genera quædam ſunt ſimplicia. Verum inſtare quis poſsit: ſi quorundam generum vna tantum contrarietas eſt, ſequetur ſaltem definitiones eorum quæ ſub illis proximè continentur, per vnam tantum differentiam aſsignari poſſe, vt album per id quod eſt diſgregatiuum viſus, perfectè definietur: genus enim fruſtra videtur poni, ſiquidem virtute includuntur in vltima differentia omnia ſuperiora, vt voluiſſe videtur Ariſtoteles. 7. Metaphyſ. tex. 43. nam alioqui non bene concluderet ibi vltimam differentiam eſſe rei definitionem, niſi in ea includeretur genus. At ſi hoc eſſet, quomodo ipſa definitio definitum in partes
B diſtingueret? nam definitionis eſſe partes manifeſtum eſt. 1. Phyſic. tex. 5. & 7. Metaph. tex. 33. Vnica autem differentia definitionem complens æque totum dicit, vt definitum indiſtinctè: non enim partes numerat. An in differentia non includitur genus? eſſet enim genus pars differentiæ: at neutrum alterius participare teſtatur Ariſtoteles. 7. Metaphyſ. tex. 42. quod & figura prædicandi oſtendit. genus enim prædicatur vt ſubſtantia, differentia autem vt quale: animal enim non aliquid alterum eſt, ſed ſimpliciter: bipes autem non ſimpliciter eſt, ſed aliquid alterum, vt animal vel homo: diuerſa igitur genere ſunt, nec vnum ſub altero continetur. Idcirco neceſſe eſt in omni definitione genus apponere. At ſecundum modum definiendi apud Platonem genus erat ſuperfluum: cum enim differentiæ differentiam continuè diuidendo faceret, poſteriores differentiæ omnia ſuperiora includebant, vt ſpecies includit genus. Quemadmodum
C igitur ſuperfluum eſt dicere animal homo: ſic ſuperfluum, pedes habens bipes: includitur enim animal in homine, & in bipede habens pedes, quod in definitionibus eſt aufugiendum. Hoc autem minimè contingit in modo definiendi apud Ariſtotelem. differentiæ enim adiunguntur generi vt actus materię, non vt inferiora ſuperioribus: iccirco non redditur ſuperflua definitio, imo diminuta eſſet, ſi genus auferretur. Adhuc verò inſtabit quis: ſi differentia non eſt extra genus, includetur genus in eius ratione, vt naſus in ratione ſimitatis: hoc autem modo vanum fuerit genus addere: eſſet enim nugatio, vt oſtenditur. 7. Metaphy. tex. 18. An differentia non ob id eſt in genere niſi ſecundum accidens? quia enim ſpeciebus per ſe ineſt, ideo extra genus non eſt: neque ineſt in eius ratione genus, niſi quatenus eſt in ratione ſpecierum: vt par & impar ſine numero non videntur definiri poſſe, quia per ſe inſunt ſpeciebus numeri. Similiter ſimum non

omni naſo ineſt ſed curuo: curuo igitur naſo primo, & per ſe ineſt: D
ſimpliciter autem naſo per accidens, non enim eſt reciprocum, quemadmodum requiritur ad vniuerſale primum efficiendum. Quo autem modo diſcernenda ſint ea, quibus aliqua inſint per ſe, & quibus per accidens, per ſe autem quibus in ratione eorum, quibus è conuerſo, explicatum à nobis eſt aliàs. Amplius autẽ inſurgit dubitatio: videtur enim poſterior differentia vbique antecedentem includere: nam ſi ſpecies ſunt ſicut numeri. 8. Metaph. tex. 10. numerorum autem poſterior omnes priores includit: etiam differentiæ poſteriores reliquas includent, inter quas numeratur & genus: eſt enim differentia quædam. ſatis igitur erit vltima differentia ad definitionem complendam. quod patet in animæ differentijs. cum enim ſenſitiuum includat vegetatiuũ vt ternarius binarium, ad animalis definitionem ſatis erit ſenſitiuum dicere, & ad hominis definitionem rationale: hoc enim reliquas differentias includit. quòd ſi in his liceat hoc modo facere, cur non & E
in reliquis omnibus idem contingat? Dicimus ſimilitudinem numerorum apud Ariſtotelem in hoc eſſe, vno modo quatenus ſpecies & ipſum quid eſt diuiſibilis eſt in indiuiſibilia, vt numerus in vnitates: alio modo quatenus addita, aut dẽpta vna differentia non eſt amplius ſpecies & quid eſt, non tamen ex hoc ſequitur, vt alia ſit ſpecies: non enim quælibet differentiarũ congregatio ſpeciem cõſtituit. Præterea, quemadmodum vnitas quæ additur, reliquas vnitates non continet, eſſet enim idem quod numerus: ſimiliter etiam differentia addita, ſi quidem aſsimilatur vnitati, non continebit ex neceſsitate reliquas differentias. De ſpeciebus autem non tenet ſimilitudo, vt quemadmodum ſpecies numerorum alios numeros cõtinent, ſic vna ſpecies ſubſtantiarum alias contineat. non enim eſſent vltimæ, ſed vna ad alteram ſe haberet, vt totum ad partes. Quòd autem animæ ſpecies & differentiæ ſimilitudinem numerorum repræſentent, admittitur. verum F
enim eſt. ideo partes potius animæ appellantur ab Ariſtotele quàm ſpecies: ſpecies enim ſubſtantiam ſignificat à cæteris ſeparatam: animę autem partes non ſunt à ſe inuicem ſeparabiles. Animalium autem & cæterarum ſubſtantiarum ſpecies ſimilitudinem illam numerorum nequaquam ſeruant. Quãuis enim per animam conſecuta ſint ipſum eſſe omnia animata: non tamen ob id vltimę animatorum ſpecies animarum differentias ex partibus ſumptas ſequuntur. Nã ſi hoc eſſet, quot eſſent animarum partes, tot etiam eſſent vltimæ animatorũ ſpecies. Hoc autem modo plantæ omnes eiuſdem ſpeciei indiuiduæ eſſẽnt, & animalia tactum ſolum habentia, & reliqua ratione carentia non in multitudinem ſpecierum diſtinguerentur. Non enim differunt plantæ per animæ differentiam. nam præter vegetatiuum, quod omnibus commune eſt, nihil habẽt: ſimiliter tactũ habẽtia, aut
omnes

A omnes ſenſus: rationem autem nequaquam. Si igitur illud cuius differentia aliquid non differt, idem eſt. 4.Phyſ.tex. vltimo: animæ autem differentia plantæ non differunt inter ſe: eadem ergo anima in omnibus eſt plantis. Quòd ſi tum plantarum tum animalium ratione carentium innumeræ fermè ſunt ſpecies: & quemadmodum canis ſpecie differt à leone, ſic & animæ: Erunt ſingularum partium animæ plures differentiæ, non tamen amplius ſicut numeri: quemadmodum neque ſpecies animalium neque plantarum. Idcirco figuris magis aſsimilantur animæ partes quàm numeris. Nam & ſi in quadrangulo triangulum continetur, non tamen ſpecies trianguli ſe inuicem continent, neque ſpecies quadranguli, & reliquarum figurarum. Vt igitur æquilaterum & ſcalenum non differunt figura, quia non differunt differentia figuræ, eædem enim figuræ ſunt, ſed non ijdem trianguli: ſic ſpecies canis & leonis non differunt differẽtia animæ, eadem B enim pars animæ in vtriſque eſt: ſed ſolum differentia generis proximi, vt ſpecies trianguli differentijs trianguli: huiuſmodi autem non ſunt ſicut numeri, vt ſcilicet vna ſpecies alteram contineat, ſed alia ratione, vt explicatum eſt ſuperius. Vbicunque autem vna differentia cæteras continet, vtrum contingit per illam tantum definire? vt hominem per rationis participationem, & animal per ſenſum? Nam ſi admittamus, eadem ratio erit in omnibus: quædam enim differentia ad reliquas ſe habebit vt ſenſitiuum ad vegetatiuum, & vt intellectiuũ ad reliquas potentias: nam poſterior ſemper addit aliquid ad priores differentias, donec conuertibilis reddatur cum ſpecie. An ſi poſteriorem differentiam adderemus tanquam reliquarum differentiam, vt Plato faciebat, illud contingeret? idcirco aut ſuperflua redderetur definitio, aut vnica tantũ differẽtia illam compleret. At quãquam ſenſus inſeparabilis ſit à vegetatiuo, & ratio à ſenſu in mortalibus: nõ taC men ſenſum tãquã vegetatiui differentiã aſſumimus: neque rationem vt ſenſitiui differentiam, ſed omnes vnius: alicui enim materiæ inſunt omnes differentiæ. Hanc autem materiam genus includit, ad quod differentię ſe habent, non vt ſpecies ad genus, neque vt ſimum ad naſum, ſed vt curuitas, & tandem vt ſtatuæ figura ad æs, quatenus potentia eſt non actu. Quamuis autem differentia aliqua reciproca ſit cum ſpecie, vt ſenſitiuum cum animali, & intellectiuum cum homine, non tamen complet definitionem: quia differentia nõ ſimpliciter dicitur vt ſubſtantia, ſed eorum eſt, quæ inſeparabilia ſunt. Ex dictis igitur patet, quamuis genera quædam per vnicam tantum contrarietatem diuidantur, quorum ſpecies vltimæ ſecũdum numerum vltimarum differentiarum conſurgant, vt in coloribus: non tamen per vnicam illam differentiam aſsignari poſſe definitionem: genus enim vbique adiungi oportet, quod eſt veluti altera differentia: idcirco dixit Ari-

ſtoteles 7. Metaph. tex. 43. definitionem eſſe ex differentijs rationem: D ad minus enim duo requiruntur, genus ſcilicet & differentia. Ad alteram autem dubitationem dicimus. quemadmodum genus & differentia vnum ſunt, quia hoc quidem vt materia, alterum autē vt actus. 8. Metaphy. tex. 15. eodem modo & differentias ſe habere inter ſe, contrarietatum enim vna veluti materia, ad alteram ſe habet, vt in elementorum conſtitutione humidum & ſiccum vt materia, calidum & frigidum vt actus. Sed hic inſtabit quiſpiam. Si differentiæ hoc modo ſe habent inter ſe, actus autem & perfectio vltimo aduenit poſt potentiam, ordo igitur erit in ſubſtantia, & dabitur in omni, definitione vltima quædam differentia actum ſignificans. Reſpondemus, neceſſarium eſſe in omni definitione vt ſit aliquid, quod vltimum ea ratione dici poſſit, quia actus. Quòd autem huiuſmodi, reliquas partes includat, aut quod neceſſe ſit illud vltimo loco ponere, nulla ratio eſt. Ratio enim calidi & frigidi nō includit rationem humidi & ſicci, E nec è conuerſo: ſed ratio duri & mollis includunt rationē humidi & ſicci, ſunt enim quædam eorum ſpecies. 2. de Gen. & cor. tex. 10. Quæ igitur ponuntur in definitione, ſi quidem eo modo ſe habuerint inter ſe, vt ſe habet durum ad ſiccum; ſuperfluæ ſunt, vt probatum fuit ſuperius, & inter iſta datur ordo: prius enim ſecundum rationem eſt quod eſt magis vniuerſale. Si autem aſſumantur differentiæ ex ijs contrarietatibus, quæ inter ſe reductionem non habeant; nec ſuperfluum quid apponetur, nec ordo aliquis fuerit neceſſarius. Manifeſtum autem hoc fiet in definitionibus accidentium: in quibus vt plurimum vltimo loco ponitur id quod gerit vicem materiæ, quod autem actum ſignificat, primo loco: vt quid eſt ſerenitas? quies in multitudine aeris: aer materiam, quies actum ſignificat. Quid eſt tranquillitas? Maris planities. Mare materia eſt, planities forma. 8. Meth. tex. 6. Nec refert ſiue dicatur planities maris, ſiue alio ordine. Similiter F autem & in ſubſtantijs, non perturbabitur definitio, præpoſito, aut poſtpoſito genere. Adhuc autem dubitare quis poſſit: ſi ipſum quid eſt, ſpeciei competit & actui. 8. Metaph. tex. 8. non autem compoſitę ſubſtantiæ: materia enim non eſt pars ipſius quid eſt. 7. Metaph. tex. 37. vltima igitur differentia actum ſignificans, aut huiuſmodi aliquid, erit rei definitio. Nam alioqui continget nullam definitionem oſtendere ipſum quid eſt: quemadmodum Antiſtenici dubitabant. 8. Metaph. tex. 9. quia definitio oratio quædam longa eſt, idcirco quale quid docere, quid autem nequaquam. Quaſi eorum quæ in definitione ponuntur, nullum ſit quod actum & formam ſignificet, ſed omnia ſint veluti materia, & quemadmodum ſyllaba aliquid aliud eſt præter elementa, ſic ipſum quid eſt hominis aliquid aliud ſit præter animal & bipes. Quam ſentētiam refellit Ariſtoteles 8. Metaph. tex. 8.

non

A non enim compoſitio eſt ex animali & bipede, vt vnum ſint compoſitione. quemadmodum neque ſyllaba eſt ex compoſitione & elementis: quaſi compoſitio eſſet ex compoſitione & materia. componuntur enim quæ ſtare poſſunt ſeparata: compoſitio autem non eſt aliquid ſeparabile, quemadmodum neque actus vllus materialis. Idcirco abutimur nomine compoſitionis, cum dicimus aliquid componi ex materia & forma. Ad dubitationem igitur dicimus: cum actus duplex ſit, quidam ſimpliciter exiſtens, & non alicuius materię: alter autem non ſimpliciter, ſed alicuius, vt omnis actus materialis: de primo quidem verum eſt, non eſſe aliquam definitionem, indiuiſibilis enim omnino eſt: definitio autem omnis diuidit in partes. de altero autem actu ſolum definitiones habentur, quia complectuntur & actum & id cuius actus. Ad id autem quod dicitur, materiam non eſſe partem ipſius quid eſt, reſpondet Ariſtoteles 7. Metaphyſ.
B tex. 39. non enim omnis materia ſeiungenda ab ipſo quid eſt (nam quædam eſt pars ſpeciei) ſed illa tantum quæ eſt pars totius ideſt ſingularis, in quam corrumpitur vnumquodque. Cum enim ſcientia omnis, ſiue per definitionem, ſiue per demonſtrationem, eorum ſit, quæ æterna ſunt, nec aliter habere poſſunt; neceſſe fuit ab huiuſmodi materia ſeiungere, per quam res ſingulares ſunt ſimul & corruptibiles. 7. Metaphyſic. tex. 53. materia autem illa quæ in definitionibus recipitur, alterius eſt rationis. nam reſpectu quidem illius, forma eſt; reſpectu autem alterius partis quæ in definitione ponitur, materia dicitur. Concedimus igitur ipſum quid eſt competere ipſi actui, non autem compoſito, ideſt ſingulari: alicui tamen compoſito, quatenus actus huiuſmodi non ſimpliciter eſt, ſed alicuius actus. At verò ſi hæc ita habent, videbitur omnis definitio ex additione monſtrare ipſum quid eſt: erit enim ſemper alicuius compoſiti, cum
C alterum de altero dicatur eorum quæ in definitione compoſitorum ſunt: huiuſmodi autem ex additione monſtrari, & non eſſe ſubſtantias, oſtenſum eſt. 7. Metaphyſ. tex. 12. non enim de altero dicitur ſubſtantia. An quæ ex additione monſtrantur, actu duo ſunt, ſubiectum & affectio? in definitione autem non eo modo accipiuntur partes, vt vnum alteri inſit, ſed vt vnum ſunt, vt potentia & actus: quatenus autem aliquo modo ex additione definiuntur, reducitur omnis definitio ad demonſtrationem, vt alibi explicauimus. Verum & altera occurrit dubitatio. Si omne quid definitione explicabile, eſt alicuius actus, videbitur tantummodo eſſe definitio formarum non compoſitorum, vt animæ non animalis: aut non videbitur differentia inter animam & animal: ſi enim in definitione animæ aſſumitur actus & materia: compoſitio autem huiuſmodi eſt ipſius animalis, idem erit anima & animal. An differunt quatenus in hac

quidem materia adiungitur actui : in animalis autem definitione, D actus ipſi materiæ? genus eius materiam ſignificat, differentia formam in definitionibus compoſitorum : in formarum autem definitionibus, genus actum ſignificat, differentia materiam, quemadmodum etiam in definitionibus accidentium.8.Metaphy.tex.6. Diuerſitas autem eſt propter diuerſam figuram prædicandi. Eorum enim quę in diuerſis ſunt prædicamentis, non prædicatur alterum de altero, niſi denominatiuè : Quodcunque autem primitiue prædicatur, in eodem genere eſt, & prius altera prædicatione, vt ſunt genera & omnia ſuperiora de inferioribus : quæ & ſecundum nomen & ſecundum definitionem prædicantur. Cum igitur materia accidentium ſubſtantia ſit, & animæ corpus quoddam; neceſſe fuit materiam denominatiuè prædicari,& loco differentiæ poni.non enim anima in genere corporis eſt, ſed in genere eorum, quæ de altero dicuntur vt actus: Vt igitur in diuerſis generibus ſunt anima & animal, ſic di- E uerſas definitiones non quidem ſecundum rem, ſed ſecundum modum dicendi ſortita ſunt : actus enim & materia in vtriſque eadem ſunt, licet non eodem modo prædicentur. Hinc autem manifeſta eſt via reducendi definitiones ad demonſtrationes. ſi enim commutetur prædicationis modus, tranſibit animalis definitio in definitionem animæ : hæc autem manifeſtam iam continet demonſtrationem: ſimilis enim eſt eius definitio definitionibus affectionum. ſed de his alibi fuſius dictum eſt. Ex his igitur patet, nullam definitionem dari poſſe per vnicam differentiam, ſed vbique neceſſarium eſſe genus, quod alicubi actum, alicubi materiam ſignificat. Præterea in vltimarum ſpecierum definitione in ſubſtantijs propter multiplicem compoſitionem, plures vltimas differentias aſſumendas eſſe ex diuerſis contrarietatibus,quarum vna alteram non includat, ſed ſolum vna ſit, vt materia, altera vt actus: ſic enim vnum fiunt. Ad generum F autem quorundam aut ſpecierum definitionem, vnicam differentiam cum genere ſufficere propter generis ſimplicitatem multiplicem diuiſionem minimè recipientem, in quibus differentia conuertibilis eſt cum ſpecie. Ex quibus manifeſtum eſt, quam illi recedant à ſententia Ariſtotelis, qui in omnibus quærunt vltimam quandam differentiam cum ſpecie æqualem: quæ cum lateat in pleriſque, circumſcribi putant per ea,quę ſunt in alijs prædicamentis.

A

Præter animata & animatorum partes nullas eſſe ſubſtantias. Quæſt. VII.

QVAMQVAM prima fronte plurimis difficilis viſura ſit hæc ſententia, quippe quę repugnare ijs videatur, quæ omnibus ſunt confeſſa: Nemo enim vnquam negauit ſimplicia corpora, vt aerem, aquam, ignem, & terram ſubſtantias eſſe, & quæcunque ex illis conſtant, ſiue animalia, ſiue anima carentia, vt aurum, argentū, ferrum, metalla omnia, & lapides: vt colligere poſſumus ex. 7. Metaphy. tex. 5. & 2. de An. tex. 3. manifeſtiſsimas enim has ſubſtantias vocat Ariſtoteles: non autem eſſe animata ſimplicia corpora idem probat. 3. de Ani. tex. 66. & 1. de Ani. tex. 86. Si tamen diligentius quid ſubſtantia ſit perpendatur, luce clarius patebit, ſolam animatorum eorumq́; B partium naturam ſubſtantiam eſſe. Simul etiam manifeſtum fiet, vnde ſit ſumenda vltima vniuſcuiuſque differentia, ſeu ea pars definitionis, quæ vt actus dicitur. Principium autem hinc ſumamus. Cum ſubſtantia quædam ſit vt materia, quædam vt actus, quædam ex vtriſque compoſita: primam omnium eſſe eam quæ vt actus, voluit Ariſtot. 7. Metaphy. tex. 9. Nam propter illām & materia & compoſitum ſunt ſubſtantiæ. Huiuſmodi autem ſubſtantiam in vnoquoque determinandā eſſe opere, explicatum eſt. 4. Met. c. 12. vnumquodque enim tunc dicitur verè eſſe, cum poteſt operari ſecundum ſuam ipſius naturam, vt oculus, quando videre, & ſerra quando ſecare poteſt. Quod ſi non poſſint, æquiuoce dicuntur, vt ſi oculus lapideus, aut ſerra lignea eſſet. Quæcunque enim ſunt alicuius gratia, ſiquidem fine priuentur, non amplius ſunt: quia formam quæ eadem eſt cum fine, & quæ prima eſt ſubſtantia, non habent. Cum autem agant alicuius gratia non ſolum C natura. 2. Phyſic. tex. 75. ſed etiam ars & intellectus actiuus: tamen ſola naturæ opera ſubſtantiæ dicuntur ab Ariſtot. 8. Metaph. tex. 9. & 7. Meta. tex. 60. quòd ſi alicubi videatur artificialia quædam inter ſubſtantias numerare, id facit propter ſimilitudinem quam habent cum ſubſtantijs. Opera vero naturæ ſunt & ſimplicia corpora & compoſita ex his: idcirco meritò omnia hæc ſubſtantiæ ſunt, & omnibus manifeſtæ. Hucuſque igitur perueniſſe facile eſt. Vlterius autem perſcrutantes dicimus: in quibuſcunque finis aliquis eſt, huius gratia agi quod prius eſt quodq́; conſequitur. 2. Phyſ. tex. 78. Si igitur compoſita corpora fiunt ex ſimplicibus: ſimplicia ergo illorum gratia facta ſunt, vt ſimilares partes gratia inſtrumentorum: Huiuſmodi autem ſi ſeparentur à toto, tanquam fine carentia, non amplius ſunt, niſi æquiuocè, vt digitus abſciſſus nō amplius digitus eſt, & caro mortua ſimiliter. 7. Metaph. tex. 35. ſi igitur ſimplicia corpora ſunt alicuius totius partes, tanquam materia,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

materia, ſeparata ab illo toto non amplius erunt talia niſi æquiuocè. D At ex ijs totis quidem conſtituitur vniuerſi natura tanquam materia. 1.cœli.tex.97. Ex eorum autem particulis primo ſimilaria fiunt: ex ſimilaribus autem inſtrumenta, in quibus naturæ perfectio conſiſtit. 4.Meteor. cap.vltimo. horum igitur gratia & ſimplicia ſunt,& quæ ſequuntur ſimilaria. Simplicium igitur natura & ſubſtantia,non erit præter hæc tota,cum eorum gratia facta ſint. Quoniam autem ea quæ generatione ſunt poſteriora, propinquiora ſunt ſubſtãtiæ,perfectio enim vltimo aduenit: idcirco in his magis apparet ſubſtantia, cuius præſentia ſunt, & abſentia non ſunt, quàm in ijs,quæ ſunt remotiora. Cum enim plus habeant de materia,minus de forma, latet quando ſunt, & quando non ſunt: materia enim ſecundum ſe non eſt ſubſtantia: verbi gratia de animali notius eſt vtrum mortuum ſit nec ne, quàm de carne, vtrum caro ſit: incertior enim eſt eius operatio.multo autem incertior natura elementorum, quia remotiſsima ſunt à ſubſtantia, & propinquiſsima materiæ. Cum autem duo ſint tota, vnum quod vniuerſum appellatur,ex omnibus ſimplicibus ſecundum totum conſtans: alterum quod ex particulis elementorum perficitur, vt ſunt ſimilaria primo deinde organica: ſi quidem iſta ſunt animata, & ſimplicia igitur corpora ideo ſubſtantiæ erunt, quia partes & materia ſunt animatorũ, extra quas naturas non erunt. Eſſe autem animatũ ipſum vniuerſum, ſi cœlum animatum eſt, rationi eſt conſentaneum.quomodo enim totum vnum eſſet? Nam & in animalibus non eſt neceſſe animam in toto corpore eſſe, ſed ſufficit eſſe in principali parte vt corde: cætera autem viuunt quia adnata ſunt cordi ex lib.de communi animalium motu. Eodem modo neceſſe fuit iſtum mundum inferiorem continuum eſſe cũ ſuperioribus lationibus,vt omnis inde virtus gubernetur. 1.Meteo.cap.2. Si igitur ſuperiorum gubernatio ab anima eſt,ergo & in vniuerſum eius virtus diffunditur. Amplius ſi vniuerſum organicũ quid- F dam eſt, conſtat enim ex ſimilaribus certo modo diſpoſitis ad aliquod opus: organorum autem natura non niſi ab anima: hoc enim eſt animæ eſſe, ſcilicet actus organici corporis, erit vniuerſum totum quoddam animatum. Quo autem modo anima ſeparabilis à corpore, qualis eſt quæ in cœlo, vitam tribuat vniuerſo, & actus ſit corporis, alia quæſtio eſt inferius examinanda. Sed ad præſentem conſiderationem ſufficit: in cœlo quidem ab huiuſmodi anima circulationem eſſe perpetuam quaſi vitam. 8. Phyſicorum.text.1. in inferioribus autem perpetuam generationem. 2. de gener. & corr. text. 55. in omnibus autem conſeruationem ſecundum ſitum proprium in vniuerſo. Vnde data eſt corruptibilibus corporibus quies ſempiterna, nulla enim è propriis locis egrediuntur, ſed in eodem ſemper manentia circunferuntur: corruptibilibus autem datus eſt motus ad proprium locum

cum

A cum, vt ſeruent ſitum proprium in toto, quæ poteſtas appellatus grauitas & leuitas: grauia igitur & leuia ſubſtantiæ ſunt, vt partes vniuerſi, quatenus animatum eſt. Quamobrem ſciunctæ ab illo, non amplius ſunt: impoſsibile autem eſt ſeiungi, ſi dari vacuum eſt impoſſibile. Vno igitur modo qui dictus eſt ſimplicia corpora ſubſtantiæ ſunt: alio autem vt veniunt ad mixtionem. Cum autem mixtorum quædam ſint animata, vt plantæ & animalia: quædam anima carentia, vt lapides, metalla, & foſsilia omnia, cur potius elementorum ſubſtantia in ipſis animatis conſiſtat quàm in cæteris mixtis? cum æquè ex elementis omnia fiant? An mixta inanimata non ſunt ſubſtantię? Videbitur quidem hoc difficile, non tamen præter ſententiam Ariſtotelis, & præter rationem. Cum enim à fine ratio ſubſtantiæ ſumatur, vt ſuperius eſt explicatum, vbicunque non fuerit id cuius gratia, ſubſtantia non erit: quemadmodum in Mathematicis, in quibus non eſt ali-
B qua ratio boni. Huiuſmodi autem eſſe mixta inanimata patet, continentur enim omnia inter ea quę tractantur in Meteorologia. 3. Meteo. c. vltimo: iſtorum autem omnium cauſæ duæ tantum ponuntur, materia ſcilicet & efficiens. 1. Meteor. cap. 2. finis autem nullibi fit mentio, non enim fiunt quia melius ſit: Propterea affectiones elementorum appellantur ab Ariſtotele: non enim ſubſtantiæ ratio vlla eſt in huiuſmodi mixtionibus præter elementorum rationem, cum fine careant, ſed ex neceſsitate materiæ ſint, aut propter efficiens. Confirmatur. 8. Metaph. tex. 13. vbi inquit, accidentium naturalium forſan non eſſe cauſam cuius gratia: haberent enim rationem ſubſtantiæ. Si igitur ſimplicia ſunt gratia ſimilarium: ſimilaria autem gratia inſtrumentorum. 2. de Part. c. 1. omnia igitur gratia animæ erunt, & eatenus ſubſtantiæ quatenus finem hunc conſecuta fuerint. Separata autem quemadmodum manus & caro non ſunt niſi æquiuocè. ſic elementa generabiliū,
C & corruptibilium extra talem mixtionem non habebunt rationē ſubſtantiæ niſi potentia, quatenus ad huiuſmodi mixtionem venire poſſunt. In hoc enim differunt à poſterioribus, quia illa poſtquam priuata fuerint non poſſunt amplius ad integritatem reuerti, à priuatione enim ad habitum non datur regreſſus, in poſtpræd. in primis autem remanet potentia. Quoniam autem veniunt ad mixtionem elementa quatenus calida, frigida, humida, ſicca, his enim agunt & patiuntur inter ſe, non quatenus grauia & leuia, aut aliæ huiuſmodi contrarietates, idcirco illæ materia ſunt mixtorum, corporum autem ſimplicium ſubſtantiæ quatenus generabilia & corruptibilia. Ineſſe autem in elementis huiuſmodi principium animale, manifeſtauit Ariſtoteles. 3. de Gen. an. cap. 10. vbi dicebat, in terra quidem ineſſe humorem, in humore autem ſpiritum, calorē autem animalem in vniuerſo, vnde quodammodo omnia videantur plena animæ. Elementa igitur ſeparata

quidem

quidem actu non continent diuinum hoc, ſed potentia ſolum: in mix- D
tione autem etiam actu: idcirco & actu ſunt ſubſtantiæ. Ex quibus colligere poſſumus vltimam differentiam elementorum non eſſe, neque calidum & frigidum, neque humidum & ſiccum, ſed huiuſmodi principium animale. Nam caliditas quidem & frigiditas mixtioné faciunt quancunque: non tamen quid eſt carnis eſſe aut oſsis, aut reliquorum ſola efficere poſſunt, ſed rationem animalem neceſſe eſt ineſſe. 2. de gen. ani. cap. 1. hæc autem actu quidem ineſt in generante, homo enim hominem gignit, potentia autem in materia. Propterea dictum eſt, 4. Meteo. cap. vltimo non omnibus modis habens aqua, aut ignis eſt, ſicut, neque caro aut viſcera, & manus & facies: omnia enim ſunt terminata opere. Quaſi cũ non poſsint pręſtare opus, cuius gratia facta ſunt, non ſint niſi æquiuocè. Si igitur elementorum opus mixtio eſt, nec omnis ſed animata: illud ſecundum quod præſtare id poſſunt, eorum ſubſtantia erit: efficiunt autem partim quidem paſsiuis & actiuis qua- E
litatibus, partim autem animali principio: primæ igitur qualitates in ratione inerunt elementorum, vt rationis materia: principium autem animale vt actus; ſic enim ſe habent primæ qualitates ad huiuſmodi principium. Hoc igitur modo conſideranti elementa duplicem rationem ſubſtantiæ videntur habere, vnam quatenus partes vniuerſi: alteram quatenus partes corruptibilium animalium ac plantarum. At verò idem duas formas perficientes habere impoſsibile eſt: ex duobus enim in actu vnum fieret per ſe. An vnum quidem actu, alterum autẽ poteſtate ſimul eſſe non eſt impoſsibile? ſed ſi vtrunque actu eſſet? Dum igitur ſunt in mixto, extra loca propria degunt: idcirco priuantur fine, cuius gratia partes vniuerſi dicebantur. Diſſoluto autem mixto, ſingula reuertuntur ad loca propria, niſi quid impediat, & actu cõſequuntur finem huiuſmodi, ſimul autem altero priuantur. Quamuis autem actus immutentur, eorum tamen potentiæ nunquam pereunt: F
nam & in mixto remanent virtutes elementorum, mouetur enim ſecundum ſimplex prædominans. 1. cœli. tex. 12. Et in ſimplicibus potentia remanet mixtionis, quanquam nõ ſimiliter, quia generatione prius eſt ſimplex quam mixtum, perfectione autem è contra: ideo in mixto etiam ſunt operationes quædam ſimplicium, in ſimplicibus autem nõ inſunt operationes mixtorum. Neque ob id cenſendum eſt perfectiorem eſſe naturam mixtorum quam vniuerſi. Nam quatenus ingenerabilia ſunt, ideſt ſecundum totas ſphæras, mundi partes dicuntur, neque hoc modo contingit vnquam miſceri: particulæ autem ipſorum cum ad mundi conſtitutionem nihil faciant, perfectiorem naturam in mixtis conſequuntur, quam in ſimplicibus, eorum enim gratia ſunt. vtroque autem modo ſubſtantiæ ſunt tanquam materia animatorum. Sed dubitatio contingit circa mixta inanimata, & animatorum ea quæ
mortua

A mortua ſunt, vt cadauera, ligna, oſſa, & alia huiuſmodi, antequam per
putredinem diſſoluantur: hæc enim neutro modo ſubſtãtiæ videntur.
Nam quatenus elementa in mixto contenta carent locis proprijs, non
videntur ſubſtantiæ eſſe; vt partes vniuerſi. Quatenus autem mixtio
inanimata eſt, carent altera ratione ſubſtantiæ. Sed quàm abſurda hæc
ſint, facile eſt videre. Materia enim ſtaret aliquando ſeparata ab omni
forma, aut accidentia eſſent in materia tanquam potentia, non tanquã
actu exiſtente, & hoc modo priora eſſent ipſo quid eſt. An ſunt huiuſ-
modi omnia veluti graue impeditum in alieno loco, & vt ſciens cum
dormit? Nulla enim alia eorum ſubſtantia eſt, quàm ſimpliciũ: mixtio
autem ſecundum accidens ineſt, vnde ſeſe impediunt, quo minus ad
loca propria ferantur, donec per putredinem fiat eorum diſſolutio, aut
altera mixtio animata ex putredine oriatur. Num verò etiam dum in
mixto animato continentur eodem modo ſunt? An remotior tunc po
B tentia eſt? quemadmodum ſciens antequã addiſcat? Quieſcunt enim
ſecundum naturam ſub forma mixti animati, quoniam perfectio eſt à
natura: ſub mixto autẽ inanimato præter naturam, quoniã mixtio pręter naturam eſt. Quamuis autem ſcribat Ariſt. 2. cęli. tex. 37. ſimplicia in
quocunque mixto præter naturam contineri: quia extra propria loca
ſunt; intelligendum tamen eſt non quòd miſcibilia præter naturam in
mixto contineantur: materia enim præter naturã ſub forma eſſet: ſed.
quatenus grauia ſunt & leuia, quibus potentijs ſitum in vniuerſo certũ ſeruant: per mixtionem autem in contrarijs locis detinentur: eſt igitur omnis mixtio præter naturam grauitatis & leuitatis: impetus autẽ
ad loca propria aduerſatur mixtioni non minus quàm mixtio motui
ad propria loca. Idcirco cum vtræque potẽtiæ aſſeruentur in vtriſque,
ſub altera perpetuè quieſcere non poſſunt: At deſinente ratione mix-
tionis, vt in carne mortua & alijs huiuſmodi: ſi quid adhuc impediat
C quominus elementorum ſeparatio fiat, omnino præter naturã erit: neque enim ob naturã mixtionis id erit, quia non eſt amplius eius ratio:
corruptiones autem omnes præter naturam ſunt. Quòd autem in po-
tentia propinquiori ſimplicia ſint in mixto inanimato quàm animato,
oſtendit id quod de corruptione ſcribit Ariſt. 4. Meteor. tex. 3. vbi in-
quit: omnem corruptionem ſecundũ naturam viam eſſe ad putredinẽ:
finis enim corruptionis eſt putrefactio, putrefactionis aũt elementorũ
ſeparatio & ad propria loca reuerſio, in quibus perfectio eſt grauium
& leuium. Si igitur putredo mixtum diſſoluit in ſimplicia humido eua
porante, ſicco autem permanente: ad illam autẽ via eſt corruptio; quæ
igitur corrupta ſunt, in potentia propinquiori ſunt ſimplicia, quã an-
tequam corrumperentur: quam diu enim anima viget & mixtionis ra-
tio, non putreſcunt. Hęc eadem ratio oſtendit, metalla & lapides, &
quæ in mixtione virtutem animalem non conſecuta ſunt, nõ eſſe ſub-

ſtantias:

ſtantias: non enim corruptio aliqua præcedit eorum putredinem, ſed dum putreſcunt, corrumpi dicuntur, vt ferrum in rubiginem, & lapides in terram. Si igitur generatio & corruptio propriè ſubſtantiarum ſunt, inanimatorum autem non ſit vera corruptio ſecundum naturam, ſed putredo tantum: nec igitur erit eorum generatio: ergò nec ſubſtantia quatenus talia ſunt. Altera oritur dubitatio. Si ratione finis ſubſtantia eſt dicenda, multa quæ ab omnibus accidentia iudicantur, ſubſtantiæ erunt: Nam primum operationes vniuſcuiuſque fines ſunt: oculus enim gratia videndi, & pedes gratia incedendi dati ſunt: videre igitur ſubſtantia eſt, & pedum inceſsio, & alia huiuſmodi, quorum nulla ſeparabilia ſunt à ſubſtantia. Prǫterea ſi ratione finis ſubſtantiæ etiam ſunt, quæ finis gratia petuntur, vt materia: ſubſtantiæ igitur erũt durities mollities, figura, color, perſpicuitas, & alia huiuſmodi, quæ omnia apta nata ſunt de ſubſtantia dici. Nã partium animalium quædam egent duritie, vt dentes, oſſa: ſine hac enim præſtare opus proprium non poſſent: quædam mollitie, vt ventres, caro: quædam concauitates certas & prominentias expoſcunt, vt articuli, nam alioqui inflecti non poſſent vt opus eſt. Oculus pupillam requirit perſpicuam, vt recipere colorum ſpecies poſsit: quibus non exiſtentibus, non erit finis ſingulorum, idcirco neque ſubſtantia. Ad primum dicimus: cũ duo ſint actus, vnus qui potentia quodammodo eſt, & primus actus ab Ariſtotele appellatur. 2. de Anima tex. 6. Alter ſecundus, qui fluit à primo, & operatio ſeu energia dicitur ab Ariſtotele. 9. Metaph. tex. 12. in ijs quidem quæ ab omni materia ſunt ſeparata, ſubſtantia dicitur vt actus. 12. Metaph. tex. 30. quemadmodum eſt intellectus, cuius ſubſtantia eſt intellectio. In ijs autem quæ habent materiam, vt naturalia, eorum ſubſtantia potentia eſt, huiuſmodi autem eſt actus primus. Non igitur ſubſtantia eſt inceſsio, aut viſio, ſed quod incedere poteſt, aut videre: & hoc appellatur cuius gratia ab Ariſtotele. 2. Phyſico. tex. 23. & 74. Sed contra. Actus & potentia in eodem genere videntur eſſe, dicuntur enim relatiuè. ſi ergo eorum alterum ſubſtantia fuerit, erit & alterum. Quomodo igitur actus primus ſubſtantia fuerit, ſecundus autem accidens, cum primus potentia ſit ad ſecundum? An dupliciter potentia accipitur, vno modo quatenus reſpicit actus ſingulares, alio modo quatenus ſimpliciter actum? Hoc igitur modo potentia ſubſtantia eſt, ſicut & actus eius, imo magis actus ſubſtantia eſt quàm potentia. quatenus autem ſingulares actus reſpicit, neque vt potentia, neque vt actus ſubſtantiæ ſunt: accedunt enim & recedunt ſubſtantia remanente, vt poſſe quidem videre, & ſimpliciter viſio ſubſtantia oculi eſt: quo deficiente non eſt amplius oculus niſi æquiuocè. Poſſe autem videre cras, aut nõ videre cras, accidentia ſunt: ablatis enim nõ auferetur ſubſtantia. Illa autem quæ gratia finis expetuntur, concedimus ſubſtan-

A tias eſſe, ſi quidem finis ex ijs ſit, quæ à natura fiunt: includuntur enim omnia in ratione finis, & partes ſunt ſpeciei, non tamen vt actus, ſed vt materia. quòd ſi aliqua eſſet materia non ex neceſsitate, vt æs ad ſtatuam (eſſe enim ſtatua poteſt abſque ære, vt lapidea) huiuſmodi partes quidem ſunt totius ideſt ſingularis, non autem ſpeciei. 7. Metaphy. tex. 37. neque igitur de ſubſtantia huiuſmodi fuerint. Similiter quæcunque ſequuntur quidem ea quæ ex neceſsitate inſunt & in ſubſtantia: non tamen ipſa ad finem aliquid conferunt: nam & hæc accidentia ſunt licet omni inſint, vt mixta omnia ſecundum naturam ex terra & aqua conſtant 4. Meteo. cap. 8. ad hanc autem materiam inſequitur grauitas. Si igitur grauitas animalibus nihil proſit, accidens erit: caliditas autem & frigiditas, humiditas, & ſiccitas ſecundum ſubſtantiam. Quia igitur diuerſi fines, & diuerſæ formæ, diuerſas materiæ præparationes requirunt; fit vt quædam ex neceſsitate finis petantur: quædam

B autem ſolum inſint, aut non ex neceſsitate, aut ex neceſsitate materiæ: hæc autem omnia accidentia ſunt: illa verò quæ ex neceſsitate finis habentur, ſunt partes ſubſtantiæ tanquam materia. Quòd autem fiat ſæpe commutatio, vt idem aliquando ſit accidens, aliquando ſubſtantia: vt figura oculi, viuentis quidem ſubſtantia, mortui autem accidens: aut idem alicui accidens, alicui ſubſtantia, vt diaphanum in pupilla quidem ſubſtantia eſt, in cornu autem accidens: & graue in eo corpore quod circa medium eſt vniuerſi, ſecundum ſubſtantiam, in generabilibus autem & corruptibilibus ſecundum accidens. 2. de Par. ani. cap. 1. hoc non eſt abſurdum de illa parte ſubſtantię, quæ veluti materia eſt; hæc enim cauſa eſt ipſius accidentis. 6. Metaph. tex. 5. de vltima autem parte ſubſtantiæ, quæ vt actus eſt & finis, impoſsibile eſt forte. Finis enim ſimpliciter eſt neceſſarium, accidens autem contingit non eſſe. idcirco animam nulli contingit ineſſe ſecundum accidens. At in arti-

C bus, & ijs quæ ab intellectu fiunt non inconueniens eſt, vt aliquod bonum per accidens eueniat, vt à fortuna: in natura autem omnia quæ præter ipſam contingunt, mala ſunt, vt monſtra. Adhuc autem relinquitur locus dubitandi circa mixta inanimata: videntur enim habere quaſdam potentias agendi, vel patiendi ſecundum quòd mixta ſunt: vt magnes ferrum trahere aptus natus eſt: aurum ebibit argentum viuum, alium verò liquorem nullum. Præterea medicamentorum vires fermè omnes ſunt in corporibus inanimatis, aut non quatenus animata ſunt: plantarum enim atque animalium partes vt plurimum mortuæ corporibus adhibentur. Si igitur operatio certa illorum eſt ſecundum naturam (non enim arte neque caſu, nam in plurimis, aut omnibus quæ eiuſdem ſpeciei ſunt, eædem vires exiſtunt) ſubſtantiæ ratio ipſis inerit ſecundum talem mixtionem: alicuius enim gratia videtur eſſe, cum illius ſit operatio propria. An vt mixtio per accidens, ſic &

ea

ea quæ mixtionem ſequuntur? Indicio ſunt plantarum & animalium D partes: nemo enim dicet à natura factas, vt morbos hominum propellerent: nos tamen ad illum vſum accommodamus: quodammodo enim nos ſumus omnium finis. 2. Phyſi. tex. 24. dupliciter enim finis dicitur, cuius gratia & cui. Non igitur huiuſmodi virtutes rationem habent cuius gratia, ſed cui. forma autem & ſubſtantia, cuius gratia dicitur, non cui. Verum circa elementa alia ſuboritur dubitatio, cum inter ſe transmutantur: ſi enim transmutationis finis non eſt animatum quiddam, elementorum formę accidentia erunt. Item ſi elementorum perfectio principium eſt animale, cum hoc ſimiliter in omnibus ſit, inter ſe non different ſecundum ſubſtantiam: idem enim eſt cuius gratia & forma. Dicimus, quamuis elementorum ſuperiora propinquiora ſint ſubſtantię quàm inferiora: virtus enim animalis in calore conſiſtit: transmutatio tamen inter ſe, non alicuius gratia videtur eſſe, ſed ex neceſsitate: quia cum futura eſſet generatio mixtorum, oportuit Solem E in circulo obliquo ferri, & accedere ac recedere: hoc autem exiſtente, transmutari oportuit elementa inter ſe: non huius autem gratia transmutantur. vniuerſo enim non confert, nec mixtis, niſi aliquando ſecundum accidens, vt pluuia ad ſegetes augendas. Non tamen ex his ſequitur formas elementorũ accidentia eſſe, ſunt enim alicuius gratia. Quòd autem arguitur vnam eſſe omnium ſubſtantiam cum eadem ſit omnium perfectio: reſpondemus, ſi quidem rerum materialium perfectio actus ſimpliciter eſſet, non autem alicuius certæ materiæ actus, verum eſſe, quod dicitur: hoc autem modo auferendo omnes conditiones materiæ, omnia vnum fierent, quemadmodum Pythagoricis contigiſſe teſtatur Ariſtoteles. 7. Metaph. tex. 38. ſed cum materia quædam ſit pars ſpeciei, fit vt ex diuerſitate eius diuerſæ etiam ſint formæ: caliditas igitur & frigiditas, humiditas & ſiccitas cum aliquo eodem actu diuerſis efficiunt formas. F Concludere igitur poſſumus, nullam eſſe ſubſtantiam præter animæ naturam. Hæc autem aut ſimpliciter, aut actus quidam materialis eſt, in quo omnis natura conſiſtit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANDREAE CAESALPINI ARETINI, QVÆSTIONVM PERIPATETICARVM, LIBER SECVNDVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Subſtantiæ genera ordinem habere ſecundum additionem & ablationem. *Quæſtio I.*

B SI ſeparatim permanerent genera ſubſtantiæ ſicuti ſpecies, quæ ſub eodem genere continentur, & quemadmodum ſingularia, quæ eiuſdem ſunt ſpeciei: ipſum vniuerſum non eſſet vnum quid niſi forte genere; neque eſſet ſingulare quoddam, imo nec etiam genera vnum. oſtenſum eſt enim tria eſſe genera ſumma ſubſtantiarum: nec eſſe vnum genus ipſam ſubſtantiam, niſi ſecundum analogiam. Hoc autem modo inconſpirantem vniuerſi ſubſtantiam faceremus longe magis, quàm qui numerum Mathematicum, & Ideas faciebant ſubſtantias: vna enim ſubſtantia alteri quid conferret, ſiue eſſet, ſiue non eſſet: 12. Metaph. vlt. neceſſe igitur eſt, vt talem inter ſe ordinem habeant, vt poſteriora quidem inſeparabilia ſint à prioribus, priora autem à poſterioribus nequa

C quam. Nam quacunque alia ratione ordo conſtituatur, aut non vnum erit primum: aut primo ablato, non erit neceſſe reliqua auferri. Si enim omnia ſeparabilia, omnia erunt prima, multitudo autem principatuũ non eſt bona: ſi omnia inſeparabilia, nullum erit primum, prius enim eſt quod per ſe ſtat, & ſeparabile, quàm inſeparabile: vt ſubſtantia prior affectionibus. Vt igitur ablata ſubſtantia impoſsibile eſt aliquod aliorum remanere, quia cętera inſeparabilia ſunt à ſubſtantia: eodem modo neceſſe eſt, prima ſubſtantia ablata, reliquas auferri. Huiuſmodi autem ordinem habere ſecundum additionem & ablationem patet. Quæcunque enim inſeparabilia ſunt, ſine additione prioris neque ſunt, neque intelliguntur, vt album non quidem ſimpliciter eſt, ſed aliquid aliud vt ſuperficies, à qua ſeparari nequit: ſic neque quantum, neque quale, nec vllum aliorum prædicamentorum aut eſſe, aut intelligi ſine ſubſtantia poſſunt: ex additione enim omnia definiun-

D tur.

tur.7.Metaphy. tex.19. Quæcunque autem ſeparabilia ſunt,omnia ex D
ablatione dicuntur, vt ſubſtantia ex ablatione accidentium, definitur
enim & intelligitur ſine ijs. Eodem modo ſe habet magnitudo ad numerum:
in numeri enim ratione non ineſt ratio magnitudinis, in ratione
autem magnitudinis ineſt ratio numeri, ideo prior eſt ſcientia
numerorum,quam Geometria, quia magnitudo ex additione eſt, numerus
autem ex ablatione. Si igitur genera ſubſtantiæ eo modo ſe habent
inter ſe, vt quædam ſeparabilia ſint,quædam inſeparabilia, ordinem
ſecundum additionem & ablationem habere eſt neceſſe.Quoniam
verò hæc indeterminatè adhuc dicuntur, vt diſtinctiorem huius
ſententiæ doctrinam habeamus, dubitandi modo iterum agamus. Primum
igitur, ſi proprium ſubſtantiæ eſt non dici de ſubiecto, prima
enim eſt in vnaquaque prædicatione: quomodo aliqua ſubſtantia inſeparabilis
fuerit? Præterea vt inſeparabilis eſt, ſic ex additione definienda
erit: at ſubſtantia, cum ſimpliciter ſit,non ex additione definitur. E
Amplius nonne genus ſubſtantiæ æternum & corruptibile ſeparatim
permanent? locis enim diſtincta ſunt cœlum & mundus inferior:
de intelligibili autem ſubſtantia adhuc incertum eſt: videtur tamen
quemadmodum ipſa ſeparata eſt à reliquis ſubſtantijs,ſic & ſeparari reliquas
ab illa:eſſe enim ſubſtantiarum ſenſibilium forma eſt aliqua materialis,
immaterialis autem nullius corporis videtur actus, eſſet enim
materialis. At verò hoc maximam habet ambiguitatem. Nam circa immaterialem
ſubſtantiam, ſiue ea impertiatur ipſum eſſe cœlo, ſiue non
impertiatur, abſurda quomodocunque videntur ſequi.Si enim det eſſe
cęlo,quaſi cœlum ex ſe non ſit niſi potentia, cum eadem quoque ipſum
moueat: aut primo motum erit ens in potentia,quod impoſſibile
oſtenditur.5.Phyſ.tex.8. non ens enim non mouetur: aut quod primo
mouetur, à ſe mouebitur,non enim diſtinguetur in partem per ſe mouentem,
& partem per ſe motam, quod fieri non poſſe demonſtratur. F
7.Phyſ.tex.2.Si enim ſubſtantia ſeparata eſt pars per ſe mouens,non ergo
compoſitum ex ipſa & orbe erit primo motum, ſed orbis: at hoc
modo ens in potentia mouebitur: ſi orbis ex ſe non habet eſſe actu,
ſed ab illa conſequatur id quod eſt. Si verò non impertiatur eſſe, ſed
motum tantum, præterquàm quòd aduerſatur ſententiæ philoſophi.
1.cœl.tex.100. vbi inquit ab huiuſmodi ſubſtantia pendere alijs eſſe &
viuere,his quidem clarius,his verò obſcurius: etiam rationi. Nam ſi cęlum
eſſe ſuum habeat ab alio ente non dependens,multa erunt prima
entia: nec vnũ alteri proderit ſiue ſit, ſiue non ſit:eſſe enim vtriuſque
ſeparatum & independens ſupponitur. Nec ſufficit depẽdentiam alio
quocunque modo concedere, niſi etiam concedatur in genere cauſæ
formalis,vt ipſum quid eſt cęli à ſubſtantia immateriali habeatur. nam
reliquis omnibus ablatis, remanebunt duæ primæ ſubſtantiæ ſecundũ

rationem,

A rationem,quarum vna non reducetur ad alteram,& quarum vna ablata altera non auferatur. Dubitationes igitur hæ contingunt. Sed notandum eſt: cum ſubſtantia,quæ ſecundum ſpeciem dicitur,eadem ſit cum fine,vt ſuperius eſt oſtenſum, propter hanc autem ſubſtantię ſint reliqua omnia quæ gratia finis habentur: ſi quidem vnus ſit omnium finis,vna etiam erit prima ſubſtantia, propter quam reliqua erunt. Eſſe autem quoddam primum & optimum, quod omnia appetunt,colligitur ex. 1.Phyſ.tex.81.& ex.12.Metaph.tex.37. Iſtud autem vnum eſſe, oſtenditur. 12.Metaph.tex.49. Illud præterea notandum,cum finis ſit ſimpliciter neceſſarius, reliqua autem ex ſuppoſitione finis. 2. Phyſic. tex.88. ad reliquorum dependentiam ex fine, non eſt neceſſe ſupponi aliquam potentiam, aut materiam: hæc enim ſequitur ex neceſsitate finis,vt etiam reliqua omnia, quæ finis gratia ſunt: Nam quando finis eſt & quandiu fuit, aut erit, reliqua ſimiliter ſunt, fuerunt, & futura

B ſunt. In ijs autem quę ab efficiente, ſeu naturali, ſeu artificiali fiunt,nō ſimiliter ſe habet: Effectiones enim omnes è contrario incipiunt à materia & tendunt in finem: idcirco neceſſe eſt ſupponere aliquam potentiam, quæ actum præcedat in eo quod efficitur. His autem hoc modo habentibus facilè ſoluentur dubitationes. Cum enim diuinum quoddam ſit & appetibile,ex neceſsitate erit etiam id quod appetit. 1.Phyſ. tex.81. nec tamen ob id ex ſe dicetur eſſe ipſum appetens: ablato enim appetibili,ſimul & id quod appetit auferri eſt neceſſe: pendet enim ex eo,& ideo eſt,quia finis eſt. Neque compoſitio adhuc erit ex appetibili ſcilicet & appetente, neceſſe enim eſſet præexiſtere id quod appetit, antequam eſſet: componuntur enim quæ ſunt. quædam autem appetunt & eſſe & viuere, vt generabilia & corruptibilia, conſtant enim ex potentia ad eſſe: quædam motum tantum,ſunt enim iam: nec præexiſtentem potentiam habent ad eſſe,ſed ſecundum locum tantùm,vt cę

C lum. Quòd igitur ipſius cœli primo mouetur, non compoſitum eſt ex ſubſtantia ſeparata & orbe,ſed ſimplex corpus: hoc autem non eſt potentia ſed actu: neque id quod eſt ex ſe habet,ſed ab altero, ſcilicet fine. Nec etiam fit vt ſubſtantia immaterialis miſceatur cum corpore: non enim per modum compoſitionis cum fine eſt id quod à fine pendet. Sed id contingit in ijs quæ efficiuntur. vbique enim fit compoſitum, forma autem non efficitur neque materia, nam vtraque præexiſtunt.7.Metaphy.tex. 26. At hic ſolus finis præexiſtit ſecundum rationem,licèt tempore ſimul ſint. Hoc autem modo pendere à primo principio omnia quæ ſunt,aperuit Ariſt.12.Metaph.tex.38.cum enim oſtēdiſſet neceſsitatem, quæ eſt ipſius vltimi finis: & principium eo modo eſſe vt eſt neceſsitas,concludit: A tali ergo principio cœlum & natura dependet. Patet igitur reliqua genera ſubſtantiæ inſeparabilia eſſe ab hac prima: hanc autem ſolam à reliquis ſeparabilem. Vtrum autē hoc

modo habeant inter ſe duo genera ſenſibilium ſubſtantiarum, ſcilicet æternum & corruptibile, non difficile eſt videre. Quamuis enim omnis generatio & motus in inferioribus a motu cœli ortum ducant: cũ tamen cœlum rationem habeat agentis. non autem finis: finis enim immobilis exiſtens mouet, cœlum autem ideo mouet, quia mouetur: in ratione vnius non inerit alterius ratio: idcirco & ſeparatæ locis exiſtunt hæ duæ ſubſtantiæ. Ordinem igitur habent ſubſtantiæ omnes ad vnum quiddam, non autem ad ſe inuicem. 12. Metaph. tex. 52. niſi quatenus alia alijs perfectius vel imperfectius, melius vel deterius finem ipſum & actum conſequuntur. At verò alio modo genera aſſumentibus, ordo ſecundum additionem & ablationem ſimiliter in his reperietur, ſi ſecundum modum conſiderandi apud Mathematicum & Naturalem genera diſtinguamus. Mathematicus enim ſeparando motum & reliquas naturales affectiones, ſolum autem relinquendo continuũ, eius affectiones vt continuum eſt, ſpeculatur. Naturalis autem de magnitudinibus itidem agit, ſed quatenus mobiles ſecundum naturam ſunt. Iſta autem habent ad ſe inuicem vt ſimplex ad compoſitum, & vt additum ad ablatum. Mathematicæ enim magnitudines ex ablatione dicuntur: naturales autem ex additione. Nam rationes mathematicorum inſunt etiam naturalibus: quæ autem naturalibus inſunt, non inſunt mathematicis. Hoc autem modo videntur conſideraſſe illi, qui prima ſubſtantiarum principia ad ſuperficies, lineas, aut numeros reduxerunt. quoniam ſemper auferendo ea quæ ex additione dicuntur, ex naturali quidem corpore venitur in corpus vt corpus: ex corpore autem in ſimplices magnitudines: & ex magnitudinibus in puncta & numeros. Non animaduertentes hanc reſolutionem tendere in primas conditiones materiæ, & ad imperfectum, non autem ad ipſam ſubſtantiam, quæ dicitur cuius gratia. Idcirco Mathematicæ de nulla ſubſtantia agunt, excepta Aſtrologia, vt ſuperius eſt explicatum. Quoniam autem vniuerſalia eodẽ modo ſe habent ad ſingularia, vniuerſalia enim per abſtractionem dicuntur, ſeparando à ſingularibus conditiones materiæ: & rationes ſuperiorum inſunt etiam inferioribus, non autem è contra: idcirco quidam ſubſtantiæ principia in vniuerſalibus quæſiuerunt, quæ ſeparantes à ſingularibus intellectione iudicauerunt ſubſtantias eſſe ſeparatas, quas Ideas vocauerunt, quarum participatione ſingularia eſſent: Non animaduertentes reſolutionem hoc modo fieri in ea quæ exemplaria potius ſunt quàm ſubſtantiæ: Vniuerſalia enim in mente ſolum verſantur, vt ſint notæ eorum quæ extra ſunt: At extra non ſunt ſeparata niſi ſingularia: reliqua enim omnia de ſingularibus dicuntur. Ineſſe autem videtur ipſis vniuerſalibus ratio prioris, quia tunc accipiuntur vt partes, non vt totum quoddam. vt enim pars eſt prior toto, ſic genus prius ſpecie: conſtituitur enim

ſpecies

A ſpecies ex genere & differentijs tanquam partibus. Nec tamen hoc modo reductio fit in primam ſubſtantiam: quoniam non omnes partes, quæ in definitione ſumuntur, ſunt vt actus, ſed vltima tantum differentia, quæ à fine petitur. Differunt autem inter ſe abſtractio Mathematica & abſtractio vniuerſalium, quòd Mathematici quidem reſoluunt in partes ſecundum materiam: corpus enim & continuum materia eſt corporis naturalis & ſenſibilis, non genus. Non enim diuiditur corpus in ſenſibile & intelligibile, aut in mobile, & id quod motu caret; ſed cum omne corpus mobile ſit, mathematicus tamen ſine motu conſiderat. Abſtractio autem vniuerſalium quærit partes ſecundum formam, cuiuſmodi ſunt genera & differentiæ. vtræque autem abſtractiones tum vniuerſalium, tum Mathematicæ, differunt à reſolutione quæ fit in primam ſubſtantiam: quoniam hæc ſeparata eſt & cæterorum principium: vniuerſalia autem & Mathematica inſeparabilia ſunt,
B quamuis non conſiderentur vt inſeparabilia. Neque tamen committunt mendacium quaſi ſeparantes, quæ ſeparari nō poſſunt: non enim dicunt ſeparata eſſe cum conſiderant ea ſine his, vbi id fieri poteſt: fieri autem contingit, vbi non ineſt in ratione id à quo fit ſeparatio: vt curuum ſeparari à naſo poteſt, non enim hic in ratione curui ineſt. ſic ſunt mathematica & quæcunque abſtrahuntur. At ſimum nequit à naſo ſeparari: nec anima à corpore: & tandem nulla forma materialis à propria materia abſtrahitur. cum enim ſit alicuius materiæ ratio non ſimpliciter quid, non poteſt intelligi per ablationem materiæ: quamuis ratione eo modo ſeparabilis dicatur 2. Phyſic. tex. 12. quia alterum eſt eſſe formæ, alterum ipſius materiæ. Quæ igitur per ablationem dicantur, & quæ non, & propter quam cauſam, & quæ differentia eorum, dictum eſt. Simul etiam patuit ſubſtantiarum primam per ablationem dici, reliquas autem per additionem: & quomodo hæ or-
C dinem inter ſe habeant, & quomodo non. Relinquitur vt ſoluamus duas difficultates ab initio propoſitas, quarum prima eſt: quomodo ſubſtantia aliqua inſeparabilis fuerit, cum non dicatur de altero. Dicendum eſt igitur ſubſtantiam, ſeu ſit materia, ſeu forma, ſiue compoſitum, ſubiectum quoddam primum eſſe 7. Metaph. tex. 7. Materia enim ſubijcitur formæ: Compoſitum ipſis accidentibus: Forma quatenus quid eſt cæteris prædicationibus: quatenus finis, ijs quæ eius gratia petuntur. Ob eandem verò cauſam, & ſubſtantia omnis ſeparabilis eſt, quia primum ſubiectum: omnia enim alia de ſubſtantia dicuntur, ipſa autem non de altero. Quod autem ſuperius probatum eſt ſubſtantias quaſdam inſeparabiles eſſe, etiam verum eſt, quia inter ſe collatæ non omnes primæ. Nam vno modo materia videtur prima, reliqua enim omnia videntur eſſe veluti affectiones materiæ. 7. Metaphyſicor. tex. 8. alio autem modo forma cenſetur prima, quia ipſum quid eſt

principium eſt omnium, & actus potentiam præcedit. E contrario au- D
tem ſe habent propter duplicem ordinem, quorum vnus incipit à fine & ipſo quid eſt, & tendit in materiam & ea quæ gratia finis habentur, qui ordo eſt ipſius rationis: alter verò incipit ab vltimo ſcilicet materia, & tendit in principiũ, ſcilicet formam: qui ordo in effectionibus reperitur. 7. Metaph. tex. 23. quoniam autem effectiones ſunt ſingularium, idcirco potentia in his actum præcedit. Qui igitur inſpexerunt effectiones, materiam dixerunt eſſe ſubſtantiam: qui autem alterũ ordinem, ipſam formam. Similiter autem ſubſtantiæ inſeparabiles quædam ratione materiæ dicuntur, quædam ratione formæ. Vno enim modo materia inſeparabilis eſt ab ipſo quid eſt, quia hoc eſt materiæ principiũ, extra quod non eſt: Alio modo forma inſeparabilis eſt à materia, quia ex neceſsitate præceſsit materia in effectionibus. Quomodocunque tamen ſubſtantię dicantur inſeparabiles, nunquam hoc modo inſeparabiles ſunt, vt de ſubiecto aliquo dicantur actu exiſtẽte, veluti ac- E
cidentia. Quæ enim gratia finis ſunt, non ſunt in fine tanquam in ſubiecto: actus autem materiæ non ſunt in materia, vt actu exiſtente: non enim vnum fierent per ſe. Altera dubitatio erat circa definitiones: vt enim ſubſtantia aliqua inſeparabilis dicitur, ſic ex additione definiẽda videtur. An propriè quidem per additionem definiuntur, quando id quod additur actu eſt & ſeparatum? vt ſubiectum in definitione accidentium. Similitudinem autem quandam præ ſe ferunt cum his definitiones formarũ naturalium: materia enim quæ in definitione additur, veluti ſubiectũ eſt: differt tamen, quia non eſt actu ſubſtantia per ſe ipſam: alioqui cum omnis definitio actum quendam & materiam explicet, omnis ex additione videretur eſſe: nã ſi quis ſimpliciter actus fuerit ſine aliqua materia, definiri non poſſe eſt oſtenſum. At dubitabit quis: qua ratione diſcernemus materiam à ſubiecto? nam & materia actum ſuum habere videtur, nec dimittere in compoſito: elemento- F
rum enim virtutes in mixto retinentur: indicant autem accidentia illa, quæ materiam ſequuntur. An cum dicitur materia potentia tantum eſſe, non ob id negatur ens eſſe? non ens enim priuationis eſt, non materiæ niſi ſecundum accidens. Quatenus autem ens quoddam eſt, ſic & quid quoddam & ſubſtantia. Quoniam verò alicuius gratia eſt nõ propter ſe ipſam; idcirco quandiu finem non habet & perfectionem, & priuata eſt, dicitur non ens actu, ens autem in potentia. Quodcunque igitur illi aduenit eam perficiens, & cuius gratia apta nata erat, materię dicitur aduenire, non ſubiecto. Quodcunque autem non habuerit rationem finis, cum non ſit ſubſtantia, illi vt ſubiecto adueniet: hæc igitur per additionem propriè dicunt definiri. Subſtantiæ autem partes, quæ definitione explicantur, non propriè addi dicuntur, nam ex iis vnum fit per ſe, ex ſubſtantia autem & affectionibus non vnum niſi ſecundum

A cundum accidens. Concludimus igitur ſubſtantias inſeparabiles & nõ ſimpliciter dictas, ſed ſecundum additionem, ſimilitudinem quidem habere cum accidentibus, adeo vt quidam negauerint ſubſtantias eſſe (qui enim materiam iudicabant ipſum primum principium, omnia alia dixerunt affectiones eſſe, & ſic generationem è medio tollebant: qui autem ad formam inſpexerunt, vnum tantũ dixerunt eſſe id quod eſt & immobile, reliqua enim non eſſe verè entia nec ſubſtantias, vt Parmenides) differre tamen eo modo, vt dictum eſt. nam ſecundum Ariſtotelis ſententiam non ſolum ipſum primum ſubſtantia eſt, ſed etiam quæcunque ab illo primo pendent alicuius gratia: nam & hæc apta nata ſunt vnum eſſe. idcirco & ſimpliciter dicuntur & non de altero. Accidentia autem nec alicuius gratia ſunt, nec vnum fiunt cum ſuſceptibili. idcirco ſemper de altero dicuntur ſubiecto.

B *In ſubſtantijs ſeparatis à materia partim dari multitudinem, partim non dari. Quæſtio II.*

CVM ſubſtantiarum quædam actus ſimiliter ſint, quædam compoſitionem aliquam ſortiantur: dicimus vnicum tantum eſſe actum ſimpliciſsimum ac primum, reliqua autem omnia & compoſitionem & multitudinem recipere. Colligitur autem hæc ſententia ex. 12. Metaph. tex. 49. in hunc modum. Quæcunque multa numero ſunt, materiam habent, ipſum verò primum quid eſt, materiam non habet, ergo non recipit multitudinem, ſed vnum tantum eſt. Veritas maioris propoſitionis hoc modo oſtenditur. Cum multitudo diuiſionem ſupponat, vnum enim quatenus vnum indiuiſibile eſt: quantam neceſſe eſt eſſe omnem multitudinem: non enim diuiditur niſi quantum. Si igitur forma ſecundum ſe non eſt quanta, C ſed ſecundum materiam; omnem multitudinem materiam habere eſt neceſſe. Idcirco Plato ſub nomine Dualitatis materiam intelligebat, cum ex vno & dualitate fieri dicebat omnia quæ fiunt. Idque recta ratione: à forma enim vnitas vbique prouenit, à materia autem multitudo & diuiſio. Si igitur actus ſimpliciſsimus ab omni materia ſeparatus, non eſt quantus; impoſsibile eſt multitudinem recipere. vna igitur tantum erit huiuſmodi ſubſtantia. At verò neque rationum multitudinem ſuſcipere poſsit, veluti Socrates & album, & anima & corpus. quod enim nullam habet materiam, ſimpliciſsimumq; eſt, vnum eſſe omnibus modis eſt neceſſe. non enim ſunt ipſius partes. Nec verò refert numerum quidem diuiſibilem eſſe in indiuiſibilia, magnitudinẽ autem in ſemper diuiſibilia: quaſi à materia ſolum continuum habeatur, à forma autem numerus, cum pręſertim formæ ſint ſicut numeri. Nam ex diuiſione magnitudinis numerus conſurgit etiam in infini-

tum, vt bipartito infinita. 3. Phyſicor. tex. 68. Non igitur numerus erit D præter magnitudinem. Quòd autem deſinat ad indiuiſibilia numeri diuiſio, ratione quidem formæ conceditur eſſe, numerus enim eſt plura vna, vnum autem omne indiuiſibile eſt, & ratione formæ vnumquodque vnum eſt; non tamen vnitatum multitudo ſeparata à magnitudine eſſe poteſt. diuiſio enim omnis propter materiam contingit. Eadem autem ratio non ſolum oſtendit, quæ plura ſunt numero, materiam habere, ſed etiam quæ plura ſunt ratione ſeu ſpecie: non enim plures rationes in idem numero conuenire poſſunt, niſi aliquod vnum ſit ſubiectum, vt muſicum & album in homine. Quæ igitur ſeparata ſunt à materia, quatenus ſeparata, rationum multitudinem continere non poſſunt. Verùm enimuero aliquo modo in ſubſtantijs ſeparatis dari multitudinem patet. nam 12. Metaph. tex. 43. probat Ariſtoteles multitudinem ſubſtantiarum ſeparatarum, quia neceſſe eſt multa eſſe mouentia immobilia & ſempiterna: hæc autem multa eſſe, quia corpora, quæ ab ijs mouentur, multa ſunt. Præterea multitudinem quoque E rationis ineſſe patet. Alia enim ratio eſt, quatenus mouens, alia quatenus intelligens. ponitur enim intelligentia eſſe huiuſmodi ſubſtantia. ſimiliter dicendum & de alijs, quæ illi attribuuntur, vt vnum eſſe aut multa, impartibile aut oppoſitum, æternum, principium, immobile, & alia huiuſmodi, quorum omnium diuerſæ ſunt rationes. Quis igitur hic modus eſt, quo multitudo in ſubſtantijs ſeparatis admittatur? Dicimus: cum ab hoc genere ſubſtantiæ reliqua pendeant, vt ſuperius fuit probatum, duplicem conſiderationem circa ipſum oriri. Nam aut conſiderari poteſt, quatenus ſubſtantia eſt quędam ſui generis, ſimpliciſsima & à nullo dependens: aut quatenus à cæteris entibus participatur. Primo igitur modo acceptum, vnum omnibus modis exiſtit, vt rationes priores oſtendebant. Altero autem modo neceſſe eſt multiplicari ſecundum multitudinem recipientium. non F enim ſecundum eandem menſuram ab omnibus participatur, ſed ab ijs quidem perfectius ab ijs vero imperfectius. 1. cęl. tex. 100. ſi igitur æqualiter ab omnibus reciperetur, omnia ſimiliter vnum eſſent, nulla enim eſſet differentia, per quam differrent. Quòd ſi entia ſunt plura, & ab vno omnia, per diuerſam vnius participationem oriri eſt neceſſe, Idcirco factum eſt, vt ordine quodam diſpoſita ſint corpora vniuerſi, quatenus perfectius vel imperfectius datum eſt illis eſſe. Dicet vero quiſpiam. Si ſecundum multitudinem entium multiplicari debeant, ſubſtantiæ ſeparatæ, longè plures erunt, quàm quę ſtatutæ ſunt ab Ariſtotele: multiplicantur enim ſolum ſecundum corporum cœleſtium multitudinem. At ab eodem licèt imperfectius, pendent quoque generabilia & corruptibilia: Subſtantias autem eſſe ſeparatas iſtorum, in peripatetica diſciplina non conceditur, hoc enim eſſet Ideas

aſtruere.

A aſtruere. Præterea, quomodo abiunctæ fuerint huiuſmodi ſubſtantiæ à materia, cum ſecundùm multitudinem materiæ multiplicentur? Num indiuiſibilis ſecundum ſe exiſtens diuiditur ratione materiæ? At hoc modo habent formę omnes materiales, & à materia inſeparabiles. Quod igitur ſeparatum exiſtit, diuiſionem materialem recipere nequit. An duobus modis participari poteſt à cæteris ſubſtantijs prima ſubſtantia? vno ſcilicet quatenus ſunt, omnibus enim diſtribuitur eſſe à primo ente: ſic autem ſolum primum ſeparatum eſt & vnum, reliqua autem & multa & inſeparabilia. Nam dicuntur ſecundum additionem: vnum autem ſolum quod primum eſt, ſecundum ablationem omnium dicitur. Alio autem modo quædam participant primam ſubſtantiam, ſcilicet ſecundum operationem, vt mouentia immobilia & ſempiterna: hæc enim quatenus mouentia, ſeparata ſunt. 8.Phyſ. tex.30. Quatenus autem quodammodo reſpiciunt ipſa mo-
B bilia diuerſa & multa, multitudinem, & diuerſitatem reſpiciunt ſecundum numerum mobilium. Exemplo autem eſſe poſsit id quod mouet animalia, appetibile ſcilicet. vnum enim & idem numero exiſtens, variam in diuerſis animalibus ſui appetentiam gignit, vnde variè mouet. Quodammodo igitur vnum eſt mouens, quia vnum appetibile, quod omnia appetunt: quodammodo plura, quatenus à pluribus deſideratur non ſecundum eandem menſuram. Idcirco ſummum bonum & optimum vnum maximè exiſtens omnia implet ſui deſiderio, & quod ſimpliciter eſt bonum, vnicuique ſigillatim fit bonum abſque infectione materiali aut diminutione aliqua eſſentiæ. Et quemadmodum anima animalium vna exiſtens non ſparſa in corpus, ſed in principali particula ſedens vt in corde, diuerſas functiones diuerſis organis diſtribuit; ſic vniuerſi ſubſtantia ſupra omne corpus exiſtens & ab omni materia ſeparata pro multitudine corporũ multis modis parti-
C cipatur abſque eius diuiſione. Hoc igitur modo quod vnum eſt ſecundum ſe, ſecúndum habitudinem ad multa, multitudinem recipit, quia quodammodo materiæ applicatur illi aſsiſtens. Eodem pacto reſponderi poteſt ad alteram dubitationem de multitudine rationis. Nã ſecundum habitudines ad cætera entia, multæ rationes inſunt eidem: vt motorem eſſe quatenus reſpicit mobilia: principium & cauſam & finem vltimum, & primam formam, & ſummum bonum, quatenus reſpicit ea, quæ oriuntur ab ipſo ſecundum quod huiuſmodi. Ens autem denominatiuum eſt ab ipſa eſſentia, quæ in ipſo eadem eſt, non quemadmodũ in ijs quæ materiam habent, non enim idem eſt ſanitas & ſanum, & albedo & album, quoniam hæc de altero dicuntur: nec homo & humanitas, anima & animal: quoniã omnia huiuſmodi materiã habent, & in his alterum eſt forma per ſe ipſam ſumpta, & forma cũ materia: anima forma eſt, animal cũ materia: ſanitas forma, ſanumq́

cum

eum materia ſumitur: animal forma, hoc animal cum materia: eſſentia forma, ens forma cum materia in quibus adeſt. Cum igitur in primo nulla inſit materia, idem eſt eſſe & eſſentia: nec vt alterum quid de eo prædicatur ens: Sic & vnum. Quoniam autem hæc nomina vnum & ens communia ſunt omnibus, propria autem vniuſcuiuſque ſubſtantia ab opere denominatur, intelligentia videtur eſſe eius ſubſtantia, operatio enim hæc propria eſt & non communis cum corpore. Reliqua autem attributa, aut quia communia quædam ſint cum alijs, aut ſecundum habitudinem ad alia: aut etiam propter ſimilitudinem quandam cum cæteris dicuntur pro captu hominum. 12. Metaph. tex. 50. Priuationes autem aliquando illi attribuuntur, vt impartibile, immobile, immortale, quoniam per collationem cum magnitudinibus mobilibus & caducis, quæ nobis ſunt notiores, diſponimur ad illius ſubſtantiam percipiendam. Quæcunque igitur diuerſæ rationes illi videntur ineſſe, propter diuerſas collationes ab intellectu noſtro factas, inſunt, non quatenus vna quædam ſubſtantia eſt ab omni materia ſeiuncta. Quo pacto igitur primum genus ſubſtantiæ multitudinem recipiat, quomodo non: explicatum eſt. D E

Primi motoris virtutem immenſam eſſe, non tamen infinitam neque finitam propriè dici poſſe. Quæſt. 111.

CVm pluribus modis dicatur infinitum. 3. Phyſ. tex. 34. ſatius fuerit ante alia aperire, quo pacto in propoſita quæſtione infinitum accipiamus. Vno igitur modo dicitur infinitum, quod impoſsibile eſt tranſire, quia non eſt aptum natum tranſiri. Sic autem concedimus virtutem primi motoris infinitam eſſe, impoſsibile enim eſt finem habere non ſolum ſecundum tempus, nam ſupra tempus exiſtit, ſed & ſecundum robur, immēſa enim eſt virtus, vt inferius patebit. Alio autem modo infinitum dicitur, quod aptum quidem eſt tranſiri, ſed ad finem non peruenit, aut quia ſimpliciter non poſsit, aut difficulter poſsit, aut tandem quomodocūque impediatur: quod genus infiniti ineſt tantum ijs, quæ quanta ſunt continua ſeu diſcreta, ſiue per ſe, ſiue ſecundum accidens, vt albedo infinita quia ſuperficies infinita. Cum igitur propriè illud dicatur infinitum, quod poteſt finitum eſſe, huiuſmodi autem ſit quantum ſiue magnitudo, ſiue multitudo, cuius paſsio per ſe eſt finitum vel infinitum. 3. Phyſ. text. 35. ob id aſſerimus primi motoris virtutem, neque finitam, neque infinitam propriè dici poſſe. Huius autem apertiſsima eſt demonſtratio Ariſtotelis. 8. Phyſ. tex. 86. vbi probat: primum motorem impartibilem eſſe, & nullam habere magnitudinem: quoniam ſi finitam haberet potentiam, non moueret tempore infinito, vt mouet: ſi verò infinitam, F

tam,

A tam, eſſet quoque magnitudo infinita, quæ non datur in natura, vt oſtenſum eſt.3.Phy.cap.5.& 1.cœ.cap.5.6.& 7. Idcirco cum neque finitam, neque infinitam habeat potentiam, impartibilem eſſe eſt neceſſe & ſine magnitudine: omnis enim magnitudo finita eſt vel infinita. His tamen non obſtantibus quidam ſummi Peripatetici voluerunt, etiam eius quod nullam habet magnitudinem, virtutem eſſe vel finitam, vel infinitam: hanc autem diſtinguentes in intensè & extenſe auctam, ſcilicet ſecundum robur vel diuturnitatem temporis, inquiunt, Primum motorem finiti quidem eſſe roboris, infinitæ autem perennitatis: hoc quidem quia mouet infinito tempore: illud autem, quia quod mouetur eſt finitum & velocitas finita circulationis. Putant igitur, ſi cœlum eſſet maius, aut ſtellæ plures vel maiores, non poſſe moueri, niſi tardius, quoniam virtus tanta eſt, quanta ſufficiat ad molem quæ nunc eſt, mouendam. Nam ſi poſſet eadem velocitate ma B iorem molem circumuoluere, hanc minorem tanto velocius nunc moueret, & ſi in infinitum intēta eſſet virtus, nullum eſſet tempus in quo moueret hanc molem finitam: maior enim virtus in minori tempore mouet. Finitum igitur robur eſſe primi motoris propter huiuſmodi rationes putauerunt. Sed quantum diſcedant à veritate ſummi Philoſophi, demonſtrationem ſuperius dictam conſiderantibus, facilè patere poteſt. Nam primum non ſequeretur concluſio, quæ infertur, nullam ſcilicet habere magnitudinem, ſed oppoſitum. Si enim conceditur virtutem habere finitam aut infinitam, quantum quoddam erit primum mouens ſiue per ſe, ſiue ſecundum accidens: finitum enim & infinitum ſunt per ſe affectiones quanti. Præterea impoſsibile eſt aliquid finitum eſſe ſecundum robur, mouere autem infinito tempore, vt ipſi ſupponunt. Demonſtratio autem huius eſt. 8.Phyſ. tex.78. vbi vniuerſaliter probatur, nullum finitum mouere in tempore infini- C to in hunc modum. Nam ſi accipiatur pars virtutis, hæc partem corporis mouebit in minori tempore: diuiditur enim motus & tempus ſecundum diuiſionem mobilis. 6.Phyſ. tex.39. Nam partis minor eſt motus quam totius: minoris autem motus minus eſt tempus: verbi gratia, pars magnitudinis quæ mouetur, citius abſoluitur à magnitudine quam tangit, tota autem tardius: idcirco infinita magnitudo infinitum requirit tempus, finita finitum, magna longum, parua breue. Finitum ergo erit tempus, in quo pars mouentis partem magnitudinis mouet: æqualiter autem augendo, virtutem & mobile & tempus: virtus quidem finita & mobile finitum auctionis finem habebunt, tempus autem nequaquam: infinitum enim ſupponitur, in quo tota virtus totam magnitudinem mouet: idcirco aut omnia finita, aut omnia infinita eſſe oportet, tempus ſcilicet, magnitudinem & virtutem. Si reſpondeant non valere demonſtrationem de omni virtute, ſed tan

tum

tum de ea quæ diuturnitatem ſignificat: quaſi altera ſit virtus & non D eadem, quæ tantum poteſt, & in tanto tempore mouere: nihilominus adhuc remanet inæqualitas. corpus enim finitum eſt, virtus autem & tempus infinita. Præterea vana fuiſſet demonſtratio: virtutem enim infinitam duratione dicere, & infinito tẽpore mouere, idẽ eſt, nec eget demonſtratione. Non igitur oſtendit finitum aliquod ſecundum durationem, mouere non poſſe infinito tempore, ſed ſimpliciter quodcunque finitum. Verùm enimuero ſi admittamus, neque finitam neque infinitam eſſe primi mouentis virtutem, vt voluit Ariſtoteles, quo pacto infinitus erit motus, finita autem velocitas & finitum corpus? Nam ſi infinito tempore mouet, exiſtente infinito motu, virtutem ſimiliter infinitam eſſe oportuiſſet: ratione autem corporis finiti & finitæ velocitatis finitam. An non eſt neceſſe? indiuiſibile enim exiſtẽs & non quantum ſimiliter ſe habet ad quamcunque quantitatem ſeu finitam ſeu infinitam. Idcirco ſi tempus eſt infinitum, virtus quidem E non poteſt eſſe finita, nec tamen eſt neceſſe infinitam eſſe. Similiter ſi magnitudo eſt finita, non contingit virtutem eſſe infinitam: non tamen eſt neceſſe finitam eſſe. Hac igitur ſubtiliſsima perſcrutatione Ariſtoteles inueſtigauit primum motorem impartibilem eſſe, & nullam habere magnitudinem. Nam aliàs hæc ſimul eſſe non poſſunt, mouere ſcilicet infinito tempore, & magnitudinem eſſe finitam, ſimul enim eſſet idem finitum & infinitum. Sed amplius dubitatur. ſi indiuiſibile eſt primum mouens, non erit proportio inter plura mouentia, vt inter plura mobilia, indiuiſibile enim nec maius nec minus eſt: corpora autem quæ mouentur differunt magnitudine & paruitate, velocitate & tarditate. Differre autem oportere mouentia inter ſe, vt differunt mobilia & velocitates, oſtẽdit Ariſtoteles. 7. Phyſic. cap. 5. omnia enim inter ſe proportionabilia eſſe oportet. Nam aliàs ab eadem virtute ſimiliter moueretur moles maior & minor: & eadem mo F les tardius & velocius. ſic autem id quod mouet corpus Lunæ, mouere poterit quemcunque orbem. & ſi tantum poteſt motor Lunæ, quantum poteſt motor primi cœli (indiuiſibiles enim cum ſint, non excedunt ſe inuicem) quemadmodum tanta moles primi cœli velociſsimè mouetur à ſuo motore, ſic corpus Lunæ, quod longè minus eſt, adhuc tãto velocius moueretur à proprio motore: ab æquali enim virtute citius mouetur quod minus eſt, quàm quod maius. Sed cum hæc alio modo habeant, & determinatæ ſint corporum moles, & velocitates; neceſſe eſt ſimiliter virtutes mouentes terminatas eſſe: non igitur indiuiſibiles erunt. Difficillima quidem eſt quæſtio, adeo vt cogere videatur. Nam aut incommenſurabilia erunt mouentia cum iјs quæ mouentur, ſi mouentia impartibilia ſunt: aut ſi conceſſerimus partibilia, vt maiores & minores ſint virtutes, à finita virtute fiet infinitus

nitus

A nitus motus, aut infinita virtus erit in corpore finito. Veruntamen ſi ea meminerimus, quæ de vnitate & multitudine ſubſtantiarum abſtractarum dicta ſunt à nobis, facilis erit quæſtionis ſolutio. Cum enim vnum tantum ſit ſummum expetibile, quod immobile exiſtens mouet, magis & minus expeti contingit ſecundum maiorem & minorem corporum perfectionem, vnde collecta eſt multitudo mouentiũ ſecundum eum ordinem, quem habent corpora inter ſe: vt quod perfectiſsimum eſt, velociſsimè moueatur, tardiſsimè autem quod imperfectiſsimum: perfectio autem & imperfectio ex magnitudine & paruitate videtur eſſe, & ex propinquitate ac diſtantia. Omnis igitur differentia ex parte mobilis oritur, non ex parte mouentis. Quatenus enim mouens vnum eſt & impartibile, quæ erit differentia diuidens? quamuis igitur hoc nullam habeat proportionẽ cum diuiſibili & magnitudine; quatenus tamen ſecundum menſuram appetitur à quo-
B cunque, proportionem habet cum vnoquoque. Propter hanc autem proportionẽ & menſuram, quædam citius abſoluunt ſua itinera, quædam tardius, quia tantum datũ eſt illis de appetentia. Et contra accidit, quam vt quidam dubitarunt: ſi cęlum maius eſſet, quam nunc eſt, moueri non poſſe, aut tardius moueri. Nam videmus, quanto maiora ſunt corpora, tanto etiã velocius ferri: vnde luna tardiſsimè mouetur, quia minimam obtinet molem: primum cœlum velociſsimè, quia omnium eſt maximum. Si igitur adhuc maius eſſet, velocius etiam ferretur, magis enim appeteret. & ſi poſſet in infinitum creſcere, etiam in infinitum creſceret, & appetentia & velocitas. nam ex parte mouentis nullus eſt defectus. At dicet quiſpiam, fruſtra eſſe in primo mouente hanc potentiam mouendi ſcilicet maiorem orbem, quàm qui nunc eſt, cum nunquam reducatur ad actum: id enim impoſsibile dicitur, quod ſemper aliter eſt. Dicimus hoc quidem repugnare ex natura corporis, non
C ex natura mouentis: corporis enim moles tanta eſt, quanta eſſe poteſt, & non eſt poſsibile corpus eſſe maius cœlo. & ſi igitur in cœlo non expetatur quantum ipſum optimum eſt expetibile, finita enim eſt corporis moles; à ſe tamen expetitur vt eſt expetibile, & optima vita finitur ſine menſura. Non enim deſinit natura boni, vbi deſinit natura corporis: vbi autem deſinit natura corporis, motus etiam deſinit: non igitur poſsibile eſt velociorem eſſe motum, quam qui primi cœli. Secundum hanc ergo menſuram appetentiæ corporum velocitates ſunt finitæ: quatenus autem primum mouens immenſum eſt, non quia quantum quoddam infinitum, ſed quia impartibile & ſine magnitudine; eatenus recipitur motus ſine menſura. huiuſmodi autem eſt ſecundũ tempus infinitũ. finitum enim vnumquodque menſurabile eſt. Neque differentia vlla eſt penes id: ſimiliter enim de æternitate habet Luna, vt Sol, & cætera Aſtra: vnus enim eſt omnium motor. Quoniam autem

corpus

corpus finitum non poterat recipere motum infinitum, idcirco figura D illi tributa eſt circularis, ſecundum quam fit motus: circuli enim nullus eſt finis neque principium: & exemptum eſt à contrarietate, vt ingenitum eſſet & incorruptibile. Colligimus autem ex dictis, duplicem eſſe virtutem mouentem cęleſtia corpora: vnam quidem ipſius mouentis immobilis: alteram autem ipſius corporis moti: quemadmodum & in alijs omnibus eſt neceſſe. Duplex enim potentia: altera agendi altera patiendi. 5. Metaph. tex. 17. comburit enim ignis quod combuſtibile eſt, incombuſtibile autem nequaquam. A virtute igitur agente in cœlo, quatenus immenſa eſt & impartibilis, motus æternus prouenit: cui in corpore reſpondet virtus recipiendi motum infinitum, non quidẽ quantitas infinita, ſed figura fine carens & principio, quæ circularis eſt. Ab eodem verò agente quatenus ſecundum menſuram appetentiæ & quantitatis corporis, motus diſtribuitur, recipitur determinatus motus ſecũdum velocitatem. Virtus igitur paſſiua ideſt E appetentia, quę natura eſt, tanta exiſtens quanta eſt corporis moles, virtutem agentem ſecundum ſe immẽſam, quodammodo menſurat: immenſa autem virtus agens, finitum corpus quaſi infinitum facit ſecundum figuram.

Primum motorem intelligentiam eſſe ſpeculatiuam non actiuam. Quæſt. IIII.

CVm primus motor immobilis exiſtens tanquam appetibile quoddã moueat cœlũ: appetitus autẽ ſequatur aut ſenſum aut intellectũ. 3. de an. tex. 54. neceſſe eſt intellectũ eſſe ſummum bonum, ſenſus enim non eſt rerum ſeparatarum, ſed intelligentia ſolum: idcirco dictum eſt. 12. Metaph. tex. 36. prima eadem eſſe appetibilia & intelligibilia: & intellectionem principium eſſe appetentiæ. F Quoniam verò intellectus quidam ſpeculatiuus dicitur, quidam actiuus, alius quoque factiuus, qui fine diſtinguuntur: contemplatiui enim finis veritas, cæterorum autem actio ſeu opus; teſtatur quidem Ariſtoteles. 10. Ethic. cap. 8. Deorum operationem cõtemplatiuam tantùm eſſe, non autem actiuam neque factiuam. Quæ ſententia maximam patitur controuerſiam. Nam ſi ſubſtantia ſeparata ideo mouet, quia amatur & deſideratur. 12. Metaph. tex. 37. amatur autem quia intelligitur vt bonum: actiua intelligentia videretur eſſe. hoc enim differt bonum à vero. 3. de ani. tex. 34. boni enim intellectio appetitum gignit & motum, quod ſpectat ad actionem: veritatis autem contemplatio quieſcit inuenta veritate. Explicauit autem hoc Ariſtoteles maniſeſtè. 6. Ethic. cap. 2. vbi inquit: cogitationem ipſam nihil mouere, ſed eam quæ cauſa alicuius eſt & actiuam, & 3. de ani. tex. 49. duo enim

mouen-

A mouentia, intellectus qui propter aliquid ratiocinatur, qui practicus eſt: & appetitus. Et 3. de ani. tex. 54. vbi mouēs diſtinguit in immobile & id quod mouetur, Immobile enim (inquit) eſſe agibile bonum, alterum autem appetitiuum. Si igitur ab intelligentia aliqua mouetur cœlum; neceſſarium videtur, hanc eſſe actiuam, non autem contemplatiuam: non enim contemplatiua actionis vllius gratia eſt, ſed veritatis ſolum. Præterea ſi mediante motu inuentus eſt primus motor. 8. Phyſ. & quæcunque illi attribuuntur: hoc modo vt actiuus tantum intellectus à nobis cognoſci poterit. ſpeculatiuus enim ad motum nihil videtur prodeſſe. 3. de ani. tex. 46. quòd ſi conceſſerimus actiuum eſſe; alia ſequentur abſurda & maiora. Nam primum contingeret aliter ſe habere poſſe id quod omnino immobile & æternum eſt: agibile enim bonum eſt quod aliter habere poteſt. 3. de ani. tex. 51. Præterea non eſſet ſeparabilis à materia primus motor: bonum enim vniuſcu-
B iuſque finis eſt, ad quem tendit vnumquodque: hæc autem forma eſt materialis, aut vbi, aut quantum, aut aliquod aliorum prædicamentorum: finis enim mutationis cuiuſque aut motus in his eſt. ſeparata autem ſubſtātia nō poteſt eſſe alicuius mutationis finis. haberet enim materiam, & oppoſita illi eſſet priuatio: at primo principio nihil eſt contrarium. 12. Metaph. tex. 56. omnia enim contraria materiam habent. bonum igitur & malum, quę motiua ſunt per concupiſcentiam & odium, inſeparabilia ſunt à materia. Diceret quiſpiam intellectione abſtrahi à materia quæcunque in materia ſunt: hoc modo autem principium eſſe primum motorē, quatenus intellectus eſt & ſeparatus à materia. At, hoc eſſet ideas principia rerum ponere: idea enim aliqua motus cœlum mouebit: quemadmodum ſanitas in mente artificis ſanitatem efficit in ægroto. Hunc autem modum generationis non eſſe in natura, inferius commodius oſtendemus. An intellectus acti-
C uus & factiuus principia ſunt eorum, quæ fiunt ab homine quatenus artem habet & prudentiam? quorum omnium principium eſt extra id quod mouetur: in ijs autem quæ fiunt à natura, principium eſt intra. Idcirco nulla intra. Idcirco nulla intelligentia actiua ſeu factiua requiritur ad motus naturales perficiendos. appetitus enim naturalis ſiue impetus non huiuſmodi intellectum ſequitur: ſed ſufficit ſpeculatiuum eſſe quendam intellectum ſeparatum, qui non huius quidem gratia intelligat (non enim eſſet vltimus finis, cum ad opus aliud dirigeretur) ſed ſui quidem gratia intelligente, & in ſua perfectione perſiſtente, reliquis ſubſtantijs ab ipſo pendētibus, ex neceſsitate appetitus ille innaſcatur, quæ natura dicitur vniuſcuiuſque, à quo omnis motus naturalis perficitur. Hoc autē modo ſoluitur quoque dubitatio quorundam, qui putauerunt duas intelligētias ſingulis orbibus cęleſtibus aſcribendas eſſe: quoniam ſi primus motor tāquam appetibile quod-

dam

dam & amatum mouet corpora cęleſtia: appetere autẽ & amare hæc D
non poſſunt, niſi intelligant ipſum bonum: aliam igitur intelligentiam ſingulis ineſſe oporteat coniunctam orbi, per quam orbis ſeparatam alteram intelligat, cui aſsimilari cupiat. Non enim eſt neceſſe omnem appetitum inſequi intelligentiam actiuam, vt in hominibus contingit: ſolus enim inter ea quæ natura conſtant, intelligit, ac viuit arte & prudentia. Credere autem idem eſſe & ſecundum idem id quod mouetur, & quod appetit, & quod intelligit, nō niſi fatuum eſt: nnn enim ſecundum eandem partem hæc fiunt etiam in animalibus. Motus enim ſecūdum neruos & articulos perficitur: appetitus autem in corde aut proportionali cōſiſtit: virtus autem ſentiendi in proprijs organis: Mentis autem virtus ſeparata eſt. Similiter dicendum de cœlo. cum enim in eo tria ſint, id quod mouetur corpus: mouens intelligentia: & tertium quo mouetur, appetitus: vnum quidem aliquod eſt, quod mouetur, quod appetit, & quod intelligit, non tamen ſecundum eaſdem partes aut potentias. Secundum igitur corporis naturā motus ineſt, hoc enim primo mouetur: ſecundum intelligentiam intelligit, hæc enim propria eſt intellectus operatio non communicans cum corpore: ſecundum autem coniunctum appetit: amare enim, & odiſſe, & deſiderare affectiones ſunt cōiuncti ex anima & corpore. 1. de ani. tex. 14. & 66. ſi autem aliqua eſt animæ operatio propria, intellectio eſt ſola, maximè autem diuina. Non ergo eſt neceſſe ad appetitum & motum cœlo impartiendum, alium quærere intellectum coniunctum, qualis eſt actiuus. Sufficiens enim eſt ſpeculatiuus ille actus ſimplex & perfectiſsimus non alicuius gratia exiſtens, ſed ipſe met finis omnium, vnde habēt cætera & eſſe & viuere. Nam præſente actu, materia actu fit quantum apta nata eſt: indiuiſibilis namque ſecundū ſe, ratione materiæ diuiditur. Differentia igitur eſt inter ea quæ fiunt ab intellectu actiuo, & quæ ab huiuſmodi ſpeculatiuo oriuntur. Actiuus enim ſeu factiuus intellectus non indit appetitum ſeu inclinationem in patiente, ſed in agente ſolum: idcirco principium eſt motus in altero, vel prout alterum eſt, & agit introducendo, non educendo de potentia materiæ, veluti artificialia omnia ſe habent. Speculatiuus autem intellectus ſubſtantia exiſtens per ſe, non alterius gratia appetibilis, ea quæ apta nata ſunt appetere, perficit, non agendo quippiam, aut introducendo in materia aliquid, hoc enim laborioſum eſſet; ſed per ſui præſentiam educendo ex potentia materiæ formam ad quam apta nata eſt. Principium igitur motus horum in patiente ſolum, non in agente eſt, quæ natura dicitur vniuſcuiuſque. Vtrum autem omnis intellectus ſpeculatiuus hoc modo perficere poſsit, alia quæſtio eſt, aliàs examinanda.

E and F margin letters appear beside lines "eſt, quod mouetur..." and "ab intellectu actiuo..." respectively.

A

Cœli circulationem imitationem eſſe intelligentiæ. Quæſt. V.

QVAERI ſolet de cœlo, cur potius per motum quàm per immobilitatem bonum ipſum conſequatur ab intelligentia? Videretur enim quies potius appetenda quàm motus: ſi ipſum appetibile omni motu caret. Præterea cum omnis motus aliunde aliquò tendat, inſtitutus autem ſit propter finem ad quem tendit, vt in generatione ſubſtantia, in augmentatione quantitas, in alteratione qualitas, in motu locali ipſum vbi: cęli circulatio fruſtra videtur inſtituta, cũ eius non ſit aliquis terminus, ad quem tendat. habitibus enim præſentibus ceſſat motus. circulatio autem tanquam fine carẽs, infinito tempore agitur peioris igitur conditionis videtur eſſe cęlum quam grauia & leuia. hæc enim loca habent in quibus quieſcant poſt
B motum: cęlum autem ſine vlla quiete ſemper agitatum finem non habet, propter quem motus omnis videtur inſtitutus. An cęlum hoc modo agendo, maximè primum illum intelligentiæ actum imitatur? Cum enim ab actu ſimpliciſsimo cæteri actus cum potentia mixti pendeāt ſecundum multos perfectionis gradus, vt oſtenſum eſt aliàs: cęli autem materia longè perfectior exiſtat, quàm quæ generabilium & corruptibilium: merito & actum perfectiorem conſequi par eſt. Aequalem autem perfectionem habere ipſi intelligentiæ impoſsibile eſt. mixtam enim habet aliquam potentiam ſcilicet ad vbi: idcirco per huiuſmodi motum ſuam perfectionem conſequitur. At verò quæ perfectio eſt ipſa circulatio? & quæ imitatio eſt intelligentiæ? An quemadmodum diuina intelligentia receptio quædam eſt ſui ipſius, non alterius: idem enim eſt quod intelligit, & quod intelligitur: ſic cęleſte corpus in ſe ipſum reuoluitur, non in alienum tranſit locum?
C Quatenus igitur in eodẽ ſemper manet, imitatur intelligentiæ immobilitatem: quatenus autem cõtinua motione ab eodem in idem trãſit (idem enim eſt circuli principium, mediumq́; & finis) maximè aſsimilatur intellectioni, quæ eſt ſui ipſius. At humanus intellectus, & quicunque diſcurſiuus eſt, aut qui non ſui ipſius ſed alterius eſt, motui recto magis aſsimilatur: principium enim diſtinguitur à fine, vt propoſitiones à concluſione. 1. de Ani. tex. 48. idcirco cęli circulatio non aliquem huiuſmodi intellectum ſequitur veluti practicum, aut diſcurſiuum: ſed ſpeculatiuum ſolum, qui ſui ipſius eſt. Quoniam verò ſubſtantia intelligentiæ impers eſt, & nullam habet magnitudinem: cœlũ autem ob naturam corpoream partes habet: nulla alia ratione huiuſmodi naturã imitari potuit, quàm velociſsimo partiũ diſcurſu. Quod enim intelligentia per immobilitatẽ cõſequitur, vt ſcilicet vbique præſens ſit (nam cũ in loco eſſe haud apta nata ſit, nec in partes diuidi, ſine

loci mutatione & abſq; vlla ſui diuiſione in omnes mũdi partes veluti D fuſa eſt) id natura corporis per motum circularem quantum poteſt adipiſcitur: poteſt autem in tempore & ſucceſsiue ſecundum omnes partes vbique eſſe, ſimul autem non poteſt: repugnat enim naturæ corporis ſimul in eodem plura eſſe. Idcirco quemadmodum fidibus percuſsis accidit, vt in eodem tempore videantur eſſe in duobus locis propter inſenſibilem tẽporis paruitatem, vnde apparent duæ: ſic cęli partes cum ſimul in omnibus locis eſſe non poſsint, ſaltem curſu agitatiſsimo nituntur id conſequi. Maximè autem hoc conſequitur extrema ſphæra: hæc enim velociſsimè mouetur, & quia moles corporis maxima, & quia propinquiſsima intelligentiæ. Reliquæ autem vt magnitudine & paruitate differunt, ſic & circulationis velocitate. Quaſi ſi cœli ſphæræ augerentur in infinitum, infinita quoque eſſet velocitas: adeo vt in nulla parte temporis tota circulatio perageretur. Quòd igitur corpori infinito accideret, nunc accidit intelligentiæ. veluti enim E circulatio quędam eſt omnem implens ambitum, ſed ſupra tempus. qua enim corpus eſt finitum, finita quoque velocitas eſt & tempus. Quoniam autem infinitum circulare corpus dari impoſsibile eſt: hoc enim dato & in non tempore moto ob infinitam velocitatem, vbi vna pars infiniti eſſet, ſimul eſſent & omnes alię: neceſſe fuit indiuiſibile eſſe primum mouens, non corpus; poſitione enim differũt partes corporis & magnitudinis cuiuſque. Hoc igitur modo cœli circulatio conſecutio quædam eſt intelligẽtiæ. deficit autem quia intelligentia quidem in nullo tempore ambitum perficit, ideo ſimul vbique eſt quaſi lumen: cœlum autem indeterminato tempore, hoc enim habet magnitudinem determinatam: illa autem aſsimilatur infinito corpori infinita velocitate moto. at huiuſmodi motus immobilitas potius videtur. ſemper enim ſimiliter ſe habet, non tamẽ ſic vt quieſcens aliquid aut dormiens: hæc enim priuationem ſignificant: ſed in actione per- F ſeuerans continuè, quæ intellectio appellatur. Huiuſmodi autem motum videtur Plato ſignificaſſe, cum animam definiẽs, dixit eſſe ſubſtantiam à ſe motam: operationem enim intellectus ſignificauit, quam vocauit circulationem. Propriè tamen motus non eſt indiuiſibilium, ſed corporis, ideo in tempore omnis motus apud Ariſtotelem. Patet igitur cur cœlum non in quiete perfectionem habet, ſed in motu. Intelligentiæ enim operatio non quies eſt, ſed motus quidam, vt patuit, proportione reſpondens motui circulari, qui in corpore fit. Item cur velociſsimus ſit vltimi cœli motus. vt enim illud corpus maximè accedit ad intelligentiam, ſic eius velociſsimus motus maximè accedit ad intelligentiæ immobilitatem. Nam quemadmodum in ijs, quæ apud nos aliquando velociſsimè rotantur, inſenſibile conuerſionis tempus immobilitatem quandam repræſentat; ſic cœlum per conuerſionem

A breuiſsimo tempore completam imitatur eam, quæ ſine vllo tempore
fit in intelligentia. Quòd autem cæterorum motuum aliquis ſit finis,
in quem tendunt, quo præſente ceſſat motus; cœleſtis autem circula-
tionis nulla ſit ceſſatio: non ob id ſequitur fruſtra in cœlo ineſſe hu-
iuſmodi motum, cum eius nullus ſit finis. Nam in contrarijs & in ijs
quorum ſunt extrema, motus extremorũ gratia eſt inſtitutus. eſt enim
motus actus imperfectus, perfectio autem in fine eſt. In circulo autem
cum nulla ſit contrarietas, nec extremum, circularis lationis nullus eſt
finis, ſed ipſemet finis eſt & perfectio, eſt enim quaſi vita. 8. Phyſ. tex.
primo. Quomodo igitur intelligentia immobilis exiſtens cœlum mo-
ueat, explicatum eſt.

Vnam tantùm eſſe intelligentiam diuinam, quæ Deus eſt. Quæſt. VI.

B SI omnis multitudo diuiſionem ſupponit, diuiſio autem ma-
teriam, vt probatum eſt: quod indiuiſibile eſt, & ab omni
materia ſeiunctum, qualis eſt diuina intelligentia, vnum tan
tùm eſſe neceſſe eſt. Hoc igitur ex ijs quæ ſuperius demonſtrata ſunt
eſt manifeſtum. Quoniam verò difficultates multæ cõtingunt, iterum
ex proprijs, quæ circa mentem apparent, agemus. Cum igitur intelle-
ctus ſuſceptiuus ſit ipſius intelligibilis & ſubſtãtiæ. 12. Metaph. tex. 39.
intellectus diuinus aut ſeipſum ſuſcipit aut aliud. Si quidem aliud ſu-
ſciperet, primo ipſe non eſſet optima ſubſtantia & dignisſima, digni-
tas enim ipſius intellectus eſt ratione intelligibilis, hoc enim mouet.
deinde eius ſubſtantia potentia eſſet non actus: actus enim ipſius in-
tellectus intelligibile eſt, quando receptum eſt: intellectus autem re-
ceptiuus nihil actu eſt eorum quę ſunt, antequam intelligat. 3. de Ani.
C tex. 5. quòd ſi hoc modo exiſteret intellectus diuinus, laborioſa eſſet
perſeuerantia intelligendi. 12. Metaph. tex. 51. potentia enim cum ea-
dem ſit oppoſitorum, in cauſa eſt laboris, vt agere non ſemper poſsit,
neque ſemper nõ agere. 1. cœl. cap. 12. ſe ipſum ergo ſolum intellectus
diuinus recipit, & eius ſubſtantia actus eſt. ſemper enim intelligit, ac
ſemper mouet cęlum. His autem hoc modo habentibus, impoſsibile
eſt plures eſſe intelligẽtias. Nam data multitudine, ſi ſingulæ ſui ipſius
tantùm ſint, vna alteri nihil proderit, ſiue ſit, ſiue non ſit: & multitu-
do erit principatus: hoc autem modo nec ordo nec bonum eſſet in
rebus. 12. Metaph. text. vlt. Si autem vna alterius ſit receptiua, non erit
earum ſubſtantia actus, ſed potentia. quod in diuinis abſurdum eſſe
oſtenſum eſt. Amplius, ſi vna ſe ipſam intelligit & aliam, aut intelligen
tiarum multiplicatio erit in infinitum; aut vnica tantùm erit intelli-
gentia. Sint enim duæ, quarum vna alteram intelligat, ſi altera eſt ſui

ipſius intelligentia,& quæ alterius: quæ alterius eſt,alia erit ab intelligentia intellecta,illa enim & à ſe intelligitur & ab altera: & de hac intelligentia media iterum quærẽdum erit,vtrum aliam intelligat,quod ſi ſit,dabitur proceſſus in infinitũ in intelligentiis medijs,ſemper enim altera erit intelligentia ſui ipſius,altera quæ alterius. Quòd ſi eadem, & ab initio igitur eadem eſt intelligẽtia quæ ſui ipſius,& quæ alterius. Amplius ſi omne receptiuum carere debet non ſolum eo quod recipitur, ſed & quocunque alio eiuſdem generis, vt receptiuum albedinis non ſolum albedine priuatum eſſe oportet, ſed & omni colore: quod enim intus exiſteret, prohiberet aliorum receptionem: Quæcunque igitur intelligentia actu eſt ſeipſam intelligendo, alienam intelligentiam recipere nequit. Quòd ſi recipiat, non erit eius aliquis actus præter actum receptæ intelligentiæ: hoc autem eſt vnicum actũ facere,& vnicam intelligentiam. Si enim ſemper hunc actum intelligit, non habebit potentiam tranſeundi ad alios actus. Poſitis ergo pluribus intelligentijs æternis vna alteram nõ intelliget, & multa erũt principia. Sed dubitatur. Si intelligentia diuina vnica eſt,quomodo ab eadem multitudo motuũ oritur in corporibus cœleſtibus? vt enim vnus motus vnius eſt corporis,& ab vno motore,ſic plures à pluribus intelligentijs oriri neceſſe videtur. Præterea enim ratione cæterorum entium multiplicari intellectiones oportet, ſi intellectus principium eſt omnium,quæ natura conſtant, ab hoc enim principio & cęlum & natura dependet. Si igitur vnus tantum eſſet intelligendi actus & vnũ intelligibile,omnia vnum eſſent: vna enim eſſet omnium ſubſtantia & quid eſt, ſcilicet id quod intelligitur. Quòd ſi multa intelligibilia & multa ſunt entia,aut non pendebunt ab intelligentia diuina,aut intellectus diuinus alia intelliget,quæ ſunt extra ſe,quod impoſsibile eſſe demonſtrauimus. Non enim ab intellectu pendere poſsit id quod ſibi ignotum eſt: quemadmodum non dicuntur ab artifice fieri quæ prius in mente artificis non fuerint. Si igitur intelligentia diuina omnia intelligit,non vnicus erit actus, nec ſimplex: Nam tot in ſe continebit intelligentias, quot ſunt entia. Huiuſmodi igitur circa mentem dubitationes contingunt. Videndum eſt autem, vtrum à primo ente cætera pendeant, quia eſt, an quia intelligitur: differt enim multum. Nam in Mathematicis & in quibus non eſt aliquid, cuius gratia, ideo ſunt concluſiones, quia principia ſunt: in quibus autem eſt ratio boni, & ſunt quædam alicuius gratia, vt materia: & id cuius gratia, vt finis & forma, videtur intellectus principium eſſe; principiũ enim vt finis à diffinitione & ratione petitur,vt in artibus. 2.Phyſ. tex. 91.hæc autem intellectio eſt, quæ ſcilicet à fine incipit: altera autem affectio,quæ à materia. ſeptimo Metaphy.tex.23.Si igitur natura agit propter finem, intellectus aliquis erit omnium rerum naturalium

A lium principium, & omnia intelligere oportebit, non enim quieſcit intellectus, donec ad vltimum deuenerit incipiens à fine. 7. Metaph. tex. 17. At verò ſi hæc concedamus, quot ſunt entia, tot erunt admittendæ intelligentiæ, tanquam illorum exemplaria, & tandem Ideæ. Intelligentia enim ſubſtantia eſt ſeparata à ſenſibilibus: idcirco omnium ſenſibilium altera quædam erit ſubſtantia ab alijs ſeparata: quæ omnia in Peripatetica diſciplina maximè abſurda cenſentur. An ſimilitudo ſumpta ex artibus non admittenda eſt in natura? Non enim ſic natura facit, vt ars. Hæc enim ex domo, quæ ſine materia eſt, ſed in mente tantum reperitur, domum facit in materia: natura autem hominem ex homine facit, vtriſque in materia exiſtentibus. 7 Metaphy. tex. 28. Forma igitur ſeu finis, & ipſum quid eſt, rerũ naturalium principiũ eſt ſimiliter vt in Mathematicis quia eſt, non quia intelligitur. Quod rationi quoque cõſentaneum videtur. Quemadmodum enim B non propter affirmationem aut negationem veram vel falſam, res eſt vel non eſt, ſed è conuerſo, quia res eſt vel non eſt, ideo affirmatio vel negatio vera eſt vel falſa: Eodem modo non quia intelligatur quippiam aut non intelligatur, res eſt vel non eſt: ſed quia res eſt vel non eſt, intelligitur aut non intelligitur: ens enim intelligibile, non ens autem non intelligitur. Prius igitur eſt intelligibile quam intellectus. Quinimo etiam in artibus, in quibus principium videtur intellectus, ſimiliter ſe habet: ſanitas enim in mente nunquam faciet ſanitatem in ægroto, niſi quippiam quod in materia fuerit, eam induxerit, vt caliditas, quæ vel ſit pars ſanitatis, vel aliquo modo ſanitatis rationem includat. 7. Metaph. tex. 30. Quo agente ſanitas fiet, etiam ſi in artificis intellectu non fuerit, ſic enim aliquando à caſu fit ſanitas. 7. Metaphy. tex. 29. quapropter etiam ſi darentur rerum naturalium ideæ, ad generationes non prodeſſent. Non enim caliditas, quæ in mente eſt, cale-C facit, ſed quæ in materia reperitur. Ex his igitur manifeſtum videtur non intelligentiã principiũ eſſe, ſed intelligibile quatenus eſt. Quòd ſi hoc modo dicamus, fruſtra videbitur poni intellectus in principio. An intelligentia non horũ gratia eſt, ſed ſui tantũ? perfectiſsimi enim entis perfectiſsima eſt operatio & iucundiſsima. 12. Metaph. tex. 39. huiuſmodi autem intellectio eſt ſpeculatiua, non actiua, nec factiua, hæ enim gratia operis ſunt. Quoniam vero huiuſmodi intellectio ſubſtantia eſt, idẽ enim cũ intelligibili, & eſt intellectionis intellectio. 12. Metaph. tex. 51. Idcirco intelligentia huiuſmodi, quatenus actus quidam optimus, cæterorum entium eſt principium, ſui appetentia omnia mouendo. Cæteræ autẽ intellectiones poſteriores ſunt ipſis rebus, idcirco non habent rationem principij, non enim appetentiam gignunt in materia. Si igitur primum quid eſt, non fuiſſet intelligentia, nihil mouiſſet ſui deſiderio, principiũ enim appetitus intellectio. Si autem in-

tellectus quidam fuiſſet, ſed non ſubſtantia, quales intellectiones humanæ, nullam vim habuiſſet agendi. Merito igitur primum omnium principium ſubſtantia eſt, & ſui ipſius intelligentia. Quatenus enim perfectiſsimum ens eſt, cæteris eſſe diſtribuit & perficit omnia: quatenus autem intellectio eſt, perfectionis deſiderium rebus indit. Quo autem modo ab hoc vno multitudo deſcendat, hinc fiet manifeſtum. Scribit Ariſtoteles. 9. Metaph. cap. 2. poteſtates rationales in hoc differre ab ijs, quæ ſine ratione ſunt, quod hæ vnum tantum poſſunt: vt caliditas calefacere tantum, frigiditas frigefacere & alia ſimiliter. Rationales autem plura, & contraria: vt ars medendi & ſanitatem efficit & morbum. Cauſa autem huius eſt, quoniam ratio eadem habitum manifeſtat & oppoſitam priuationem: quamquam illius quidem per ſe ſcientia ſit, priuationis verò ſecundum accidens. Natura igitur intellectus eſt, vt vnus exiſtẽs, ſimul ſit multorum, per ſe tamen vnius id eſt habitus, vt albedinis, nigredinis autem quatenus albedinis remotio. Quocirca non fuit neceſſarium animam conſtare ex omnibus elementis, vt omnia cognoſceret, quemadmodum antiqui putabant, ſufficiẽs enim eſt altera pars contrarietatis ſeipſam diiudicare & oppoſitam: recto enim rectum & obliquum cognoſcimus: obliquo autem nec obliquum nec rectum diſcernere poſſumus. 1. de Ani. tex. 85. quemadmodum igitur accidit intellectui, qui poteſtate conſtat, & cõtrariorum eſt receptiuus, qualis eſt humanus, vnum enim ex contrarijs illi inexiſtens efficit intellectionem, & ſui ipſius & oppoſiti: ſic exiſtimandum eſt intellectum diuinum, cum actus perfectiſsimus ſit ab omni contrarietate ſeiunctus, ſe ipſum intelligendo, cæterorum actuum ab ipſo diſcedentium intellectionem cõtinere: & quodammodo omnia intelligere: non quia ſpecies rerum omnium recipiat, nam ex potentia conſtaret, & vilior eſſet quàm illa: nobilitas enim intellectus eſt propter intelligibile. 12. Metaph. tex. 51. præterea ideas poneremus in mente diuina, & tandem actiuam factiuamque, negocioſam ac laborioſam faceremus intelligentiam. Sed quia ſui ipſius intellectio eſt omnium intellectio, vt albi omnium colorum. hoc enim ſolum eſt per ſe intelligibile quia optimum, cuius eſt per ſe intellectio. 12. Metaphyſ. tex. 39. reliqua autem omnia ab optimo diſcedentia, vt ea quæ materiã habent, non ſunt per ſe intelligibilia, ſed optimi intellectione intelliguntur: Ob id poſt intellectionem eius quod maximè intelligibile eſt, facilius intelligimus reliqua. Patet igitur ex dictis quo pacto vnica intelligentia omnium rerum intelligentias contineat, eſt enim tanquã menſura omnium. Quemadmodum autem ſe habent intellectiones, ſic etiam & res ipſas eſſe manifeſtum eſt: ab vno igitur multitudinem deſcendere non eſt impoſsibile. Patet etiam ex reductione entium ad vnum, & ex modo quo ſubſtantiarum genera dicũtur ſecundum additionem

ditionem

A ditionem & ablationem, de quibus abūde ſuperius egimus. Quatenus igitur ſimpliciter eſt, & per ablationem omnis materiæ dicitur, vnica & ſimplex eſt ſubſtantia. Quatenus autem reliqua entia reſpicit, variatur ſecundum eorum multitudinem & perfectionem. Nec tamen ob id diuiſibile fit aut materiæ alligatur, id quod nullam habet magnitudinem ſeparatumque eſt: habitudo enim ad ipſum, non ipſum hæc patitur. Differentiæ autem perfectionum ex materia oriuntur, quemadmodum & multitudo. Nec cogimur concedere ſubſtantias dari ſeparatas rerum ex materia conſtantium, vt qui Ideas ponebāt: vnica enim & ſimplex intelligentia ſui ipſius exiſtens ſufficiens eſt ad omnium intellectionem: nam reliqua cum per ſe non poſsint intelligi, per illam intelliguntur. Et quemedmodum vnicus finis rationem continet omnium quæ finis gratia habentur, ſic vnica ſubſtantia ſeparata optimi rationem habens, ratio eſt omnium inſeparabilium, & eo-
B rum, quæ ſecundum additionem materiæ dicuntur. Ob multitudinem igitur formarum materialium non eſt neceſſe intelligentias multiplicari. Ratione autem mouentium orbes cœleſtes, quemadmodū Ariſtoteles multitudinem ſubſtantiarum immobilium conſtituit, ſic intelligentiarum multitudo ponenda videtur. Conſiderata enim quatenus mouet totum cęlum, vna intelligentia eſt: vnum enim eſt totū cęlum: quatenus autem partes mouet, tot erunt intelligentiæ quot partes. Simile igitur eſſet ac ſi animam ſentientem multas habere partes cenſeremus, quia multis inſtrumentis vim ſentiendi tribuit: cum tamen per ſe vna ſit & indiuiſibilis in corde ſedens, vt voluit Ariſtoteles. Hoc autem modo intelligentias multas eſſe non repugnat vnitati & ſimplicitati intelligentiæ, quam poſuimus. Vt enim eadem anima ſentiendi in oculo viſus appellatur, in aure autem auditus: ſic eadē intelligentia quatenus quidem Lunam mouet, Lunæ aſcribitur: qua-
C tenus autem Saturnum Saturno: & de cæteris eodem modo. De quibus fruſtra quæritur vtrum aliàs intelligant, cum re non ſint aliæ. Quatenus autem aliæ concipiuntur cum ſint veluti pes & manus: oculus & auris: impoſsibile eſt ſeinuicem intelligere, fierent enim idem inter ſe & cum toto. Sed quemadmodum anima vigente, omnia inſtrumenta agunt opus proprium non alienum: ſic intelligentia ſeipſam intelligente, ſingulæ partes (ſi partes appellare fas eſt) ſeipſas intelligunt ſolum. Huiuſmodi autem intelligentiæ in vna includuntur quemadmodum partes in toto, aut numerus minor in maiori: aut vt in quadrangulo triangulum: aut melius vt id quod eſt ſecundū quid in eo quod ſimpliciter dicitur: & vt linearum fines cum cētro. idem enim omnium finis.

 D

Intelligentiam humanam multiplicari ſecundum hominum multitudinem. Quæſt. VII.

CVM humana intelligentia in eo differat à diuina, quòd diuinæ quidem ſubſtãtia actus eſt. 12.Metaph.tex.51. humanæ autem potentia.3.de Ani.tex.5. æternitatem intelligẽdi conſequi non poteſt niſi ſecundum ſpeciem. Si enim vna numero ſupponatur æterna,cum eadem ſit potentia contrariorum,eadem poterit ſemper intelligere & non ſemper intelligere, quòd impoſsibile eſſe oſtenditur.1.cœ.tex.121.ſi ergo ſemper intelligit, nõ erit eius ſubſtantia poſſe intelligere,ſed actus.12.Metaph.tex.30.Si vérò aliquando intelligat,aliquando non, vt manifeſte teſtatur Philoſophus. 3.de Ani. tex.15.æternitas intelligendi non erit niſi per ſucceſsionem, hoc autẽ eſt ſpecie vnum eſſe, numero autem multa. Non ſolum autem ratio E oſtendit ſucceſsionem in actu ſecundo intelligendi, ſed etiam in primo: Vbicunque enim potentia actum præcedit(accidit autem vbi potentia ſimul eſt pluriũ,tempore enim actũ præcedit in vno.3. de Ani. tex.27.) non eſt poſsibile ſemper in actu eſſe, neque ſemper in potentia ſecundum idem. Si igitur intelligentia humana non ſolũ antequã didicerit,in potentia eſt.3.de Ani.tex.8. ſed etiam antequã addiſcere poſſet,vt in ſemine.2. de Gen.Ani. Cap.3. omnes enim animæ partes prius potentia habentur quam actu, etiam intellectiua: non enim ſimul animal eſt, & homo. nec ſimul ſenſualis anima, & rationalis habetur: Numero igitur multas eſſe intelligẽtias humanas,vt multi ſunt homines,neceſſe eſt. Sequitur autem hoc totũm,quia eius ſubſtantia potentia eſt non actus. Amplius ex ijs,quæ intelliguntur idẽ colligere licet: Si enim intelligibilia aliquandò intelligantur, aliquando non: cum autem intelliguntur, eadem ſunt cum intelligente, actus enim F vtriuſque idem.3.de Ani.tex.27.ſcientia enim eſt res quæ ſcitur. Ergò intelligentia humana non ſemper ea intelligit vna numero exiſtens. eſſent enim & ipſa ſemper intellecta & vna numero. At quæ materiã habent,potentia ſunt intelligibilia.3.de Ani.tex.16. ideo non ſemper intellecta, & multa numero vnum autem ſpecie. Eſſe autem eandem rationis ſimilitudinem in intellectu,quæ eſt in intelligibili, declarauit Ariſt.3. de Ani. tex.2. Vt enim res ſunt ſeparabiles à materia, ſic & ea quæ circa intellectum: Et primo de part.Ani. cap.1. ad eundem pertinet,inquit,agere de intellectu, & intelligibili: idcirco ad naturalem non pertinere agere de omni anima: nam rem à materia abſtractam nullam poteſt ſcientia naturalis contemplari. Si igitur intelligibilia naturalia propter materiã multa numero ſunt, ſpecie autẽ vna: & intellectus igitur humanus ea intelligens hujuſmodi fuerit,de quo agit naturalis.

A turalis. Quoniam verò hæc maximas patiuntur controuerſias: idcirco iterum dubitandi modo agamus. Si intellectus aliquis materialis ſtatuatur, & multiplicatus ſecundum numerum hominum, quo pacto quod intelligitur erit vniuerſale, & ſine materia, quando illud quod recipit eſt ſingulare, & nō ſine materia? vniuerſale enim ſi materiæ iungatur, fit hoc, nec amplius vniuerſale eſt. Præterea quomodo erit immixtus, ſi ſpecie vnus ſit numero multi, vt reliqua intelligibilia? oportet autem ipſum immixtum eſſe ab omnibus quę ſunt, vt omnia poſsit intelligere. 3. de Ani. tex. 4. Quod ſi aliquod ex intelligibilibus, nō poſſet alia intelligibilia recipere. Idcirco ponitur intellectus potentia quędam eſſe ſine materia. 3. de Ani. tex. 16. At verò hic maxima eſt ambiguitas. Siue enim vnum numero dicamus eſſe in omnibus, ſiue vnum ſpecie ipſum intellectum omnium receptiuum, receptionem aliorum impedimus, iam enim actum quendā facimus, aut abſtractum, aut ma-
B terialem. Si abſtractum facimus, intellectionē quidem aſtruimus, quia ſine materia eſt, ſed non naturalium intelligibilium, non enim intelliguntur ſine materia, vt ſimum ſine naſo. 1. de Ani. tex. 16. & 17. ſed ſui ipſius ſolum, aut ſuperioris: nobilius enim eſt ipſum intelligibile. 12. Metaph. tex. 51. Si verò materialem, ſimilem quidem facimus reliquis intelligibilibus, ſed quo pacto aliorum receptiuus ſit, non eſt videre. Separabilem ergò oportet eſſe ab omni actu, ſi omnia debet intelligere. At huiuſmodi videtur materia prima: Quo igitur differret ab ea intellectus omnium formarum receptiuus? An ex materia, & forma fit tertium, ſcilicet compoſitum: in intellectu autem non fit tertium ſed alterum? idem enim eſt ſcientia & ſcibile. Potentia ergò ſolum eſt non ſubiectum aliquod potens: in illis enim alterum eſt ſubiecto eſſe & potentia eſſe, vt æri eſſe, & potentia ad ſtatuam. 3. Phyſico. tex. 9. In intellectu autem oportet, idem eſſe potentiam & ſubiectum po-
C tens, nam alioquin non fieret ipſum intelligibile, ſed tertium quoddam ex intellectu & intelligibili, vt ex materia, & forma. At verò potentia eorum eſt, quę de altero dicuntur, & inſeparabiliū, alicuius enim ſemper potentia dicitur, & alterum eſt poſſe, & id quod poteſt. Intellectus igitur, cuius alia natura non eſt, quam poſſe, aut vnū erit ex impoſſibilibus, aut in aliquo erit ſubiecto. Quomodo igitur ſoluemus has difficultates? An colligi poteſt ſolutio ex verbis Ariſt. 1. de Ani. tex. 13. exemplo poſito ipſius recti? Quemadmodum enim recto, inquantum rectum multa competunt, vt tangere ſphæram in puncto: nunquam tamen ipſum rectum ſeparatum eam tanget, quia inſeparabile quoddam eſt, & ſemper cum quodam corpore. Sic animæ multa poſſunt cōpetere: inquantum ipſa eſt, cum tamen ipſa inſeparabilis ſit à corpore. Idcirco paulo ſuperius dixit: ſi aliqua eſt propria animæ operatio, quæ non cōmunicet cum corporis actione, continget ipſam ſeparari: non enim

enim eſt neceſſe illam ſeparari: vt rectum, inquantum rectum tangit ſphæra in puncto, nō inquantum æneum, aut huiuſmodi tale: non tamen eſt neceſſe rectum ſeparari, inſeparabile enim eſt: contingit tamen, quia quædam ſeparabilia ſunt. Econuerſo autem ſi communicet cum actione corporis, impoſsibile eſt ſeparari. Simile etiam eſt id quod dicitur. 1. de Gen. & cor. tex. 55. ignis enim caliditatem habet in materia, & per caliditatem agit, per materiam autem patitur: ſin autem eſſet caliditas ſine materia, ageret tantum & non pateretur: in actione igitur non communicat materia, non tamen ſeparabilis eſt caliditas ab illa. Dicimus igitur intellectum quo intelligit anima, potentia eſſe omnia intelligibilia, ideo immixtus eſt ab omnibus, & ab omni actu ſeiunctus: potentiam tamen hanc inſeparabilem eſſe à ſubiecto aliquo, vt anima: non enim idem eſt anima, & intellectus, vt Democritus putabat. 1. de Ani. tex. 23. & 4. Metaph. tex. 21. nam idem eſſet verum & apparens: & omnia eſſent ad aliquid, & alia multa ſequerentur inconuenientia in dictis locis ab Ariſtotele poſita. Nihil autem refert ſi huius potentiæ ſubiectum dicamus animam aut corpus, vtraque enim in corpore ſunt. Quamuis igitur intellectus potentia quædam ſit ſine materia, non tamen ſeiunctus à materia eſt: non enim inquantum in materia eſt, agit, ſed inquantum tale, vt rectum æneam ſphæram, tangit, inquantum rectum, non inquantum æneum. Ad dubitationem autem: quomodo immixtus fuerit, & nihil actu eorum quæ ſunt, cum vnum quid ſpecie ponatur, & numero multa: dicimus ratione quidem ſubiecti vnum ſpecie, & numero multa, & actum quendam eſſe ipſum intellectum, anima enim entelechia eſt, ſeu actus primus alicuius materiæ, ideo numerabilis ſecundum multitudinem indiuiduorum: ratione autem potentię per quam definitur intellectus, cuius eſſe non eſt ſubiecto eſſe, manifeſtum eſt nihil actu eſſe, antequam intelligat, ſi potentia eſt omnia intelligibilia. Idcirco nec ipſe intelligibilis eſt, antequam intellexerit, nam & materia non eſt intelligibilis ſecundum ſe, nullum enim habet actum, cuius eſt per ſe intellectus. Cum ergò dicimus intelligentiam humanam multiplicari ſecundum hominū multitudinem, intelligimus ratione ſubiecti, cuius potentia eſt. de ipſa autem potentia ratione priuationis nec vnum, nec multa dici poteſt. hæc enim affectiones ſunt entis, non ipſius non entis niſi ſecundum accidens. Cum autem impoſsibile ſit potentiā aliquam eſſe ſine ſubiecto, impoſsibile etiam eſt intellectum huiuſmodi ſeiunctum eſſe ab omni materia: Quod igitur immixtus dicitur à corpore, non ſignificat à corpore ſeparatum eſſe, ſed eius eſſe non eſſe in corpore eſſe, non enim corpore vtitur dum operatur, licet inſeparabilis ſit à corpore. Neque dicere poſſumus ſubiectum huius potentiæ ſubſtantiam aliquam eſſe ſine materia: omnis enim potentia ratione materiæ dicitur: Actus enim

A enim à materia ſeparatus non aliquando quidem agit, aliquando autem non, ſed ſemper ſimiliter ſe habet: quod autem potentia eſt, præcedere oportet actum in vno, ideo non ſemper agit. Si igitur eſſe intellectus humani eſt potentia, neceſſe eſt in materia eſſe, hæc enim cauſa eſt mutationis, vt aliquando in actu quippiam ſit, aliquando non. Quomodo ergo potentia intellectus differet à potentia materiæ? omnia enim ſimiliter materia recipere poteſt, vt intellectus. An materiæ potentia reſpicit formas ipſas & res, intellectus autem non res, ſed rerum ſimulacra? idcirco non ſunt ſubſtantiæ intellectiones humanæ, licet ſint ſubſtantiarum notæ quædam: Subiecta quoque harum potentiarum differre oportuit. Materia enim ſecundum dimenſiones receptiua eſt omnium formarum, anima autem omnium ſpecierum ſine materia. Suboritur hic dubitatio: Si intellectus aliquando in potentia eſt omnia, ſcilicet antequam intellexerit quippiam: cur non e-
B tiam materia aliquando ſeparata dari poſsit omni forma carens: Quod ſi id impoſsibile eſt in materia: etiam in intellectu fuerit impoſsibile, aliquando nihil intelligere. Ingenitum igitur & incorruptibilem intellectum eſſe, & ſemper intelligere, & vnum numero eſſe, quemadmodum ipſam materiam quidam putauerunt. An non eſt eadem ratio? Primum enim ſubiectum generabilium ingenitum eſſe oportuit, & inſeparabile à contrarijs, vt nunquam deficeret generatio. Subiectum autem intelligibilium generabile eſt, & corruptibile, & ſeparabile ab omnibus intelligibilibus. non enim fuit neceſſe inſeparabile eſſe ab intelligibilibus, vt nunquam deficeret intellectio, nam nihilominus defeciſſet ſubiecto deficiente. Præterea materia potentia eſt ad omnes formas ſuſcipiendas non ſimul, ſed ſucceſsiue: ad priuationem autem omnium formarum nequaquam eſt in potentia: Intellectus autem aliquando omnia intelligit, non enim vna intellectio alteram de-
C trudit; aliquando nihil intelligit, ſcilicet antequam didicerit. Vt autem clarior reddatur hæc ſententia, placet verba Ariſtotelis afferre, quæ habentur de intellectu poſsibili. 3. de An. tex. 3. cum præſertim videam à pleriſque ea violenter diſtorqueri in alienam ſententiam, putantibus conditiones, quæ tanquam communes ſenſui & intellectui afferuntur eo loco, proprias eſſe intellectus. Ponit autem Philoſophus prius ſimilitudinem inter ſenſum & intellectum, deinde diſsimilitudinem. Cum igitur inquit: Si ipſum intelligere eſt ſicut ſentire, aut pati quoddam vtique erit ab ipſo intelligibili, aut aliquid aliud tale: innuens non proprie dicendum eſſe pati: vnde infert. Impaſsibilem ergo oportet eſſe, ſuſceptiuum autem ſpeciei, & potentia huiuſmodi ſed non hoc: & ſimiliter ſe habere ſicut ſenſitiuum ad ſenſibilia, ſic intellectum ad intelligibilia. Argumentatur igitur ex ſimilitudine operationis ſimilitudinem facultatis: hanc autem in tribus conditionibus conſi-

conſiſtere, ſcilicet impaſsibilem eſſe: Suſceptiuum ſpeciei: & tertium D potentia huiuſmodi ſed non hoc. His conditiones alibi tribuit etiam ſenſui. Nam 2.de Ani.tex.57. diſtinguens ipſum pati, quoddam ſcilicet corruptiuum eſſe, quoddam perfectiuum, de ſenſu & intellectu inquit, cum operantur, non bene dicendos alterari, ſed perfici. Quatenus igitur ſuſcipiunt ſpeciem, quodammodo dicuntur pati, quatenus autem in huiuſmodi ſuſceptione ſalus eorum conſiſtit, non dicuntur pati, impaſsibiles igitur ſunt. Adde quod intelligere & ſentire quodammodo eſt agere circa obiecta: nam cognoſcere & iudicare actio quædam eſt: non enim in rebus ineſt hæc facultas gignendi ſui cognitionem in altero, ſed tantum imprimendi ſpeciem ſibi ſimilem in propria materia, vt in igne vis comburendi rem combuſtibilem: & in colore vis mouendi diaphanum: at anima neque res combuſtibilis eſt, nec diaphana, nec quicquam aliud huiuſmodi, vt ab ijs pati poſsit. Agit igitur tantum & non patitur, vt ars Medicinæ agit quidem in E ægrotum, nihil autem patitur ab eo. 1.de Gen.& cor. tex.53. niſi pati alio modo dicatur, vt de ædificatore dicitur, cum ædificat. 2. de Ani. tex.58. & ſenſibile facit agere ſenſum. De ſen.cap.2. Sed tertia conditio hanc ſententiam maxime comprobat potentia huiuſmodi, ſed non hoc. Significat enim ſuſceptiuum eſſe non rerum in materia exiſtentium quod innuitur per verbum: hoc: ſed ſimilium: non enim lapis, ſed ſpecies lapidis aſſumitur, notha tamen ipſius lapidis, hoc autem eſt ſpeciem ſine materia aſſumere. Illud igitur verbum: potentia huiuſmodi: non ſignificat vniuerſale, vt plerique interpretantur, ſed ſimulacrum. Nam de ſenſu eandem vocem protulit Ariſtoteles. 2. de Ani.tex.121. vbi inquit. Similiter autem & ſenſus vnuſquiſque ab habente odorem aut ſaporem, aut ſonum patitur, ſed non inquantum vnumquodque illorum dicitur, ſed inquantum huiuſmodi & ſecundum rationem. Cuius cauſam paulo inferius tradit: quoniam ſenſus F principium quoddam eſt recipiendi ſpecies ſine materia, quamuis ſit in magnitudine, cuius eſt pati cũ materia. Ex his patet, quam ij errent, qui ex ea conditione colligunt intellectum non eſſe virtutem in corpore. Hucuſque igitur ſimilitudinem poſuit Ariſtoteles inter ſenſum & intellectum: diſsimilitudinem autem in ſequentibus affert. Primo quia intellectus immixtus eſt, cum omnia intelligat. Non ſic ſenſus, etſi enim vno communi omnia ſenſibilia iudicentur, tamen ſine proprijs ſenſibus nulla ſit perceptio: hi autem nequeunt immixti eſſe ſaltem à tangibilibus qualitatibus: ſatis enim eſt oculi diaphanum carere omni colore, vt recipere poſsit omnes colores, & de cæteris eodem modo: intellectum autem carere oportet omni intelligibili, vt omnia poſsit intelligere: & hoc eſt eſſe immixtum ab omni ſpecie intelligibili: vnde colligitur ipſius nullam eſſe naturam præter hanc, quod poſ-

ſibilis

A ſibilis eſt. Altera diſsimilitudo eſt euidentior, quia ſenſus eget organo, intellectus autem nequaquam: ideo etiam immixtus eſt à corpore: nam non potuiſſet eſſe denudatus ab aliqua ſpecie. Ex hac conditione colligi poteſt, intellectum non eſſe virtutem in corpore, ideo non multiplicari ſecundum corporum multitudinem contra noſtram ſententiam. Veruntamen intellectum inſequi temperamentũ quoddam cordis & ſanguinis puritatem teſtatus eſt idem Ariſto. 2. de Gen. an. cap. 4. & 2. de Part. an. cap. 4. Et moles corporis mentem tardiorem reddit. 4. de Part. an. c. 9. quæ non contingerent, niſi aliquo modo mixtus eſſet cum corpore. An bene dictum eſt: potentiam intelligendi omnia nullam naturam ſignificare præter ſolam potentiam? omnem tamen potentiam in aliquo ſubiecto eſſe, cuius ratione multiplicabilis eſt: Huiuſmodi ſubiectum eſt hominis temperamentum, quo læſo læditur mens: non ſolum læſis phantaſmatibus aut ſenſibus, vt qui-
B dam conciliant: nam contingit deprauari ſolam rationem in delirantibus integro ſenſu & imaginatione, vt optimè norunt medici. Præterea idem Ariſtoteles numerat ipſam ratiocinationem inter operationes coniuncti. 1. de An. tex. 66. quo corrupto pereunt. Eſſe igitur immixtum à corpore ſignificat non eſſe virtutem corpoream, vt calidum aut frigidum, vt ibidem notat Ariſtoteles: ſed virtutem in corpore non quatenus corpus, quia indiuiſibiliter recipit ſpecies non extenſas, vt corpus. Sed quoniam etiam ſenſus videtur eſſe huiuſmodi, etſi enim in magnitudine ſit, non vt in magnitudine recipit, vnde & impaſsibilis dicebatur, vt intellectus: ideo aliam diſsimilitudinem ſubiunxit, dicens: nõ ſimilem eſſe impaſsibilitatem ſenſitiui & intellectiui, quod patet ex ſenſorijs & ſenſu: non enim ſenſus fieri poteſt, quin organũ patiatur cum materia, vnde labefactatur à vehementi ſenſibili: intellectus autem nequaquam, quia nullo organo vtitur. Separabilis enim
C eſt à corpore. Vbi notandum verbum, ſeparabilis, non enim idem eſt ac ſeparatum eſſe. Hoc enim de ſolo intellectu agente affirmat Ariſt. 3. de An. tex. 20. hic enim ſolus ſubſtantia eſt ſeparata in intellectu noſtro ſolus immortalis & perpetuus, cum eius eſſe ſit actus non potentia, ideo omnino impaſsibilis: altera autem pars, quæ per potentiam definitur, ratione tantum ſeparabilis eſt à corpore. Eſſe igitur intellectum humanum immixtum, impaſsibilẽ, & ſeparabilem à corpore nõ arguit ſubſtantiã eſſe abſtractam, nec vnam numero in omnibus hominibus. Ad alteram verò dubitationẽ: Quomodo id quod ab intellectu recipitur, vniuerſale fuerit, cũ recipiens intellectus ſit multiplicatus ſecundum numerum, & ſingularis: dicimus, ſimile quid etiam in ſenſu accidere: Non enim inconueniens eſt, vt idem numero ſenſibile à pluribus ſentiatur: nam eadem vox ſimul à pluribus auditur, & idem album à pluribus videtur, non tamen auditiones eædem ſunt numero,

nec

nec viſiones: plura enim ſunt numero organa, in quibus fit eiuſdem re- D ceptio. Similiter autem nullum fuerit abſurdum, ſi idem numero intelligibile, quod eſt vniuerſale, à pluribus intelligatur: intellectiones enim plures numero erunt ob recipientium multitudinem, vnum autem & idem quod ab omnibus intelligitur. Cauſa autem eſt, quia tum ſenſus tum intellectus ſpecies recipiunt ſine materia: ſi enim cum materia fieret receptio, impoſsibile eſſet ſimul idem à pluribus recipi. Si igitur ſenſibilia non ideo dicuntur ſingularia, & multiplicata, quia in pluribus inſtrumentis recipiantur: nam & plura ab eodem & à pluribus idem ſentitur: ſed quia eorum ſpecies conditiones habent materiæ: Quid obſtat quo minus intelligibilia vniuerſalia ſint, etiam ſi à ſingularibus intelligentijs recipiantur? ſatis enim eſt ſine ijs conditionibus recipi, propter quas erant ſingularia & ſenſibilia. Senſus enim in eo differt ab intellectu, quod totum & indiſtinctè ſuſcipit, hoc autem eſt ſingulare: intellectus autem diſtinguens in partes ſecundum ſpe- E ciem ipſa vniuerſalia concipit. Album enim & homo partes ſunt ſecundum ſpeciem Socratis albi, cuius eſt ſenſus. Non ſequitur igitur intelligibile ſingulare eſſe, ſi intellectus multiplicatus fuerit, quoniam vniuerſalia, & ſingularia dicuntur non ſecundum ſuſcipientis vnitatẽ aut multitudinem, ſed ſecundum conditiones materiales ipſarum ſpecierum ſeparatas, aut non ſeparatas. Nec abſurdum eſt ſingulorum hominum ſcientias ſingulares eo modo dici, cum tamen ſingulæ vniuerſalium ſint. Cum enim ſpecies ſenſibiles & intelligibiles in anima ſint tanquam in materia, accidit multiplicari ſecundum earum multitudinem perinde, ac in pluribus ſpeculis, idem aliquod ſimulacrum. Extra enim vnum quoddam eſt, in pluribus autem ſpeculis plura. Materia autem in qua eſt intellectus, propter quam multiplicatus eſt, & ſingularis non impedit receptionem vniuerſalis, quod ſine materia eſt, non enim quatenus in materia eſt recipit, ſed quatenus potentia huiuſmo- F di. Et quemadmodum æneum mercurij ſimulacrum, non quatenus æneum, aut multiplicatum, ſignum eſt vnius, & veri mercurij repræſentatiuum, ſic intellectiones humanæ in corpore exiſtentes, non quatenus in corpore rerum ipſarum ſunt notæ. Quatenus igitur ſimulachra quædam ſunt multiplicantur ſecundum hominum recipientium multitudinem: quatenus autem ſigna, vniuerſalia ſunt, & ſine materia. Inſpicientibus igitur ad ea quæ intelliguntur, intellectus vnicus multorum dici poteſt, non multiplicatus: nam quod à multis intelligitur vnum eſt, & ſine materia. Inſpicientibus autem ad ſubiectum intelligentiarum (intelligentiæ enim humanæ ſimulachra quædam ſunt in anima, non ſubſtantiæ) multiplicari neceſſe eſt ſecundum hominum multitudinem. Quòd ſi etiam concederemus ſubſtantias eſſe ipſas intellectiones humanas; non tamen adhuc ſequitur vnam numero

ro

A ro eſſe in omnibus humanam intelligentiam : intelligibilia enim multa ſunt,& multas igitur eorum intelligentias eſſe neceſſe eſt. non enim eadem eſt canis intellectio, & equi & reliquorum intelligibilium. Præterea fateri oporteret inſeparabilium ſubſtantias eſſe alias ſeparatas. Si igitur hæc impoſsibilia ſunt,& humanæ intellectiones non ſunt ſubſtantiæ, ſed in anima vt ſubiecto; vnam numero in omnibus hominibus intelligentiam eſſe impoſsibile eſt. non enim eſt idem numero ſubiectum.

Mortalium ſolas hominum animas immortales eſſe. Quæſt. VIII.

SI inter mortalia ſolis hominibus anima rationalis data eſt: hæc autem operationem habet propriam & ſeparatam, ſcilicet
B ipſum intelligere: immortalem ergo huiuſmodi animam eſſe oportet. Quodcunque enim operatur ſine corpore, non interit eo corrupto: nam ſi ſimul deficeret, nec ergo ſine corpore poſſet operari. Eſſe autem mentis operationem ſeparatam teſtatus eſt Ariſtoteles multis in locis. Nam 10. Ethico.cap.8.inquit: vitam quæ eſt ſecundum reliquas virtutes eſſe ipſius compoſiti, ſic & fœlicitatem: mentis autem ſeparatã eſſe.Et 2.de gen.an.c.3.vbi inquit:reſtat igitur vt mens ſola extrinſecus accedat, eaq; ſola diuina ſit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. & 1.de An.tex.65. intellectus autem videtur innaſci ſubſtantia quædam exiſtens & non corrumpi. & 1. de An.tex.11. animam ſecundum quaſdam partes nihil prohibet ſeparari à corpore, propterea quod nullius corporis ſunt actus & tex.21. de intellectu autem & ſpeculatiua potentia nihil adhuc manifeſtum eſt, ſed videtur genus aliud animæ eſſe, & hoc ſolum poſſe ſeparari ſicut
C perpetuum à corruptibili. Ex quibus locis & alijs compluribus apertiſsima videtur Ariſtotelis ſententia in hominibus hanc partem animę immortalem contineri. Eſſe autem maximè hominem per hanc partem aperuit.10.Ethic.cap.7.vbi inquit: homini vitam præſtantiſsimã & iucundiſsimam eſſe eam, quæ ex intellectu ſpeculatiuo traducitur, ſiquidem maximè id homo eſt. Sed hæc aduerſari videntur ijs, quæ ſuperius demonſtrata ſunt de intelligentiæ humanę multiplicatione: quod enim numeratur,ſecundum numerum indiuiduorum,& potentia eſt in materia,æternitatem non habet niſi ſecundum ſpeciem. Quidam igitur propter hoc omnino negauerunt intellectum multiplicari ſecundum numerum hominum; ſed vnum numero eſſe in omnibus dixerunt: ſic enim immortalem eſſe & ſine materia. Videntes autem oriri & interire in ſingulis hominibus intellectiones, nec omnia ab vno quoque ſciri; cum tamen in intellectu ęterno æternum actum intelligendi

telligendi, & omnium intelligibilium ſcientiam ineſſe oporteat: coacti D ſunt copulationem quandam comminiſci, per quam intellectus cum hominibus iungatur, vt ſingulis intelligat pro eorum capacitate: ſic enim aliquando & quædam illis intelligere, ſemper autem & omnia vnicuique nequaquam, omnibus autem & ſemper & omnia. Si igitur huiuſmodi intellectus ſolis hominibus intelligit, quatenus cum phantaſmatibus coniungitur; nullus erit actus ipſius perpetuus: phantaſmata enim oriuntur & occidunt: æternitatem autem ſolam habebit ſecundum ſpeciem, quia ſpecies hominum æterna eſt. At irrationabile eſt ſubſtantiam vnam numero æternam ponere, operationem autem non. Quòd ſi egeat phantaſmatibus generalibus & corruptibilibus, & ipſe igitur generabilis & corruptibilis fuerit. Idcirco dictum eſt. 1. de ani. tex. 13. ſi ipſum intelligere, aut eſt phantaſia quædam aut non ſine phantaſia, non contingit ſine corpore eſſe. Si autem ſine phãtaſmatibus intelligit, fruſtra eſt copulatio eius cum hominibus, nec eſt E neceſſe omnibus ſemper & omnia intelligere, vt non deficiat actus intelligendi & eius perfectio. Quòd autem intelligibilia in potentia non poſsint intelligi ſine phantaſmatibus, probauit Ariſtoteles. 3. de ani. tex. 39. inſeparabilia enim ſunt à magnitudine: & in ſpeciebus ſenſibilibus intelligibilia ſunt, & quæ ſecundum abſtractionem dicuntur, & quæcunque ſenſibilium habitus & paſsiones ſunt: ob hoc qui non ſentit aliquid, nihil vtique addiſcet aut intelliget, ſed cum ſpeculatur, neceſſe eſt phantaſma aliquod ſpeculari: phantaſmata enim velut ſenſibilia ſunt, quamuis ſine materia. Alij autem conceſſerunt quidem intellectum quendam eſſe generabilem & corruptibilem, eum ſcilicet cuius eſſe potentia eſt: alterum autem intellectum cuius eſſe actus eſt, qui intellectum potentiæ ad actum ducit, & ob id agens appellatur ſolum immortale eſſe & ſeparatum, & ſine phantaſmate intelligere. ſed cum huiuſmodi ipſum Deum eſſe dicant, nam per ſe intelligibile id ſolum eſt, quod ſimplex & actu eſt, reliqua autem omnia præter Deum mixtionem habent potentiæ: quo pacto hic humanus intellectus dicatur, & vita ſecundum huius intellectionem ſit hominis fœlicitas, difficile eſt videre. Conſideranda igitur eſt neceſsitas propter quam oportuit in anima humana ponere intellectum agentem, & innaſci ſubſtantiam, quæ non corrumpatur: his enim manifeſtum fiet, vtrum hæc aſcribi poſsint intellectui potentiæ, & quid tandem ſit hominis intellectus. Primo igitur non videtur neceſſarius intellectus agens eo modo, vt ponitur ab Ariſtotele, ſufficere enim uidetur ipſum obiectum ſcilicet intelligibile, quemadmodum in ſenſu ſufficit ipſum ſenſibile, non enim quæritur ſenſus agens præter ipſum obiectum. Si dicas intelligibilia non mouere poſſe intellectum, niſi ſeparentur à materia, intellectum autem agentem hoc prçſtare: eadem neceſsitas, F

A & in ſenſu erit. Cum enim ſenſus ſpecies recipiat ſine materia. 2. de an. tex. 121. organa autem ſenſuum patiantur cum materia: calefit enim & frigeſcit caro vt reliqua corpora: coloratur pupilla perſpicua exiſtens vt reliqua perſpicua: aer inſitus in aure percutitur à ſono vt exterior: ſimiliter autem & in cæteris: aliquid igitur ineſſe organis, aut externis, aut vltimo interno, quod ſpeciem immaterialem faciat, neceſſe eſt. Præterea & alia ratione videbitur neceſſarius ſenſus agens. Præſente enim ſenſibili & actu organum afficiente, non ſemper fit ſenſus, vt dormientibus accidit, & aliquando vigilantibus, cum animus in alijs fuerit occupatus. Quid ergo eſt, quod potentiam huiuſmodi ducit ad actum, vt de ſenſibili in potentia fiat actu ſenſibile, niſi aliquis ſenſus agens? Idem & in phantaſia videretur dicendum. Cum enim ſpecies ſenſibus receptæ abiunctis ſenſibilibus, imaginationem aliquando moueant, aliquando non, aliquid ineſſe neceſſe eſt, quod de B potentia ducat ad actum, cum ex ſe materia non poſsit ſine agente. Sed ad hæc reſpondere quidem poſſumus, quemadmodum in motu grauium & leuium, aliquando id quod remouet impedimenta dicitur mouere, quando actus primus iam inſit, ſecundus autem ab impediente aliquo prohibeatur: quod enim primum facit, etiam ſecundũ, cum ſit conſequens quoddam, niſi impediatur. ſic ſenſibile aptum natum eſt ſui ſpeciem communicare in ſenſum non impeditum: impeditur autem in ſomno à cerebri frigiditate, aut alia huiuſmodi cauſa, in vigilia autem ab occupationibus diuerſis: in phantaſia quoque non ſemper fit motus, quia ſimiliter adſunt impedimenta. quod igitur ea remouet quodammodo ducit ad actus, cum tamen per ſe à ſenſibilibus quidem fiant ſenſus, à ſenſibus autem phantaſiæ. Non eſt autem præter rationem vt ſpecies in materia exiſtens, cum ſit ſpecies, quædam agere poſsit quatenus huiuſmodi nõ quatenus in materia. Fit igitur im C materialis in ſenſu, quia ſenſus potentia huiuſmodi eſt, idcirco non eſt neceſſe aliũ ſenſum agentem introducere præter ipſa ſenſibilia. Quòd ſi in ſenſu hoc accidit, cur opus fuit intellectu agente præter ipſa intelligibilia, ſi intellectus potentiæ aptus natus eſt recipere vniuerſalia, quę in ſenſibilibus ſunt, aut phantaſmatibus? Significauit autem hoc Ariſtoteles. 2. de an. tex. 60. vbi differentiam ponens inter ea quæ actiua ſunt ſenſuum, & intellectionum, inquit: hæc quidem extra eſſe, ſcilicet ſenſibilia, quia ſingularia ſunt: illa autem quodammodo in ipſa anima, ſcilicet vniuerſalia: & ſi autem hęc in anima ſint non ob id dicendæ ſunt partes animæ: obiecta enim nihilominus extrinſeca ſunt, vt ſenſibilia. Quæ igitur neceſsitas fuit in anima ponere huiuſmodi ſubſtantiã, quæ intellectus agens appellatur? Propter hæc quidã negauerunt intellectum agentem partẽ eſſe animæ noſtræ, ſed extrinſecus aduenire vt lumen ad viſionem perficiendã. quemadmodũ enim lumen

F non

non eſt pars animæ viſiuæ, ſed obiectum per ſe viſibile, per ipſum enim D
colores viſibiles fiunt, ſic intellectus agens non erit pars animę intelle
ctiuæ, ſed obiectum per ſe intelligibile, cuius ope reliqua fiant intel-
ligibilia. At vero ſi hoc modo ponatur intellectus agens, cur potius
in homine quam in reliquis entibus intellectio fiat? ſi enim quod eſt
per ſe intelligibile actu intellectus eſt, omnia illud participantia fient
intellecta: participant autem extra hominem, quemadmodum lumen
colores illuminat, etiam ſi oculus non exiſtat. Quòd ſi quemadmodū
lumen viſibile tantum eſt, non autem viſum extra oculum, ſic intelle
ctus agens intelligibilis tantum fuerit, non autem intellectus niſi in
homine; altero actu egebit, qui de potentia faciat actu intellectum in
homine ſcilicet: ſed hoc eius eſſe ponitur, in anima ſcilicet differentiā
eſſe hanc quidem quæ omnia facit, alteram verò quæ omnia patitur.
non igitur extrinſecum eſſe intellectum agentem oportet ſecundum
ſententiam Ariſtotelis, vt ſunt ipſa obiecta. hæc enim accedunt poſt- E
quam aliquid ſenſerimus: mens autem licèt deforis accedat, in ſemine
& in prima animalis conſtitutione comprehenditur. 2. li. Gen. ani. c. 3.
Alij intellectum agentem in anima neceſſarium eſſe, quia obiecta la-
tent in ſenſibilibus ob conditiones materiæ implexas, ideo non poſ-
ſunt mouere intellectum, niſi ab alio prius ſecernantur, & ſecreta di-
ſtinctaq; quaſi digito monſtrentur. Idcirco veluti doctor quidam eſt
intellectus agens. Doctor enim euoluens ea quę inuoluta ſunt, & ad-
diſcenti intellectui proponens tanquam optimè præparata & manſa,
ſcientiam eidem communicat. Sed ſi in ſenſu aliquando neceſſaria hęc
ſunt, & ipſe per ſe ipſum præſtare hæc poſsit, cur non & intellectus re-
ceptiuus? Aliquando enim in maculoſis quibuſdam marmoribus, &
nubibus formas aliquas videmus humanis, aut alijs corporibus ſimiles,
quas alij etiam accurate intuentes non perſpiciunt ob variarum figu-
rarum mixtionem, niſi aliquis docens & à cæteris figuris denudans, di F
gito monſtret. Seiunctio igitur hæc in ſenſu aliquando docente eget,
aliquando ſponte perficitur: aut igitur ſenſus aliquis agens introdu-
cendus erit, qui repræſentet ſenſibilia diſtincta: aut ſi hoc non eſt ne-
ceſſe, cum ipſe recipiens per ſe vnum ſine altero poſsit recipere: & in
intellectu ſimiliter non fuerit neceſſarium. Videtur autem intellectus
agens hoc modo poſitus remouere impedimenta magis, quàm efficere
intellectionem ipſam. Quemadmodum enim qui occultauerit, aut ali
quo pacto deleuerit cæteras figuras in marmoribus exiſtentes, vnica re
licta, per accidens illam dicitur manifeſtare: nam per ſe ipſam manife-
ſta erat, cum actu eſſet, impediebatur tamen quia ſimul cæteræ figuræ
ſenſui occurrebant. Sic intelligibilia in ſenſibilibus inexiſtentia nō mi-
nus actu ſunt, quàm cū ſeparata fuerint intellectione, hic enim homo,
homo eſt, impeditur tamen ne vt homo recipiatur ob conditiones ma
teriales.

A teriales. ſeparans igitur has aufert impedimenta: homo enim ipſe offert ſe intellectui, vt hic homo ſenſui. Remotio autē huiuſmodi impedimentorum & à docente aliquo fieri poteſt, & ab ipſo met intellectu recipiente, vt in ſenſu: poſtquam enim oculus aliquod totum inſpexerit, poteſt partes ſingulas intueri donec ad ſenſibiles differentias deuenerit. Sic intellectus poſtquam confuſum aliquod perceperit, diſtinguit in partes ſecundum ſpeciem ſigillatim recipiendo. Agens igitur ipſe met erit, ſi actio vocanda ſit ipſa receptio ſine materia. Non igitur neceſſe eſt alterum intellectum traducere præter eum qui conſtat ex potentia, & receptiuus eſt. reduci enim ad actum poteſt ab ipſis obiectis, cum in omnibus quæ ſunt, inſit ipſum quid eſt, quod eſt obiectum intellectus, quodq; aptum natum eſt in ipſum agere quatenus huiuſmodi. Hæ igitur dubitationes contingunt circa neceſsitatem ponendi intellectum agentem. Similiter autem non videtur aliqua ratio B cogens dari in anima ſubſtantiam æternam, quæ non corrūpatur, qualis eſſe mēs ipſa traditur. Si enim intellectus humanus prius receptiuus ſit aliorum, quam ſui ipſius. 3. de an. tex. 8. ſiue intelligat ſubſtantias ſeparatas ſiue non, generabilis eſt & corruptibilis: in quibus enim potentia actum præcedit, ęternitas non eſt niſi ſecundum ſpeciem. Quòd ſi concedatur ipſum intelligere poſſe ſubſtantias ſeparatas & æternas, non ob id æternus ſit: nam præterquam quòd alioqui impoſsibile eſt corruptibile æternum fieri, vt. 1. cęli. abunde oſtenditur; probatum eſt ſuperius, intellectiones humanas non eſſe ſubſtantias, ſed ſubſtantiarum notas: non enim res ipſas, ſed rerum ſimulacra recipit noſter intellectus. Si igitur ſimulacra oriuntur & occidunt, quamuis ipſæ res æternę ſint, ipſe intellectus non eſt æternus. Quòd ſi intelligere poſſet antequam phantaſma aliquod ſpecularetur, hoc modo ęternitas ipſius concludi poſſet, eſſet enim eius operatio ſine corpore: & eius ſubſtan- C tia non eſſet potentia ſed actus, & ſeipſum intelligeret priuſquam reliqua intelligibilia fierent, quæ omnia negantur ab Ariſtotele de humano intellectu. An ſi non eſſet huiuſmodi ſubſtantia immaterialis & æterna in anima, nulla eſſet ſcientia? principijs enim ignoratis, & reliqua ignorari neceſſe eſt. Sunt autem accidentium quidem principia ſubſtantiæ, ſubſtantiarum, autem ipſum quid eſt, & materialium immateriale ac ſimplex, cuius ſubſtantiam intellectum eſſe ſuperius oſtēſum eſt: ſine hoc ergo intellectu impoſsibile eſt aliquid intelligere. Quod & hoc modo fiet manifeſtum. Scientiam & ſenſum menſuram quandam rerum eſſe dixit Ariſtoteles. 10. Metaph. tex. 5. quia per illa aliquid cognoſcimus: menſura enim eſt propriè quidem quo quantū cognoſcimus, communiter autem in vnoquoque genere id quo illa quæ in eo genere ſunt cognoſcuntur. 10. Metaph. tex. 3. eſſe autem id vnum quid primū in omnibus ſimpliciſsimumque. Propterea nō fuit

neceſſe animam conſtare ex omnibus elemẽtis, vt omnia cognoſceret, D vt multi antiquorum putabant: ſufficiens enim eſt altera pars contrarietatis, ſe ipſam diiudicare & oppoſitam. 1. de an. tex. 85. nam recto rectum cognoſcimus & obliquum, ipſum autem obliquum neque ſui ipſius, neque recti eſt iudex: & tandem priuatio omnis per habitum cognoſcitur. 3. de ani. tex. 25. & potentia per actum, hic enim prior, & infinitum per finitum, & de cæteris eodem modo. Cum igitur ea quæ ſunt reductionem habeant ad vnum quoddam, quod maximè eſt: & omnis veritas ad aliquod veriſsimum. 2. Metaph. tex. 4. neceſſe eſt vnã eſſe omnium menſuram, quæ à nullo menſuretur, reliqua autem omnia menſuret. Eſt autem magis ipſum intelligibile huiuſmodi: intellectus enim à re menſuratur, & ſenſus à ſenſibili: oportuit igitur primum intelligibile intellectum eſſe, ſi reliqua intelligi debent. Præterea ad intelligendum quippiã neceſſe eſt in anima prius aliquid inexiſtere, quod actu intelligitur: actus enim potentiam præcedit ſimpliciter: vt antequam ſciatur triangulum habere tres, aliquid ipſius præexiſtere notum oportet, vt triangulum eſſe. ſimiliter autem in cęteris quęſtionibus. 7. Metaph. tex. 59. Quæ cum hoc modo habeant, ſi intellectus potentia tantum eſſet, nec vllus in actu poneretur in anima, impoſsibile eſſet aliquid intelligere. Si autem præexiſteret aliqua intellectio, ſed & ipſa ſimiliter orta, eſſet proceſſus in infinitum, vnicuique enim præexiſtere oporteret alteram actu exiſtentem. Quod ſi hoc impoſsibile eſt, aliquem ergo actum eſſe oportet ingenitum, ſi futura eſt cæterorum intellectio. Huiuſmodi autem ponitur intellectus agens ab Ariſtotele: non enim aliquando quidem intelligit, aliquando non, ſed ſemper. Non ſufficiunt autem ſenſus ad efficiendam principiorũ intelligentiam, quamuis inductione illa nobis comparemus. 2. Poſter. tex. 27. non enim per ſenſum fiunt manifeſtiora cum ſecundum ſe manifeſtiſsima exiſtant, ſed nobis tantum per ſenſum patefiunt, quæ lumine proprio intellectus clariſsima ſunt: concluſiones autem per principia habentur, quia certitudo exactior principiorum apta nata eſt efficere concluſionum ſcientiam. Iterum autem & hoc modo fiet manifeſtum. Cum intellectus potentiæ receptiuus ſit omnium intelligibiliũ, vt omnia iudicet: iudicium autem omne fiat aliqua menſura, vt recti & curui eo quod maximè rectum eſt: non potuit omnia iudicare vnũ exiſtens ex contrarijs, nec tandem materiale vllum, omnia enim huiuſmodi aut contraria, aut ex contrarijs ſunt. Nam albedine quomodo iudicari poſsit dulce aut frigidum? oportet enim in eodem genere eſſe menſuram cum eo quod menſuratur. Separatum igitur quippiam neceſſe fuit eſſe & actu exiſtens: ſi enim potentia, altero egeret actu. Præterea ſi ſeparata aliqua ſubſtantia ponatur, quę tamen nullum habeat conſortiũ cum intelligibilibus, fruſtra erit: non enim poterit facere

A re actu intellecta. idcirco cætera intelligibilia inſeparabilia ab ipſo eſſe
oportuit,cum tamen ipſum ab omnibus ſit ſeparatum.ſic enim omnia
alia per ipſum intelligentur, non per ſe : ipſum autem ſolum per ſeip-
ſum intelligibile & intellectum fuerit. Huiuſmodi autem eſſe ipſum
optimum dixit Ariſtoteles.12.Metaph.tex.39.intellectus enim ſecun-
dum ſe eſt ipſius optimi : & 1.de ani. tex. 82. vbi inquit: anima autem
aliquid eſſe melius & præſtantius impoſsibile eſt, impoſsibilius autem
adhuc intellectu : Rationabiliſsimum enim eſt, eſſe hunc antiquiſsi-
mum & dominum ſecundum naturam. Idcirco antiquorum quidam
ignem,quidam aquam, & tandem quod putauerunt principium eſſe,
aut vnum, aut multa, huiuſmodi dixerunt animam eſſe. alij autem
Deum eſſe ipſum intellectum agentem. Ariſtoteles lumini aſsimilat:
vt enim lumen facit omnes colores actu, ſic intellectus omnia intelli-
gibilia,quaſi omnium perfectio : quemadmodum enim colores ſingu
B li ideo ſunt, quia luminis talis participatio eſt in perſpicuo terminato,
multa quidem ipſius albi, minor autem reliquorum ſecundum diſtan-
tiam ab albo : ſic in ipſo optimo eſt cæterorum bonorum perfectio. Si
igitur omnia entia colores eſſent, lumen eſſet ipſe intellectus. Anima
ergo rationalis aſsimilatur oculo igneo, qui noctu videt: igne enim
proprio illuminat colores, & facit actu mouentes potentiam viſiuam:
ſic anima lumine proprio non externo intelligibilia in phãtaſmatibus
exiſtentia iudicat. Vtrum autem ſenſus aliqua huiuſmodi ſubſtantia
egeat, vt iudicet ſenſibilia omnia; manifeſtum fiet, ſi prius explicatũ
fuerit, quo pacto immortalis ſubſtantia corpus mortale inhabitet &
opus mortale perficiat, & quomodo ipſum optimum ac cæterorum
principium,&quod immixtum eſt,homini miſceatur. Nam dubitatur
vtrum intellectiuum, ſenſitiuum, & vegetatiuum vnum numero ſint.
Si enim plura, quid eſſet continens? 2.de an. tex.90. Præterea experi-
C mento illo patet vnum eſſe: nam quæcunque diuiſa viuunt,in vtraque
corporis parte omnes animæ potentiæ ſpectantur, quæ erant in toto,
quaſi à ſe inuicem inſeparabiles fuerint. 1.de an.tex.94. At verò ſi vnũ
ſint, quomodo æternum & mortale vnum numero ſunt? forma mate-
rialis & immaterialis? An in ijs quorum eſſe ab altero pendet,vnum nu
mero ſint neceſſe eſt? vt materia cum forma materiali : ſubſtantia & ac
cidens: quid materiale & quid ſimpliciter quod ſine materia: at ſeque
tur in omnibus corporibus cum forma materiali & immaterialem quo
que ineſſe, & ſic intellectum: vnde forte motus eſt Thales, vt diceret
omnia eſſe plena Diis. 1. de an. tex. 86. An quatenus omnium eſſe eſt
aliqua boni participatio, hoc modo virtute vbique ineſſe verum eſt,
imo neceſſarium.3.de Gen. ani. c.10. in homine autem non ſolum eſt
eius participatio, ſed & res ipſa participata : communicata eſt enim illi
non ſolum operatio corporea,vt cæteris viuentibus,ſed & propria ani-

mæ operatio, quæ eſt intellectio. Participatio igitur omnis oritur & definit aliquo interius corrupto, ſcilicet corpore participante: ipſum autem participatum permanet incorruptibile exiſtens. At verò cur marceſcit ipſum intelligere? an quia corrumpuntur phantaſmata. Intellectus igitur potentiæ, ſeu qui ex potentia actu factus eſt, aut etiam in habitu, cum nihil aliud ſint quàm participationes ſubſtãtiæ immortalis, ille quidem in ſemine, reliqui autem poſterius, merito omnes intereunt. hi quidem corruptis phantaſmatibus: omnes autem corrupto ſubiecto corpore participante. Significauit autem hoc manifeſtè Ariſtot. 1. de an. tex.66. inquit enim ipſum intelligere & ſpeculari marceſcere aliquo interius corrupto, non ipſo intellectu, nã impaſsibilis eſt: cuius rationem infert: nam ratiocinari & reliquæ operationes, vt amare, odiſſe, & huiuſmodi non ſunt illius paſsiones, ſed habentis illud, quatenus illud habet: quare hoc corrupto neque meminit, neque amat non enim erant illius, ſed communis, quod deſtructum eſt, intellectu diuiniori & impaſsibili remanente. Significauit igitur omnes animæ potentias eſſe ipſius habentis impaſsibilem ſubſtantiam, quatenus illam habet, ideo omnes interire corrupto participante. Hoc idem cõfirmat. 3. de an. tex. 20. Poſtquam enim oſtendit intellectus agentis immortalitatem, ſubiunxit: Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſsibile eſt, ideſt nõ conſtat ex potentia, idcirco non recipit, nec à phantaſmatibus mouetur, ſeipſum enim ſolum & ſemper intelligit: paſsiuus verò intellectus, id eſt qui per potentiam definitus eſt, corruptibilis eſt, ſine quo intelligi non poſſunt quæ in phantaſmatibus ſunt. At verò ſi intellectus agens aliam operationem propriam homini non præſtat, ſcilicet ipſum intelligere ſine phantaſmate, hominis anima ſimiliter interibit vt cæterorum animalium: nihil enim aliud homo erit præter ipſum coniunctum. Preterea & circa ſenſum dubitatur. videtur enim impaſsibilis & incorruptibilis, vt intellectus. 1. de ani. text. 65. ſi enim ſenex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis. & 2. de ani. tex. 122. licet in magnitudine ſit, non tanquam in magnitudine exiſtens cognoſcit: impaſsibilis ergo tum ratione obiecti tum ratione ſubiecti: obiecti quidem quia non recipit cum materia, quamuis organa cum materia patiantur: neceſſe enim eſt perſpicuum eſſe organum viſus non ipſum viſum, & medium in calido & frigido organum tactus, non ipſum tactum: calefit enim & frigeſit caro vt inanimata, non ipſe tactus, niſi ſimilitudine quadam. Subiecti autem ratione impaſsibilis, quia magnitudo non eſt ſenſitiuo eſſe, neque ſenſus magnitudo, ſed ratio illius. Item ſimul iudicare non poſſet album & nigrum, aut dulce & reliqua ſenſibilia: in eadem enim magnitudine contraria ſimul non recipiuntur, iudicantur autem ſimul. 2. de ani. tex. 149. at hæc eadem in intellectu ſunt. Differentia autem ſolum videtur, quod ſenſus

poſt

A poſt maximi ſenſibilis receptionem impeditur, ne quod minus eſt, ſentiat: intellectus autem minimè, imo magis intelligit poſtquam maximum intelligibile perceperit: ſed hoc accidit, quia organum ſenſus afficitur, non quia ipſe: ſi enim oculum immutaret, ſimiliter reliqua ſentiret. nec ab exceſſu læditur, niſi quia organum cum materia patitur. Intellectus autem cum non egeat organo, ſufficiunt enim organa ſenſus ad miniſtranda intellectui phantaſmata, non afficitur affecto organo: & receptas iam ſpecies per ſenſum, in phantaſmatibus diſtinguit & componit. idcirco vbi vult, intelligit, non ſenſus vbi vult ſentit, neceſſe enim eſt ab exteriori ſenſibili affici organum. Aut igitur vterque immortalis, aut vterque corruptibilis. Concedit autem Ariſt. 1. de an. tex. 66. omnes has operationes corrumpi, quia ſunt ipſius coniuncti: id autem cuius participatione illa ſunt, impaſsibile eſſe. Quidam hæc dicta volunt de intellectiuo ſolum. At ſi de ſenſitiuo etiam non eſſet verum, quomodo vnum numero eſſet intellectiuum & ſenſitiuum? non exiſtente autem vno, quomodo intelligibilia cum ſenſibilibus cõferuntur, componuntur, ſeiunguntur? & quomodo ex ſingularibus colligeretur vnquam vniuerſale, cum intellectui ſingularia ſint ignota, & ſenſui vniuerſalia? Singularium enim non eſt intellectus niſi forte ex ijs fuerint, quæ per abſtractionẽ dicuntur vt Mathematica. 7. Metaphy. tex. 35. Si igitur ſenſitiuum includitur in intellectiuo, vt triangulum in quadrato, & binarium in ternario, & tandem vt pars in toto: Cum intellectiuum ſit, quia habeatur impaſsibilis ſubſtantia, qui intellectus dicitur: ſimiliter igitur, & ſenſitiuum eſſe oportet quatenus eandem ſubſtantiam participat, ſed minus quam intellectiuum: non enim ſit quatenus hanc eandem habet, ſed aliquid aliud, ſi hoc non ſit eius pars, nec igitur ſenſitiuum erit intellectiui pars. Hæc eadem inferri de vegetatiuo poſſunt, ſi pars ſenſitiui eſt. Proprijs quoque C rationibus oſtendi poteſt. Aeternitas enim non niſi ab æterno fieri poteſt: Cum igitur vegetatiui opus maximè proprium ſit generare ſimile in quo eſt ſpeciei æternitas, non aliquid corruptibile eſſe eius ſubſtantiam oportet. Neque enim ſingula corruptibilia exiſtentia, neque omnia cauſa ſunt ipſius ſempiternitatis. 8. Phyſi. tex. 46. Omnis igitur anima, ſeu animæ pars mortalium diuinum ipſum participare videbitur: corrumpi autem aliquo interius corrupto: vt corpore participante. At quæ differentia fuerit inter animas hominum, & reliquorum mortalium? An ſolus homo vergere in ſeipſum poteſt per intellectum ſpeculatiuum, & ex operatione coniuncti tranſire in operationem propriam intellectus? quomodo autem, & quando, inferius patebit. Plantæ autem cum nullam vim cognoſcendi habeant, tranſitũ huiuſmodi nullo modo facere poſſunt: Animalibus autem ratione carentibus ob modicam vim iudicandi, deficit in totum cognitio cor-

ruptis organis. Ex dictis igitur patet quo pacto immortalis ſubſtantia D
mortalia perficiat, & in corpore mortali inhabitet, cum tamen immixta ſit, eſſe enim omnium ab hac ſubſtantia inſeparabile eſt: hæc autem ab omnibus ſeparata. Neque cogimur aliam copulationem cōminiſci agentis cum phantaſmatibus, aut cum intellectu poſsibili, vt alij nituntur. Sufficit enim dependentia quam prædiximus. Agit autem is & perficit intellectum poſsibilem non vt obiecta extrinſeca, nā & hæc ſimiliter in potentia ſunt, vt egeant eodem agente, qui ſimul illa faciat de potentia actu intellecta, & intellectum poſsibilem actu intelligentem: vnus enim eſt actus vtriuſque, ſcientia & id quod ſcitur. Neque abſtrahendo præparat intelligibilia ad intellectionem, quaſi cum vniuerſalia per abſtractionem facta fuerint, adhuc ſint intelligibilia non dum intellecta: non enim dantur vniuerſalia ſeparata præter quam in intellectu: neque ſola abſtractio ſufficit ad intellectionē: abſtractio enim reſpicit alienas conditiones, vt materiales: non efficit E
appræhenſionem ipſius quid eſt, quod eſt obiectum intellectus: ſed ſui præſentia tanquam menſura per ſe notiſsima, licet forte nobis ignota, inſita tamen non aliunde quæſita iudicantur & cognoſcuntur a nobis, quæ in ſenſibilibus & phantaſmatibus latent: vt luminoſi corporis preſentia colores emergunt, qui in tenebris latebant. Quoniam autem iudicium omne fit applicando aliquam menſuram notam ad id quod menſuratur, hoc verò poſtquam menſuratum & notum nobis factum eſt, accipi poteſt pro menſura ad reliqua menſuranda: hinc fit, vt cognitis terminis quibuſdam, ex ijs tamquam principijs & præcognitis alia cognoſcamus, & ex ijs alia, donec magnus veluti cumulus fiat rerum inuentarum: quo enim plura habemus nota, eo facilius reliqua addiſcimus: & qui parum ſcit, parum addiſcit: & qui nihil, vt bruta, nihil addiſcunt. At ſenſus cum non fiat ex præexiſtenti cognitione, ſtatim enim ſine medio quorundam diſciplina eſt. 1. Poſterio. tex. 3. non videtur egere menſura aliqua agente, licet aliquando vtatur, vt cum aurifices ſigno optimi auri ſuper lapidem reliqua genera comparantes iudicant: quo modo magis & minus album vel calidum & frigidum & alia huiuſmodi contraria alio contrario diſcernimus: ipſum tamen primum quod ſentimus, quo medio cognouimus? ipſe igitur met ſenſus erit agens. An ſi vera ſunt quæ diximus de formarum materialium dependentia ab immateriali ſubſtantia, eodem quidem diſcernimus tum ſenſibilia tum intelligibilia; ſed aliter ſe habente vt innuitur. 3. de An. tex. 10. vt circumflexa ſe habet ad ſeipſam cum extenſa fuerit, vt alibi commodius oſtendemus. Eadem igitur intelligentia vegetabilis quidem facultatem tribuit alendi & gignendi ſibi ſimile, at ſine cognitione, carent enim medio, quo pati poſsint ſine materia. 2. de An. tex. 124. Animalibus verò etiā ſenſum, F
quo

A quo iudicare poſſunt ſenſibilia, eorum ſpecies recipiendo ſine materia, dum tamen organa patiantur cum materia. Tandem hominibus operationem ſine organo cõmunicat, quod eſt intelligere, gradatim ab operatione valde corporea tranſiens ad incorpoream & ſeparatam. Contingunt autem hi gradus perfectionum ob materiæ diuerſitatem, non ob imperfectionem intelligentiæ: obruitur enim à corpore participante iudicium magis & minus: omnino quidem in Plantis: aliqua ex parte in animalibus minime omnium in hominibus, præcipuè ijs, qui aut natura aut ſtudio temperatiores ſunt, & ſanguinem habent puriſsimum: Nam & à morbo, & ab animi perturbationibus vexati minus iudicio valemus. At ſi hæc ita ſe habent, cur non ponitur ſenſus agens, vt intellectus agens? An ad ſenſum præſtandum ſufficit ſola intelligentiæ participatio in eo gradu? ſed ad intellectum neceſſe fuit non ſolum participationem eius eſſe, quatenus innaſcitur intelle-
B ctus poſsibilis, ſed etiam id quod participatur, qui appellatur intellectus agens. Patet igitur illud idem, quo intelligibilia iudicantur, etiã ſenſibilia iudicari, menſura enim eſt omnium. Et quo pacto anima hominis ſola immortalis ſit, quia ſoli homini mortalium data eſt operatio propria, quem maximè hominẽ eſſe dixit Ariſt. 10. Ethic. cap. 7. operationes autem coniuncti humanas vocauit. cap. 8. Homo igitur ipſe, ideſt verè homo mens ipſa eſt participata, non participatio: omnis enim participatio coniuncti eſt, & generabilis, & corruptibilis. Quomodo igitur ipſe homo differat à Deo? & quomodo multi numero ſint homines? An quemadmodum de multitudine mouentium orbes cœleſtes diximus, ſimiliter hic dicendum? Vnum enim ſimpliciter eſt ipſa prima ſubſtantia, vnde omnibus pendet eſſe, & hic eſt ipſe Deus optimus maximus: Quatenus autem à pluribus participatur, multitudinem aſſumit, & hic quidem Saturnus dicitur, hic vero Iup-
C piter, hic verò homo. Differunt autem cęleſtium intelligentiæ ab hominis anima, quod ibi quidẽ participatio æterna eſt, vt participatum: Corpus enim cœleſte ingenitum, & incorruptibile eſt, ideo appetẽtia æterna, & motus æternus. In homine autem pereunt participationes, quia materia eius generabilis eſt, & corruptibilis. Ob id autem ſolum ſecundum corporum cęleſtium multitudinem multiplicatæ ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ ab Ariſtotele, quoniam corruptibilibus corporibus quorum eſt caduca operatio, non potuit æterna aſsignari ſubſtantia: Quod autem in ipſis æternum eſt, nulli corpori eſt delegatum: intellectus. n. nullo vtitur corpore: At ſubſtantia mouens corpori proprio aſsignari debet, recipitur enim omnis motus in corpore: Idcirco quot ſunt corpora mobilia æterna, tot etiam ponuntur ſubſtantiæ ſeparatæ mouentes. Simul autem ex his manifeſtum eſt, quo pacto ab æterno motore caduca proueniat operatio: non enim per ſe: nam corrupti-

bilium

bilium per ſe corruptibilia ſunt principia,& æternorum æterna: quia D
igitur participatio intellectus æterni in homine non eſt æterna, idcirco deſinit in eo ſpeculatio: at non deſinit in ipſo intellectu participato: vtrũ aũt hic vnus numero ſit in pluribus hominibus,cõſiderandũ eſt deinceps. Eſſe igitur numero plures patet: ſi enim propter materiam numerabile eſt vnumquodque, ſecundum quem modum pluribus hominibus tribuitur,numerabilis fuerit: quomodo enim aliquid vnum numero fuerit in pluribus numero corporibus? At verò dicet quiſpiam: quæ multa numero ſunt, vnum ſunt ſpecie: omnia autem huiuſmodi inſeparabilia à materia ſunt, ſpecies enim inſeparabilis eſt à multis. Conceditur omnia, quæ multa numero ſunt, vnum etiam eſſe ſpecie,& inſeparabilia à materia: participationes enim ſignificantur, quæ à materia ſunt inſeparabiles: non tamen ſequitur, id quod participatur vnum ſpecie eſſe: Quod enim ſine materia eſt vnum eſt ſimpliciter,per quem cætera vna ſunt. Quomodo enim vnum aliquid E numero eſſet, aut ſpecie, aut genere, niſi aliquid ipſis ineſſet, quod ſimpliciter vnum,& verè vnum eſſet? Animæ igitur hominum immortales cum ſine materia ſint,ſunt ſimpliciter vnum, quo pacto conſideratæ non numero vnum dici poſſunt, numerus enim à materia habetur: Quatenus autem pluribus hominibus tribuuntur,multæ ſunt numero,quia homines ſunt numerabiles. Sed amplius dubitatur: Nam ſi multitudinem animarum immortalium admittamus,quomodo aufugiemus incommodum, quod aduerſus Platonem oſtenditur? dari ſcilicet aliquid genitum quod non corrumpatur. Si enim antequam Socrates fieret,non erat anima Socratis,quia non poteſt participari ab eo quod nondum eſt: Socrate autem corrupto non corrumpitur,genita igitur erit,non autem corruptibilis. An erat ſemper etiam Socrate non exiſtente? licet enim non participaretur actu, poterat tamen participari: nec eſt eius eſſe, actu in corpore eſſe, operatur enim ſine F corpore. Ad hoc modo dabitur infinitum in actu, infinita enim ſunt ſingularia in tempore infinito: ſi igitur ſingulorum animæ ingenitæ ſunt,& incorruptibiles, infinitę erunt ſimul. An ſimiliter hic accidit, vt in continuo? Vnum enim eſt ipſum continuum, diuiſibile autem in ſemper diuiſibilia: non tamen ſimul vnquam diuiſum eſt ſecundũ omnia,ſed ſucceſsiuè diuiditur. Sic ſubſtantia immaterialis potentia quidem continet animarum multitudinem, ſucceſsiue autem multiplicatur pro numero hominum. Quomodo igitur ſolæ hominum animæ inter mortalia,immortales ſint,& quomodo plures numero,& quomodo vnum,explicatum eſt.

Infæli-

A

Infœlicitatem eſſe omnia ſpeculari. Quæſt. IX.

SI fœlicitas cum delectatione coniuncta eſt, omnis autem labor triſtitiam parit, quodcunque cum labore perficitur, carere voluptate ſimul & fœlicitate neceſſe eſt. Eſſe autem ſpeculationē omnium maximè laborioſam facile eſt colligere. Cum enim non contingat omnia ſpeculari ſine intellectu potentiæ, nam hic ſolus receptiuus eſt aliorum: quod autem aptum natum eſt aliter habere, diutius perſiſtens in operatione, laborioſum ſit. 2. cœ. tex. 3. non ſolum fuerit laborioſiſsimū, imo omnino ſupra vires humanas omnium rerum ſcientias adipiſci: Multitudo enim ſcibilium temporis breuitatem quo viuimus, longe ſuperat. Idcirco quidam videntes in vno homine omnium ſcientiam cadere non poſſe, putantes autem fœlicitatem non eſſe, niſi intellectus poſsibilis omnia intelligibilia poſsideret ſecundum habitum, ne aliquando ſua fęlicitate fruſtraretur, coacti ſunt in omnibus temporibus omnes ſcientias ponere in omnibus hominibus, adeo vt nunquam aliquod eſſet ſcibile, quod apud aliquem hominem non ſciretur, quaſi fęlicitas non niſi in pluribus hominibus collectim reperiatur. Non autem eſſe bonum omnia intelligere teſtatus eſt Ariſt. 12. Metaphy. tex. 51. nam præter quam quod laborioſa eſt perſeuerantia intelligendi, & ob id peſsimum quid ac fugiendum: multa etiam melius eſt non videre, quam videre. Quæ cum hoc modo habeant, videndum eſt, in quo conſiſtat hominis fęlicitas ſecundum Ariſtotelem. Eſſe autem duplicem fęlicitatem, vnam quidem humanam, quæ ex virtute earum operationum contingit, quas humanas vocat, quia pertinent ad coniunctum: Alteram verò præſtantiſsimam iucundiſsimamque ex intellectu ſpeculatiuo, quam diuinam vocat, quia pertinet ad id quod in homine diuinum eſt. 10. Ethic. cap. 7. maniſeſtiſsimè eſt explicatum. Difficultas verò circa contemplatiuam fœlicitatem contingit, quam hic quęrimus, quo pacto contingat. Non enim videtur hæc cōſiſtere in ſpeculatione rerum materialium, neque earum, quæ per abſtractionem dicuntur, vt Mathematica: nam hæc pertinere ad coniunctum ex ſuperioribus patet, ideo non ſine labore parantur: Præterea viliora ſunt omnia ipſo intelligente, ſi anima præſtantius eſt nihil. Adeo vt dubitare quis poſsit, etiam deterioris conditionis eſſe huiuſmodi ſcientias ipſo intellectu factiuo ſeu actiuo: hi enim conferunt multum ad bene beateque viuēdum, cum nobis multa commoda ex arte, & prudentia comparentur. Eorum autem ſpeculatio, quæ inſeparabilia ſunt, quam vtilitatem homini præſtet præter vitæ occupationem, non eſt videre: Speculatiui enim intellectus finis non eſt præter ipſam ſpeculationem. Vnde iure optimo videtur

B (margin, beside "tatem non eſſe")

Socrates

Socrates hoc genere contemplandi contempto, ad ea animum appu- D
liſſe, quæ in actione ſecundum virtutem conſiſtunt. Relinquitur igitur ſi eſt aliqua contemplatiua fœlicitas, eam verſari non circa coniunctum, neque circa inſeparabilia à materia, ſed circa ſubſtantias abſtractas. Sed vtrum ad earum contemplationem peruenire homini liceat, maximè dubitatur inter philoſophos: putatur enim Ariſt. hoc problema conſiderandum tantum propoſuiſſe. 3. de Ani. tex. 36. nunquam autem explicaſſe. Ex ijs autem quæ ſuperius dicta ſunt, non difficile eſt ſoluere. Cum enim eiuſdem rationis ſit intellectus, & quod intelligitur: nam intellectus in actu nihil aliud eſt quam id quod ſcitur, & in ſenſu ſimiliter ſenſus in actu res ipſa eſt quæ ſentitur, ſpecies enim ſine materia ſunt tum ſenſus tum intellectus: Idcirco inſeparabilium intellectus ſeu per abſtractionem dicantur, vt Mathematica, ſeu materiam ſenſibilem includant, vt Naturalia, pertinent ad eam partem animæ, quę inſeparabilis eſt à magnitudine: huiuſmodi autem diximus eſſe non intellectum participatum, ſed eius participationē, quem E
poſsibilem intellectum vocat: idcirco de eo pertinet ad philoſophum naturalem pertractare, eſt enim alicuius ratio. Vtrum autem per hunc intellectum non exiſtētem ſeparatum à magnitudine, aliquid ſubſtantiarum ſeparatarum attingamus, quæſiuit Ariſtoteles: quaſi ſeparatas ipſas ſubſtantias intelligere hoc intellectu impoſsibile ſit: Cum enim omnino intellectus in actu res ipſa ſit intellecta, inſeparabilium intellectus inſeparabilis exiſtit, ſeparatorum autem ſeparatus: Quemadmodum enim res ſeparabiles ſunt à materia, ſic & quæ circa intellectum. 3. de Ani. tex. 11. Vtrum autem aliquid ſeparatorum attingere poſsit, hoc nondum eſt manifeſtum. Putatur autem aliquo modo admittere Ariſtoteles. 9. Metaphyſ. tex. vltimo: vbi inquit: circa ſimplicia non eſſe deceptionem, ſed ignorantiam nō qualis cęcitas eſt: cæcitas enim eſſet, ſi quis omnino non haberet intelligendi potentiam. Eſſe autem F
difficultatem intelligendi ſignificauit idem Ariſtoteles. 2. Metaphyſ. tex. 1. vbi ex parte intellectus noſtri non ex parte intelligibilis difficultatem eſſe oſtendit: Aſsimilat enim intellectum animæ noſtræ oculis veſpertilionum ad lucem diei. Notandum igitur eſt, cum alia ſint ſimpliciter ſeu ſecundum ſe nota, quæ & natura nota dicuntur, alia autem nobis: res autem quāto ſimpliciores ſunt, tanto etiam ſecundum ſe notiores 1. Metaph. cap. 2. Quæ enim ſimpliciter dicuntur, certiores ſunt quam quæ ex additione, vt Arithmetica quam Geometria: & Mathematicæ ſcientiæ quam Naturales: Contra autem nobis notiora ſint compoſita magis & ſingularia, quia innata eſt nobis hæc via, vt ex compoſitis in ſimplicia tendamus: Factum eſt vt difficillimum ſit ea quæ manifeſtiſsima in natura ſunt, attingere, longo enim diſcurſu egemus, vt quæ maxime inuoluta ſunt, quæque primo nobis ſunt manifeſta, vſque

A ſta, vſque ad prima principia euoluamus. Quod ſi omnino id eſſet impoſsibile, impoſsibile etiam eſſet aliquid ſcire: principijs enim ignoratis, & reliqua ignorari eſt neceſſe: ſed opinio tantum eſſet. Quod igitur dixit Ariſtoteles difficultatem eſſe ex parte intellectus noſtri, ſignificauit modum difficilem: oportet enim ex phantaſmatibus & ſenſibilibus veritatem abſtruſam eruere: Non autem imbecillitatem ſeu diminutionem potentiæ. Nam ſi hoc eſſet, diminutè apprehenderet ipſa principia: defectus autem circa principia maximos pareret in cæteris errores. Præterea oportet principia longe magis ſcire & credere quam concluſiones. Primo Poſter.tex.5. non igitur diminutè apprehendere oportet. Apprehenſionem autem huiuſmodi principiorum in intellectu poſsibili eſſe, inde manifeſtum fit: aliquando enim ea ſcimus aliquando non: Similiter ſcientia diuinorum per diſciplinam comparatur vt reliquæ ſcientiæ: potentia igitur prius habebâtur

B quam actu, hoc autem eſt eſſe intellectus poſsibilis. Si autem ingenitã haberemus & nobis innatam huiuſmodi ſcientiam, non lateret nos, & natura eſſemus ſapientes non per diſciplinam, aut adeptio ſcientiæ eſſet reminiſcentia quædam: quam ſententiam refellit Ariſtoteles primo Metaph.tex.49.& 2.Poſter.tex.27. Quæ cum hoc modo habeant, & principiorum, quibus vtuntur omnes ſcientiæ, notitiam comparemus: ac ſcientiam de Diuinis abſtractiſque addiſcamus, neceſſe eſt, vt intellectus non ſeparatus à magnitudine aliquid ſubſtantiarum abſtractarum intelligat. Cum igitur iſte intellectus non res ſed rerum ſpecies recipiat: ſpecies autem ſimulachra quædã & ſimilitudines rerum ſint, quæ ſimiliter viliora ſunt ipſa anima: accidentia enim ſunt, & poſteriora ipſis rebus: quæ fœlicitas in huiuſmodi contemplatione fuerit? Nam & hæc laborioſa ſimiliter vt reliquarum ſcientiarum apprehenſio, imo magis, cum longiori abſtractione egeat. At circa ea quæ

C modo diximus, dubitabit quis: Non videri eiuſdem rationis eſſe intellectum & intelligibile: Intellectus enim materialis, coniuncti eſt, quod autem intelligitur eſt abſtractum: & ille ad naturalem philoſophum pertinet, quod autem intelligitur, ad diuinum. An intellectus in actu & res ſimiliter hic ad diuinũ pertinet? idem enim eſt: at quatenus potentiæ eſt, non ſimiliter. Cum enim alicuius materiæ potentia ſit, vt animæ, ad naturalem pertinet, ſiue receptiua ſit naturalium, ſiue eorũ quæ à Mathematicis tractãtur, ſiue Diuinorũ. Intelligibilia enim naturalia, Mathematica & Diuina, quatenus ex ſimulachris ſeu phantaſmatibus de potentia in actum feruntur, nõ differũt: quatenus autem modo cõſiderandi hæc quidem non ſine materia ſenſibili, hæc verò nõ ſine cõtinuo, quę materia eſt intelligibilis, hæc autẽ ſine omni materia apprehẽdũtur: ortæ ſunt diuerſæ ſciẽtiæ, quæ eadẽ quidẽ aĩæ facultate ſed aliter ſe habẽte diſcernuntur. 3.de Ani. tex.11. Amplius

dubitabit

dubitabit quis circa diuinorum intellectionem: non videri per ſpecies recipi: ſpecies enim fiunt per abſtractionem à materia: quæ autem abſtracta ſunt & nullam habent materiam, non egent abſtractione: ipſa igiturmet, non eorum ſpecies recipientur. Quo admiſſo ſequetur intellectum corruptibilem fieri æternum, ſi intelligens ſit res intellecta. Dicimus huiuſmodi ſubſtantias in materia eſſe, licet non pendeât ex materia. Nam in ſenſibilibus formæ ſunt intelligibiles, & in formis materialibus abſtractæ: oportet igitur ex phantaſmatibus elicere tum formas materiales tum abſtractas, hoc autem non fit niſi per ſimulachra. Cum igitur tres ſint ſcientiæ ſpeculatiuæ: Naturalis, Mathematica, & Diuina: omnes autem apprehenſiones ſint non rerum ſed ſpecierum, in nullis erit fęlicitas contemplatiua. Relinquitur igitur ſi aliquando vera fęlicitate & nõ fictitia fruitur homo, eam conſiſtere nõ in intellectu potentiæ ſed in altero, cuius eſſe actus eſt: Hoc enim ſine vlla defatigatione ſe ipſum intelligens non ſpeciem ſiue ſimilitudinem ſui ipſius, ſed ſubſtantiam ipſam & optimum recipiẽdo, actione frui iucundiſsima par eſt. Sed cum hæc diuina ſit fęlicitas, non videtur homini conuenire: Conuenire tamen homini conceditur. 10. Ethic. cap. 7. Vitam enim hanc præſtantiſsimam non eſſe hominis compoſiti, ſed quatenus Diuinum quid in ipſo eſt: monetque ſtudendum eſſe, vt cum ſimus mortales, immortales nos reddamus, omnia efficiendo, vt ex præſtantiſsimo quod in nobis eſt, vitam traducamus. At qui fieri poteſt, vt quod mortale eſt, immortale fiat, niſi fiat tranſitus de operatione compoſiti in operationem propriam intellectus? Nam operationem coniuncti immortalem eſſe impoſsibile eſt altera eius parte corrupta. Cum autem tranſire non liceat de vno extremo in alterum ſine medio: extrema autem ſint Senſus & intellectus ſeparatus: idcirco opus fuit altero intellectu partim ſeparabili partim inſeparabili: Senſus enim inſtrumento corporeo operatur: intellectus autem humanus ab hoc quidem ſeparatur, à phantaſmatibus autem nequaquam. Diuinus autem & à corpore & à phantaſmatibus eſt ſeparatus. Præterea neque tranſitus fieri poſſet niſi vnum quid omnia eſſent. Non enim albedo in nigredinem tranſit, nec vllum contrarium in alterum, nec vnum ſubiectum in alterum ſubiectum, ſed aliquod idem ſubiectum poſt vnum alterum ſuſcipit. Similiter igitur anima ex vna cognitione non tranſiret in alteram, niſi vnum quid eſſet non tactu, neque colligatione, neque alia coniunctione, ſed ſecundum ſe vnum. Forma autem ſeparata cum formis materialibus nulla alia ratione vnum eſſe poſſunt, niſi eo modo vt diximus, ſcilicet quia dicuntur ſecundum additionem & ablationem, vt participatio ad participatum. Intellectus autem humanus cum ſenſu vnum ſunt, vt forma cum materia, quia ſunt ambo per eiuſdem participationem perfectius & imper-

D E F

A imperfectius. Nihil igitur obſtat, quominus eadem anima ex ſenſu in intellectum tranſeat, & ambo iudicet ſenſibilia ſcilicet & intelligibilia non quidem altero, ſed eodem aliter ſe habente, vt circunflexa ſe habet ad ſeipſam, cum extenſa fuerit. 3. de Ani. tex. 10. Quæ enim per additionem dicuntur, lineæ curuæ aſsimilantur, quæ autem per ablationem, rectæ. Similiter autem ex intellectione per Phantaſmata tranſitus dabitur in intellectionem ſimplicem, quæ alterius non eſt, ſed ſui ipſius ſolum, quia per ablationem cæterorum omnium dicitur: vnde pendet omnium ſcientiarum certitudo. Quoniam verò non eſt in noſtra poteſtate intelligere ſine phātaſmatibus: hæc enim operatio principium eſt omnium, quæ in nobis ſunt ſecundum naturam: principia autem non in noſtra ſunt poteſtate: idcirco tranſitus huiuſmodi ſponté naturæ fit, non autem quando volumus. Cum autem non liceat ſimul omnes animæ operationes perfectè edere, quamdiu enim viget
B altricis animę actio, ſenſus imperfectius agunt, vt in pueris & dormientibus contingit: & dum circa ſenſibilia multum occupatur animus, vniuerſalia ſpeculari minus poſſumus: hinc fit, vt perfectè non liceat in intellectionem ſeparatam aſcendere, niſi derelictis operationibus coniuncti: Hoc autem non niſi poſt mortem contingit: Cum enim in vita animus ad varios motus actionesque, quibus inſeruire oportet, diſtrahatur, propria intellectus operatione frui nequit: præcipuè vbi dominantur ſenſuum illecebræ ac cæteri animi affectus. Idcirco virtutes morales excedentes animi motus cōpeſcendo, ad fœlicitatem hanc plurimum faciunt, quia remouent impedimenta. Habitus præterea contemplandi neceſſarius eſt, hoc enim aſſueſcimus ad intelligentiam propriam peruenire. Idcirco fœlicitatis pars magna eſt ipſa contemplatio ſcientiarum, præcipue diuinarum: nam hæ ad ſeparatam intelligentiam propius accedunt. Ad illam autem non eſt neceſſe per om
C nium intelligibilium receptionem peruenire. Si enim ea quę ſunt omnia haberent ordinem inter ſe vt vnum poſt aliud eſſet, donec ad primum & vnum veniretur, neceſſe eſſet prius omnia intelligere, quam primum eſſet inuentum: Cum autem non eo modo ordo ſit in rebus vt inuicem diſpoſitæ ſint, ſed omnia ad vnum quippiam. 12. Metaph. tex. 52. quorundam contemplatio ſufficit ad primi inuentionem. Similiter autem & in intellectione ſine Phantaſmatibus nō datur ordo intelligentiarum eo modo, vt vna alteram intelligat ſucceſsiue donec ad ſupremam perueniatur: Eſſet enim ac ſi oculus audiret, aut pes manus officio fungeretur. Sed ſingularum intellectio ad primam ſe habet vt lineæ ex centro ad ipſum centrum, quo exemplo vſus eſt Ariſtoteles in ſenſu. 2. de Ani. tex. 149. Quemadmodum igitur homini datur tranſitus ex operatione coniuncti in operationem propriam, ſic omnibus intelligentijs dari neceſſe eſt tranſitum in primam, inſeparabiles

biles

biles enim ſunt omnes à prima. Ad fœlicitatem ergo conſequendam D
non eſt neceſſe omnia contemplari, & omnia intelligere: imo potius multorum inueſtigatio videtur officere: quia animus longo tempore in illis occupatus ab ipſius optimi contemplatione retardatur: adeo vt etiam tranſitus ille, qui in ſui ipſius intellectionem tendit, omnino impediri poſsit: non enim contingit ad illum peruenire ſine medio. Media autem ſunt, vt ex ſenſibilibus in intelligibilia, & ex his in primi principij cognitionem perueniamus, primo quidem per ſpecies & ſimulachra, vltimo autem ſecundum ſubſtantiam. Sed videtur ijs quæ dicta ſunt obſtare locus Ariſtotelis. 3. de Ani. tex. 8. vbi de intellectu potentiæ loquens, inquit. Cùm ſingula factus eſt, vt ſciens ſecundum actum dicitur, quod tunc accidit, quãdo per ſe ipſum operari poteſt, eſt quidem & tunc potentia quodammodo, ſed non ſimiliter vt erat antequam didiciſſet, aut inueniſſet: & ipſe autem ſeipſum tunc poteſt intelligere. Quaſi ad ſui ipſius intellectionem peruenire non poſsit, E
niſi habitum omnium ſcientiarum acquiſierit: hoc enim videtur ſignificare verbum illud: Singula. In hac autem intellectione, quæ eſt ſui ipſius, tranſitus continetur in intellectionem æternam, quæ eſt fœlicitas: In intellectione enim ſui ipſius includitur intellectio intellectus agentis, cuius ipſe eſt participatio. An vox illa: ſingula: non idẽ ſignificat quod omnia? ſed vniuerſitatem diuiſim non collectim. Dixit igitur, cum intellectus potentiæ ſingula factus fuerit. i. vel hæc ſcibilia vel illa, tunc actum primum habet circa illa, vt ſpeculari per ſe ipſum illa poſsit, & tandem ſeipſum intelligere. Concludimus igitur vltimam fælicitatem non in multitudine ſcientiarum contineri, ſed in eius contemplatione quod in nobis eſt pręſtantiſsimum: hanc autem impedire tum morum prauitatem tum cæteras animi occupationes. Idcirco non niſi anima corpus deferente perfectè haberi ſecundum naturam. Quod ſi anticipet, vt plurimum abortum quendam eſſe, vt accidit fanaticis & furentibus. F

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI, QVÆSTIONVM PERIPATETICARVM, LIBER TERTIVS.

Naturam principium eſſe patiendi non agendi. Quæſt. I.

B
CVM natura pluribus modis dicatur.5.Metaph.tex.5. hoc loco accipimus in ea ſignificatione, quam accipit Ariſtoteles.2.Phyſ.tex.3.vbi naturam definiẽs inquit: eſſe principium & cauſam mouendi & quieſcendi ei in quo ineſt primum, per ſe,& non ſecundum accidens. Nam ſi materia eorum quæ huiuſmodi principium habent, ac eorundem ſubſtantia ſeu forma, & tandem generatio naturę dicantur, prima tamen eius ratio eſt ipſum principium motus: Alterum autem eſt eſſe materiæ & huiuſmodi principij: non enim idem eſt ſubiectum ægrotabile, & potentia ad ægritudinem: & æris eſſe ac potentia mobile.3.Phy.tex.9.Similiter autem & ipſa forma ſe habet. Forma enim cum ſit actus primus, potentia eſt quodammodo ad actus ſecundos vt operationes & motus: alterum
C tamen eſt eſſe ipſius actus,& potentiæ ad motus. Cum igitur natura ſit huiuſmodi potentia ſeu principium, maximè propriè dicitur de forma, hæc enim actu huiuſmodi principium obtinet, à quo fluunt actus ſecundi. Materia autem ideo natura eſt, quia ſuſceptiua eſt huius naturæ: Generatio autem quia in eam tendit. Ex quibus patet aliam eſſe rationem naturæ, aliam ipſius formæ materiæ, ac generationis, de quibus natura dicitur. Hoc igitur modo accepta natura dicimus ipſam principium eſſe patiendi non agendi. Eſt enim agendi potentia principium motus aut tranſmutationis in altero vel prout alterũ eſt. 5.Metaph. tex.17. vt ædificatiua potentia quædam eſt, quę non ineſt in eo quod ædificatur, in altero igitur. Ars autem medendi ineſſe quidem poteſt in eo qui ſanatur, ſed non quatenus ſanatur, idcirco prout alterum. Si igitur natura principium motus eſt ei, in quo ineſt primum, per ſe & non ſecundum accidens: non fuerit natura potentia agendi:

repugnat enim in ipſo eſſe & in altero, & per ſe ineſſe, ac prout alterũ. D
Cum autem omnis potentia ſit vel agendi vel patiendi, idque aut ſim-
pliciter, aut bene aut facile & ſecundum reliquas conditiones. 5. Meta.
tex. 17. Natura ſi non fuerit potentia agendi, ex neceſsitate erit patien
di potentia: hæc enim in patiente ineſt, vt agendi potentia in ipſo a-
gente. 9. Metaph. tex. 2. Expreſſe autem Ariſtoteles enunciauit naturã
potentiam eſſe patiendi. 9. Metaph. tex. 13. vbi inquit: actum priorem
eſſe ptentia non ſolum illa quę dicitur principium tranſmutatorium in
alio prout aliud eſt, ſed prorſus omni motiuo & ſtatorio principio,
etenim natura in eodem fit, in eodem enim genere cum ipſa potẽtia,
principium enim motiuum non tamen in alio, ſed in ipſo prout ipſum
eſt. Colligitur præterea ex 2. Phy. tex. 73. vbi inquit. Duplicia eſſe prin
cipia mouentia phyſicè, quorum alterum non phyſicum eſt, non enim
habet motus principium in ſeipſo. Tale autem eſt, ſi aliquid mouet,
quod non mouetur, vt id quod penitus eſt immobile & quod omniũ E
primum eſt. Si igitur primum mouens motiuum quidem eſt, non ta-
men naturale, quia non habet principium motus paſsiuè: potentiam
paſsiuam neceſſe eſt naturam eſſe. Omnino autem fieri non poſſe vt
actiua potentia per ſe inſit in eo quod mouetur, hinc fiet manifeſtum.
Actiuum enim & motiuum vnumquodque eſt quatenus actu habet
ſpeciem, vt calefactiuum quod actu calidum eſt: paſsiuum autẽ quod
ſpeciem non habet, quam tamen recipere poteſt ab altero actu exiſten
te. Cum igitur oppoſitum alteri oppoſito per ſe ineſſe nequeat, nec
actiuum in eo quod patitur, per ſe ineſſe poſsibile eſt. Colligitur hæc
ratio ex. 8. Phy. tex. 40. vbi oſtenditur nihil ſeipſum per ſe mouere, ſed
neceſſarium eſſe in vnoquoque diuiſum eſſe mouens ab eo quod mo-
uetur. Neque ſufficit ratione tantum alterum eſſe, vt quidam putaue-
runt, credentes compoſitum ex materia & forma partem quidem mo-
uẽtem habere formam ipſam, partem autem motam ipſam materiam: F
vnum enim per ſe ſunt materia & forma. 8. Meta. tex. 15. omne autem
tanquam connaturale factum impaſsibile eſt à ſeipſo, vnum enim &
non aliud eſt. 9. Metaph. tex. 2. Idẽ colligitur. 8. Phy. tex. 30. vbi inquit:
nullum continuum & conſitum ſeipſum mouere: quatenus enim vnũ
& continuum non tactu, eatenus impaſsibile eſt: ſed quatenus repara-
tum eſt, eatenus hoc quidem aptum natura eſt facere, illud verò pati,
& quæ ſequuntur. Præterea ex natura contrariorum licet idem collige
re. Si enim contraria ſimul eidem ineſſe nequeunt, nec actiuum & paſ-
ſiuum eiuſdem alicuius inerunt alicui ſimul. Cum igitur materia &
forma eidem inſint, & vnum per ſe ſint, non ſunt contraria: impaſsibi-
lia ergo à ſe inuicem: nam inter actiuum & paſsiuum contrarietatem
ineſſe oportet. 1. de gen. & cor. tex. 50. & 51. non ſufficit ergo ratione
tantum diſtingui mouens ab eo quod mouetur, & ſubiecto ſeparari

oportet:

A oportet: nam alioqui contraria ſimul eidem ſubiecto ineſſent. Iure igitur optimo concludimus naturam principium eſſe patiendi non agendi. ineſt enim primo ei quod mouetur per ſe & non ſecundum accidens, quod de actiuo principio aſſerere non poſſumus, niſi multa ab Ariſtotele dicta, & omnibus cōfeſſa deſtruamus. Quamuis autem hæc adeo ſint manifeſta, vt venire in controuerſiam haud conſentaneum eſſet: Verumtamen quoniam noſtrates Peripatetici fermè omnes aliter ſentiunt, neceſſe eſt hanc ſententiam dubitandi modo exactius perpendere, vt difficultatibus reſecatis, liceat ſine hæſitatione veritatem contemplari. Ex his autem ſpeculantibus videbitur natura principium agendi eſſe. Nam cùm maximè dicatur de forma 5. Metaphy. tex. 5. & 2. Phyſi. tex. 12. magis enim natura hæc eſt quam materia: à forma autem habeatur actio, agit enim quod actu eſt: à materia autem paſsio, patitur enim quod potentia eſt: & tandem materia ſecundum quod

B materia paſsiua eſt. 1. de gen. & corr. tex. 55. & maximè igitur natura principium fuerit. Nam forma principium motus eſt eorum, quæ natura conſtant inſita quodammodo aut potentia, aut actu. 5. Metaphy. tex. 5. vt igitur ipſa principium eſt, ſic natura dicenda erit. Præterea id patet in animalium motu, mouentur enim animalia à ſeipſis ſecundũ naturam 8. Phy. tex. 27. ſi igitur anima motiua eſt corporis, in eodem autem per ſe ineſt, non videbitur repugnarę actiuum aliquod per ſe ineſſe in eo quod mouetur: huiuſmodi autē natura eſt ſecundum formam. Vlterius idem accidere videtur in motu grauium & leuium, à grauitate enim & leuitate mouentur, quæ virtutes ſunt ſecundum formam, idcirco actiuæ dicendæ. Argumento quoque artium coniicere poſſumus naturam efficientem cauſam eſſe. Cum enim ad omnē motũ peragendum requiratur agendi potentia & patiendi, eſt enim motus actus mobilis à motiuo 3. Phy. tex. 18. ſi in omnibus actiua potentia ex-

C trinſeca eſt & paſsiua intrinſeca, inter ea quæ ab arte fiunt & ea quæ à natura non erit amplius differentia quam ponit Ariſt. 2. Phy. tex. & 3. vbi inquit: Naturalia à non naturalibus differre, quod ea quæ natura conſtant omnia videntur habere principium motus & ſtatus in ſeipſis: Lectus autem & indumētum & alia huiuſmodi quę ab arte fiunt, quatenus ab arte, nullum impetum mutationis innatum habent: Sed omnium huiuſmodi principium eſt in alijs & extra. Si igitur huiuſmodi principium in artibus actiuum eſt, ſed extrinſecum, neceſſe eſt in natura quoque actiuum eſſe ſed intrinſecum. Quod ſi hic quoque extrinſecum eſſet, periret hęc differentia, quæ eſt inter artem & naturam. Nam ratione potentiæ paſsiuæ non conuenit hæc differentia, requirit enim in omnibus potentia patiendi quæ in patiente eſt: nam alioqui impoſsibile eſſet pati, non enim comburitur incombuſtibile, nec ſecatur inſecabile. In ligno igitur & marmore potentia contineri oportet for-

mam artificialem, alias nunquam ab arte fieret, nec lectus nec ſtatua. D
Neceſſarium ergo videtur differentiam inter artem & naturam eſſe pe-
nes actiuam potentiam. Quod ſi ita fuerit, natura erit principium agẽ
di. Indicant autem & multa Ariſtotelis dicta, vt 1. de Part. an. cap. 1. vbi
ſemen inquit principium & efficiens eſſe rei, quæ gignitur. hanc au-
tem naturam vocari: Et 2. de Gen. ani. cap. 1. Ars principium formaq;
eius quod efficitur eſt, ſed in alio: Motus autem naturæ in ipſo eſt ab
altera profectus natura, quæ actu obtinet formam. Appellat igitur na
turam efficientem cauſam; altera enim natura actu obtinens formam,
efficiens eſt. Et. 2. Phy. tex. 86. Naturam ſimilem eſſe medico, qui me-
detur ſibi ipſi. Si igitur Medicus efficiens cauſa eſt ſanitatis, & natura
ſimiliter fuerit efficiens eorum quæ à natura fiunt. Præterea ſi natura
agit alicuius gratia. 2. Phy. tex. 75. agentem facultatem eſſe oportet, nõ
enim materia ad finem pergit, ſine agẽte. Hæc igitur & huiuſmodi alia
perſuadere maximè poſſunt naturam principium eſſe agendi, vt ſum- E
mos philoſophos in hanc ſententiam duxerint. Quòd ſi hæc vera ſunt,
quomodo ſoluentur ea, quæ prius demonſtrata ſunt? Nam ſiue effectri
cem cauſam intrinſecam ponamus, ſiue extrinſecam, ſequuntur abſur-
da & impoſsibilia: Ponere enim extrinſecam repugnat naturę efficien-
tis: Quamuis autem in idem ſpecie coincidat cum forma quæ gigni-
tur, non tamen eadem eſt numero. 2. Phyſi. tex. 70. Si autem ponamus
extrinſecam, non conuenit definitioni naturæ, intrinſecum enim eſt
principium. Solum autem in ijs motibus qui ſequuntur formam, vide-
ri poſsit ipſa forma intrinſecum efficiens eorum eſſe, vt à grauitate &
leuitate motus ſurſum & deorſum, & ab anima operationes eius. At in
generatione & corruptione non contigit efficiens intrinſecũ eſſe: ho-
mo enim numero differens hominem gignit, & quod corrumpitur, à
cõtrario corrumpitur. Quomodo igitur naturalis erit generatio & cor
ruptio, cũ eius principium fuerit extra? Num natura principium tantũ F
motus eſt, non autem mutationis cuiuſque? At ſi dantur generationes
& corruptiones violentæ & naturales. 5. Phy. tex. 57. neceſſe eſt princi-
piũ quoque ipſarum eſſe naturam quidẽ naturalium, reliquarum au-
tem alias cauſas. Si igitur cõceſſerimus naturam eſſe cauſam efficientẽ,
non omnium erit principium intrinſecum. Dicere autem in quibuſdã
cauſam eſſe efficientem, in alijs autem principium patiendi, abſurdum
videtur, æquiuoca enim eſſet naturæ definitio. Verum cum rationes
priores ſolui nequeant, poſteriores autem multum perſuadeant: Vi-
dendum eſt quid bene & quid male in ipſis dictum eſt. Circa primã
igitur rationem verum quidem eſt formam naturam eſſe magis quam
materiã, eamq; principium motus eſſe: quod autem putatur agendi ſo
lum non autem patiendi principium eſſe, nõ eſt verum. Nam inter pri-
mas qualitates formas elementorum conſtituentes, humidum & ſic-

cum

A cum paſsiua dicuntur.2.de Gen.& cor.tex.8. eorum enim ſubſtãtia in patiendo conſiſtit,& ideo talia dicuntur, quia pati quippiam poſſunt. Præterea differentiæ corporum ſimilarium præcipuè paſsiuis qualitatibus determinantur.4.Meteo.cap.8.vt durum & molle, coagulabile, liquabile,flexile,& alia huiuſmodi.Amplius diſsimilarium virtutes,vt quæ in ſenſuum organis ſunt: virtus enim ſentiendi paſsiua eſt. 2. de ani.tex.51.Similiter autem & virtus intelligendi.3.de Ani.tex.3.& tandem appetitiua in patiendo conſiſtit: dicitur enim ab appetibili moueri,vt ſenſus à ſenſibili, & intellectus ab intelligibili. Quod ſi in huiuſmodi paſsionibus perficiuntur potius quam detrimentum aliquod patiãtur,nihil refert: non enim omnis paſsio deſtructiua eſt,ſed quædam ſalus eſt potius eius quod potentia eſt, ab eo quod actu eſt, 2.de ani.tex.57. Nõ autem ſequitur,ſi forma actus eſt,vt nõ poſsit eſſe principium patiendi. Actus enim primus potentia eſt quodammodo ad B actum ſecundum. 2.de An.tex.5.& 8.Phyſi.tex.32. Vt igitur potentia eſt exeundi in actus ſecundos & operationes, ſic materia quoque eorum fuerit. Rationabiliter autem hoc accidit. Accidentia enim non inſunt materiæ,ſed ſubſtantiæ & ei quod actu eſt: idcirco materia ſuſceptiua eſt ſubſtantiæ, ſubſtantia autem accidentium. Quamuis autẽ formam & actum primum quatenus potentia eſt, concedamus principium patiendi eſſe: non tamen dicimus ipſam pati quippiam aut recipere ſed compoſitum per ipſam: operationes enim ſunt ipſius coniuncti ſiue paſsiones ſiue actiones fuerint. 1.de ani. tex.64. Quamobrem demonſtrantur non de materia, ſed de ſubſtantia compoſita per principium vnde fluunt, quæ eſt ipſa forma,& natura. Ex dictis autem patet quidem non ſequi naturam principium actiuum eſſe, quia dicatur magis de forma: nam & forma principium patiendi eſſe oſtenſum eſt. Vtrum autem formæ actiuæ vel quatenus actiuæ ſunt, naturæ dicen-C dæ ſint, conſideremus: Verbi gratia ignis per caliditatem cõbuſtiuus eſt: & ſemen generatiuum eſt ſui ſimilis,quæ facultates in agendo conſiſtunt.Si igitur has excludamus à natura, non erunt operationes naturales combuſtio & generatio & tandem actio: Dicimus autem eſſe quidem huiuſmodi actiones naturales,non tamen ex neceſsitate ipſa naturalia ſunt,vnde fluunt. Patet autẽ hoc.2.Phy. tex.73. Nam primũ mouens naturaliter quidem mouet: recipitur enim motus ſecundũ naturam corporis mobilis: non tamen ipſum naturale eſt. Agentia autẽ naturalia non ideo naturalia dicuntur, quia agant, ſed potius quia dum agunt, patiuntur quippiam. paſsio autẽ hæc duplex eſt,vt puta in igne vna,quatenus in calefaciendo refrigeratur: eſt enim potẽtia frigidum, cuius tactu neceſſe eſt tale fieri:hęc autem paſsio ineſt propter materiã non propter formã:ſi enim caliditas aliqua eſſet ſine materia,calefaceret tantũ & non pateretur. 1.de gen.& cor.tex.55.Altera autem paſsio

agentibus naturalibus ineſt, quatenus agere ſeu mouere non poſſunt, D niſi & ipſa ab alio moueantur: vt cęlum nō ageret in hæc inferiora, niſi circulo moueretur ab alio: Hoc modo ignis calefacere non poſſet, niſi à generante huiuſmodi facultatē obtinuiſſet. Exire igitur in actum cō burendi in ipſo quidē igne paſsio quędam eſt perfectiua inſequēs eius formā, quam à generante habuit: prohiberi tamen ab aliquo impediē te potuit: ideo tunc quod remouet impedimentum, quodāmodo mouet. Idem etiam de ſemine dicendum eſt: non enim ageret, niſi moueretur ab eo, vnde prodiit, aut aliquo modo ab eo quod impedientia remouet. Patet igitur formas actiuas nō quia actiuæ ſint naturas dici, ſed quia dū agunt, patiuntur hoc ſecundo modo, ideſt perfectiuè. Ad alterā dubitationem de animalium motu dicimus non bene diuidi animal in animā & corpus, cum partē mouentē & partem motam quærimus. Nam quod in ipſo naturaliter mouetur eo motu, non eſt corpus, ſed totum compoſitum. 8. Phyſ. tex. 27. corpus enim contingit & natura E & præter naturam moueri, prout graue vel leue fuerit prædominans. Præterea quomodo diuiſum eſſet mouens ab eo quod mouetur? vt oſtēſum eſt. 8. Phy. tex. 28. & 30. anima enim huiuſmodi inſeparabilis eſt. Idcirco alio modo diuidi oportuit corpus animalium, vt poſſet à ſe ipſo moueri: mouens enim particula & quæ mouetur, neque confitæ ſunt vt materia & forma, neque continuæ, vt ſimilares, ſed tangunt ſolum vt diſsimilares: Idcirco & articulos ineſſe oportuit, vt in ipſis flecti & dirigi poſſet vna pars ſupra alteram quieſcentem: & neruos, qui tractu aut impulſu hæc præſtarent: vt abunde in libello de communi animalium motu, & 3. de Ani. tex. 55. explicatum eſt. Si igitur anima, qualis eſt appetitiua principium eſt, quo vna pars mouere, altera moueri poſsit: verbi gratia ſpiritu dilatato nerui intenduntur, his autem tenſis neceſſe eſt moueri membra, quibus applicantur: ipſa quidem natura eſt per ſe exiſtens in eo quod mouetur: non tamen ob hanc F cauſam à ſe ipſo mouetur animal, ſed quia vna particula organi mouet, altera mouetur ſeiuncta exiſtens loco. Non eſt igitur putandum propter animalium motum aliquod efficiēs in eo eſſe quod mouetur. Licet enim anima vna ſit exiſtens actus totius: altera tamen eſt facultas nerui, altera oſsis, & reliquarum partium ad motum facientium: vt enim diſiuncta ſunt: & loco ſeparata, virtutes quoque ſingularum ſimiliter ſe habent. Ad illud verò quod dictum eſt de Graui & Leui tanquam principia actiua ſint motus, repugnat ijs quæ ab Ariſtotele demonſtrata ſunt. 8. Phy. tex. 32. nihil enim horum mouet ſeipſum, ſed habent principium motus non mouendi neque faciendi ſed patiendi. Nam cum cōtinua ſint, & eiuſdem naturæ cum partibus ſingulis, non potuit vna pars motiua eſſe alterius, vt accidit animalibus, quę diſsimilaria ſunt. Idcirco ab altero moueri neceſſe fuit grauia & leuia, à gene

rante

A rante ſcilicet & remouēte id quod prohibet 8.Phy.33.Sed obiter con tradictio eſt diluēda. Nam 2.de Gen.& cor.tex.8.graue & leue inquit nec actiua eſſe,nec paſsiua: cum tamē.8.Phyſ.tex.32. paſsiua appellet principia: An hoc ſecundum locum intelligitur: ſecundum qualitates autem,in quibus alteratio eſt,nec actiua ſunt neque paſsiua? Sed res dura fuit viſa, aliquid moueri poſſe ab eo quod præſens non eſt: Quod enim generauit, non continuè tangit, neque id quod remouet impedimenta. Idcirco finxerunt in his duo mouentia, vnum quod motum inchoaret,alterum quod cōſequeretur, id verò eſſe ipſam formam grauium & leuium. Videntes autem diuidi oportere partem mouentem ab ea quæ mouetur,in multa abſurda inciderūt: coacti enim ſunt diuidere in ea,quæ ratione tantum ſunt ſeparabilia non loco: & fateri id quod primo mouetur aut eſſe materiā quæ eſt ens in potentia,aut compoſitum quod eſt ipſum totum non pars: & tādem incom B moda aufugere putauerunt,ſi ponerent à grauitate moueri prius medium,à medio autem ipſum graue: quaſi non in eundem ſcopulum incidant,ſiue enim per vnū ſiue per plura nihil refert: contingit enim grauitatem in materia moueri ab eadem grauitate in materia, quod impoſsibile eſſe oſtenditur.8.Phy.tex.38. idem enim eſt ac ſi proijciēs proijciatur, aut docens doceatur. Non eſt autem neceſſe in ijs quæ naturaliter mouentur mouens concomitari rem motam vſque in finē, ſed ſatis eſt aliquādo mouens tetigiſſe: vt patet in ſeminibus, quæ accepto motu à parente eo abiuncto adhuc mouentur: quemadmodum fieri ſolet in Machinis ſpōte motis, vt abūde declarauit Ariſtoteles. 2.de Gen.ani. cap.primo: retinent enim partes vim quandam, vt peracto vno motu,alter fiat,& poſt ipſum alter, nec ſimul fieri omnes eſt neceſſe. Sic poſt generationem ignis aptus natus eſt fieri motus ſurſum,& fit niſi impediatur. Simili modo ſenſibili abiūcto remanet mo C tus quidam in ſenſibus: & poſt ipſum calefactio quædam aut frigefactio ſuccedit ſimul autem dilatatio conſtrictioque ſpirituum in particula quadam: paruo autem motu in ea facto ſequuntur multi & magni in cæteris partibus, vt in libello de communi animalium motu traditur. In ijs autem,quæ præter naturam mouentur,abiuncto mouente ceſſat motus: principium enim intrinſecum nihil confert,ſed obſiſtit potius. Hoc idem comprobat aquæ calefactio, & eiuſdem refrigeratio. Cum enim calefactio præter naturam eius ſit,tamdiu ſit,quādiu calefaciens præſens eſt: eo autem abiuncto ad frigiditatem reuertitur maiorem quam ſit ambientis frigiditas. Sciunt & medici medicamēta poteſtate calida aut frigida ad actus ſuos peruenire modica occaſione calefactionis factæ à corpore noſtro: calida enim recalfaciunt magis quam calefacta fuerint à corpore noſtro: & frigida refrigerant magis, ſi præcalefacta fuerint. Non enim eſt neceſſe agens tantum agere,

quantum patiens pati poteſt, neque tãdiu agere quamdiu pati poteſt vbicunque fuerit principium intrinſecum & naturalis quidam impetus. Nam alioqui ceſſante primo mouente ceſſaret motus in omnibus, nec vnus fieret poſt alium, vt patet in ijs quæ proijciuntur. Cum enim manus ideo lapidẽ moueat, quia mouetur ab homine, quieſcente manu debuiſſet quieſcere motus in aere, & tãdem in lapide, at non ſimul deſinit moueri manus, & mouere, nam etiam abiuncta ab eo quod mouetur mouet, apta enim nata ſunt aer & aqua & tandem humida omnia poſtquam ex impulſu, aliquo modo condenſata fuerint, iterum dilatari, & attiguum corpus propellere, quãdo id quod primo mouit, quieuerit: dicitur tamen mouere licet adhuc non moueatur, & non tangat corpus motum: quia reliqua mouentia in virtute primi mouentis mouent: Sed circa motum grauium & leuium adhuc inſtabit quis. Cum enim motus ab altero facti quatuor ponantur ab Ariſt. 7.Phy.tex.10.ſcilicet Tractio, Pulſio, Vectio, & Vertigo: nullo autem iſtorum modorũ ſecundũ naturã moueantur grauia & leuia, hæc igitur ab altero non mouebũtur: ergo à ſeipſis. Reſpõdemus modos inueſtigari ab Ariſtotele in ijs motibus qui ab agente fiunt, non intercedẽte alia ſpecie motus, vt inductionem faceret in omnibus ſimul eſſe mouens, & id quod mouetur. At ſi qui motus inſequãtur alios: multi enim apti nati ſunt inſequi: vt calefactionẽ dilatatio: dilatationẽ autem impulſio adiacentis corporis: aut ad generationem leuis motus ſurſum: ſatis eſt mouens ſimul eſſe cum eo quod primo mouetur, vt generans cum eo quod generatur: generatio autem quaſi efficiens eſt eius motus qui inſequitur. 2.de Gen.ani.cap.1. Idcirco non ponuntur ij modi ab Ariſtotele, quibus vnus motus alium inſequitur: quod enim primum facit, etiam poſteriorem: non igitur quærẽdũ eſt aliud agens in motu grauium & leuiũ, præter id quod genuit. Ad quartam dubitationem dicimus: principium motus in artibus quidem actiuũ eſſe tãtum, idcirco extrinſecum, in natura autẽ paſsiuum ſolum, ideo intrinſecum. Hoc autem ſignificauit Ariſt. 2.Phy. tex.2. vbi inquit: nullum eorum quæ ab arte fiunt quatenus ab arte appellationem habent, habere impetum mutationis innatum: hoc enim verbum: ὁρμὴ: id eſt impetus paſsiuũ illud principium ſignificat, quæ natura dicitur. Idem colligitur ex definitione violenti. 3.Ethic.cap.1. Violẽtum enim eſt, cuius principium ita extrinſecũ eſt, vt ei neque qui agit, neque qui patitur, quicquã conferat. Nam contingit violenter agere, id eſt præter naturam agentis, vt cum homines coguntur aliquid facere inuiti: Similiter & pati, id eſt præter inclinationem mobilis moueri. Quod autem dicitur nullam actionẽ fieri ſine potentia patiendi quæ in patiente eſt, verum eſt: non tamen omnis potentia patiendi impetus eſt, nec omnis principium motus, ſed ea ſolum quæ à natura alicuius gratia eſt,

A tia eſt,& nõ ſecundũ accidẽs. Materies enim ligni in arboribus gratia fructus ferendi data eſt,ideo impetum innatum ad hoc habet: Quod autẽ eadẽ apta ſit ad arcã conſtruendã accidit, nec impetum habet ad hũc vſum, ideo ab arte ſolum fit,aut alia huiuſmodi cauſa extrinſeca, nõ à natura.E conuerſo autẽ in natura quãuis requiratur agens extrinſecũm,non tamen illud eſt principium motus,nõ enim agens impetũ habet ad agendum vt patiens ad patiendũ. Quod enim actu eſt,& bonum ipſum aptum natura eſt appeti non appetere. 1.Phy.tex.81.In artibus autẽ appetitus in artifice eſt non in rebus, finis enim extra eſt nõ in ipſo.Si igitur in ligno eſſet nauifactiua,pręſente naui fieret ex ligno nauis à natura,vt nũc ab arte.2.Phy.tex.86. principiũ enim vtriuſque eſt ipſum propter aliquid,cuius gratia appetitus naturalis quidẽ in ipſis rebus & in ipſa materia: Artificialiũ autem in ipſo artifice. Quod ſi videatur in quibuſdam ineſſe deſiderium agendi ſecũdum naturam,
B vt in maribus impetus venereus ad ſpeciem propagandam, huiuſmodi impetus paſsio quædam eſt in ipſis, ordinata tamen ad actionem in altero,vt ſuperius explicatum eſt. Ad loca autem diuerſa ex Ariſtotele citata,quibus videtur ſignificari naturam eſſe principium agendi, dicimus hęc contingere,quia natura multipliciter dicitur. Nam quod ſemen actiuum ſit principium, verum eſt, generatio enim quaſi effectiua eſt eius quod generatur.2.de Gen.an.cap.1.ipſum autem ſemen natura eſt dicta vt generatio.1.de Part.ani.cap.1. Et quod alibi alterã naturam appellat formam, quæ agit in alterum diuerſum numero,dictum eſt,quia natura alio modo dicitur de forma,quæ eadem eſt cum efficiente. Quo autem modo efficiens naturale ſit per paſsionem,ſuperius explicatum eſt. Similitudo autem naturæ, cum medico qui ſeipſum ſanat,eſt penes principium motus intrinſecum,non autem penes rationem principij: in ægro enim per accidens ineſt medicina, quia
C actiuũ principium per ſe ineſſe nequit in eo quod patitur. Ad vltimũ, quod natura agat propter finem, cum eadem ſubiecto ſit actio & paſſio.3.Phy.tex.18.concedimus motum naturę actionẽ aliquãdo appellari,& ipſum pati agere. Solet enim Ariſtoteles omnẽ potentiam tum agendi tum patiendi aliquãdo motiuã appellare, vt 9.Metaph.tex.13. nam motiuum & ſtatorium principium de vtraque potentia aſsignat. Et primo cœ. tex.71. mouentem potentiam vocat tum in motu naturali tum in motu præter naturam.Et 2.de ani.tex.37.cauſam,vnde motus appellat nõ ſolum efficiens extrinſecum, ſed & principium ipſum internum ac paſsiuum,animã enim cauſam eſſe etiam vnde motus,nõ ſolũ in motu ſecundũ locum,ſed & in augmentatione,& ſenſu,quem in patiendo conſiſtere alibi fatetur. efficiens enim extrinſecũ eſt.ſ.ipſum ſenſibile.Si igitur ea quæ in oppoſitũ dicta ſunt, hoc modo ſolui poſſunt;cõcludere tuto poſſumus,ea vera eſſe quæ rationes priores cõcludebant.

cludebant. Eritq; naturæ definitio de principio paſsiuo tantum intelli D
genda: quod remotius in materia eſt, propinquius autem in forma, vt potentia exiſtit ad actus ſecundos: Vbique autem impetus quidam eſt alicuius gratia innatus. Ideo quodammodo materia tantum natura videtur, potentia enim ad materiam pertinet: quodammodo autem forma: omnis enim impetus aut à forma incipit, vt in ijs quæ perfecta ſunt: aut in formam deſinit, vt in generatione. Obiter autem explicato principio, reliquas partes definitionis explicemus: Eſt enim natura principium & cauſa: Cum igitur ſint quatuor genera cauſarũ, & natura quodãmodo de omnibus dicatur: eſt enim materia natura: eſt & forma: ideo etiam finis & efficiens naturæ quædam ſunt: in hac tamen definitione ex verbis quæ ſequuntur, ſignificatur, cauſam eſſe vnde motus: eſt enim cauſa mouendi: non tamen vt efficiens: nam vnde motus tum actiuam potentiam ſignificat, tum paſsiuam, vt expli
catum eſt: ideo vt excluderet cauſam efficientem, appoſuit reliqua ver E
ba: ſcilicet: ei in quo eſt, & quæ ſequuntur: Quam partem exemplo artium aperuit paulo mox, cum inquit. Similiter autem & aliorum quæ fiunt vnumquodque: nullum enim ipſorum habet in ſe ipſo actionis principium: Cum igitur hoc in omnibus ſit verum: relinquitur naturam non eſſe principium actionis. Quod autem additur: & quieſcendi: dictum eſt, quoniam natura prius competit generabilibus & corruptibilibus, quæ aliquando mouentur, aliquando quieſcunt: poſterius autem corporibus æternis, quæ nunquam quieſcunt, vt alibi à nobis eſt explicatum; Ea verba; primo, per ſe, & non ſecundum accidens, non ſunt ſuperflua; Nam illud; primo; ſignificat immediate, vt mos eſt Ariſtotelis, idem enim intelligit per primum & immediatum, primo Poſter. tex.5. Contingit autem aliquid per ſe quidem ineſſe, non tamen primo; at non è contra. Ineſt igitur principium mo-
tus progreſsiui in animali primo, corpori autem per illud; idcirco non F
eſt hæc natura corporis, ſed animalis; animal enim ſecundum naturam tali motu mouetur, corpus autem ſæpe præter naturam. 8. Phyſi. tex.27. Verbum autem; per ſe; ſuperfluum eſſet, ſi adiungeretur eidem particulæ, cui adiungitur; primò; Sed ſi adiungatur particulæ; mouendi & quieſcendi; recte poſitum fuerit. Cum enim quæ mouentur & quieſcunt, contingat per ſe moueri & quieſcere, atque per accidens. 5. Phyſic. tex.1. innuit naturam efficere motum & quietem per ſe; Mouetur igitur animal deorſum motu recto per accidens, non enim inquantum animal, ſed inquantum graue, cui per ſe ineſt huiuſmodi motus; Verbum autem: & non per accidens; quanuis explicatiuum ſit eius per ſe, tamen ampliora includit. Innuit enim omnem modum exiſtendi per accidens auferendum eſſe à motu naturali. verbi gratia lignum per ſe quidem durum eſt; quatenus autem durum,

ſubſten-

A ſubſtentaculum tecti eſſe poteſt; per ſe igitur in trabem tranſit. Alio tamen modo per accidens eſt: quia non huius gratia à natura conditum eſt lignum, ſed vt ramos & fructus ſubſtentaret, non lectum; per accidens igitur ineſt hæc potentia in ligno, ideo & per accidens tali motu mouetur. Hoc modo ſunt omnia quæ ab arte fiunt, aut caſu ac fortuna: potentiæ enim naturales, quæ alicuius gratia inſunt rebus, ad alios fines transferuntur, quam qui ſecundum naturam: ſine illis autem nec ars quicquam facere poſſet; nec quicquam caſu aut à fortuna contingeret. Sed de his hæc ſatis ſuperque.

Non eſſe in loco niſi grauia & leuia. Quæſt. II.

COLLIGITVR hæc ſententia ex. 4. Phyſico. tex. 30. vbi inquit; omnia locum habere ſurſum & deorſum; & ferri natura, & manere in proprijs locis vnumquodque corporũ; hoc
B autem facere aut ſurſum aut deorſum: vbi verbum: πάντα, alij coniungunt cum loco; vertentes omnem locum habere ſurſum & deorſum, quod idem probat quod intendimus. Siue enim omnia locum habeant ſurſum & deorſum, ſiue locus omnis ſit ſurſum aut deorſum; non erunt in loco niſi grauia & leuia; hæc enim ſola ſurſum aut deorſum mouentur & quieſcunt. Sed & alio modo oſtenditur. Nam primum immobilia non eſſe in loco, patet; quęritur enim locus propter motum ſecundum locum. 4. Phyſ. tex. 32. Et tex. 47. eiuſdem; non omne quod eſt, in loco eſt, ſed mobile corpus; Idcirco Mathematicæ magnitudine, quamuis poſitionem habeant, negantur tamen in loco eſſe. tex. 5. Præterea mobilia non omnia in loco eſſe, patet; quæ enim circulo feruntur, vt cœleſtes orbes, quatenus quidem in eodem ſemper manent immobilia exiſtentia, non ſunt in loco, locus enim ſepara
C bilis eſt. tex. 17. & 30. eiuſdem; orbis autem vnus ab altero cui adiacet, nunquam ſeparatur; ſed eo modo immobiles permanent. Quatenus autem eſt motus ſecundum partes; neque hoc modo in loco ſunt, ſed in toto; Aliud enim eſt in toto eſſe, & in loco. 4. Phyſi. tex. 23. & 24. Cum igitur mobilia alia motu recto alia circulari moueantur. 1. cœli. tex. 5. Si circulo lata quæ neque grauia ſunt, neque leuia in loco non ſunt; ſola grauia & leuia in loco erunt. Idcirco bene dicitur. 4. Phyſic. tex. 19. Impoſsibile eſt cuius non eſt motus neque ſurſum, neque deorſum, locum eſſe. Sed ardua res videatur exiſtimare cęlum in loco non eſſe, cum moueatur ſecundum locum. Maximè enim cęlum putamus in loco eſſe, quia ſemper eſt in motu. 4. Phyſi. tex. 32. Præterea cum loci differentiæ ſint ſex, ſurſum & deorſum, dextrum & ſiniſtrum, ante & retro; non ſolum poſitione reſpectu noſtri, ſed & natura. 4. Phyſi. tex. 5. & 2. cœ. tex. mirum videatur ſolum ſurſum & deorſum loca eſſe

corpo-

corporum. Circa motum igitur cœli concedit Ariſtoteles, aliquo mo D do ipſum in loco eſſe; quemadmodum enim mouetur ſecundum partes, ſic locum ineſſe partibus: altera enim partium alteri adhærens eſt. 4. Phyſic. tex. 45. Quod maximè angit interpretes: Si enim per partes intelligamus: vnius orbis continuas, in loco erunt in potentia non in actu. tex. 44. eiuſdem. At quo modo erit motus per ſe partium? Omne enim quod per ſe mouetur diuiſum eſſe actu à continente neceſſe eſt. tex. 34. partes autem continui cum toto mouentur non in toto. Si verò per partes intelligamus ſingulos orbes ſeinuicem amplectentes, primò quidem oſtenſum eſt alterum orbem non eſſe locum alterius, quia non eſt ſeparabilis: locus autem omnis in motu ſeparatur; præterea relinquitur dubitatio circa extremam ſphæram, quę ab altero corpore non continetur. Si enim & ipſa mouetur, ſecundum quem locum mouebitur? Nam ſi ſecundum internam ſphæram, non erit locus continentis ſuperficies, ſed contenti. Continet enim ſemper exterior ſphæra interiorem, adeo vt cœlum omnia contineat. 4. Phyſicor. tex. 46. Qui verò locum ſpatium eſſe aſſerunt, has quidem omnes difficultates vitant, ſpatium enim ſubeſſe omnibus corporibus ęquale volunt, qui locus ſit vniuſcuiuſque. Sed in maiora incidunt abſurda, quę ponuntur ab Ariſtotele. 4. Phyſi. tex. 37. Erunt enim per ſe in loco omnes partes continui: ideo & per ſe mouebuntur: ſingulæ enim corporis partes occupabant ſpatij proprias partes. Aut igitur continuum nõ erit in infinitum diuiſibile, aut infinita erunt actu loca: potentia enim in loco eſſe dicere non poſſunt. Præterea locus in loco erit, & mouebitur ſpatium ex ſpatio, cum vas in quo aqua continetur, transfertur. Amplius & ea inconuenientia ſequuntur, quæ de vacuo aſsignantur ab Ariſtotele. 4. Phyſi. tex. 76. Moles enim corporis aliam quantitatem ſpatij habebit ſibi æqualem: quaſi dimenſio corporea egeat altera trina dimenſione ſeparata: & multæ diſtinctiones in eodem ſint: & alia F multa impoſsibilia, quæ vacuum ſequuntur. Dicendum eſt igitur circa motum cœli, eiuſq; locum: aliud eſſe partes per ſe moueri: & totũ moueri motu partium. Partes enim non contingit per ſe moueri, niſi actu ſeiunctæ fuerint inſtar totius cuiuſdam ſeparati. Totum autem dupliciter contingit moueri, ſcilicet vel motu totius, vel motu partiũ. Eſt autem motus totius, cum centrum mobilis non in eodem permanet, neceſſe enim eſt totum locum mutare, vt alteram acquirat continentis corporis ſuperficiem; quemadmodum accidit in motu recto. Motus autem partium eſt, quando centrum mobilis in eodem ſemper fuerit, partes autem eius in alijs atque alijs loci partibus. Contingit autem hoc ſolum in motu circulari. Cum enim circa idem centrum agatur, totum non mutat locum ſed partes ſemper iuxta alias atque alias loci partes mutantur. Si igitur partes ſeiunctæ à ſe inuicem id præſtarent,

rent,

A rent, totum per accidens tali motu moueretur, per ſe enim ineſſet mo tus partibus, vt in tripudijs aliquando accidit: totus enim chorus mo uetur, quia ſinguli Choream ducentes mouentur. Hoc autem modo in cœlo motum fieri impoſsibile eſt. Nam 2.cœ.tex.46. oſtenditur aſtra non moueri, ſed orbes, quibus ipſa ſunt infixa. Totum ergo per ſe mo uetur non tamen motu totius ſed motu partium: partes autem per ac cidens. De loco autem ſimiliter eſt ſtatuendum: vt enim cœlum mo uetur motu partium, ſic locus partium non totius illi aſsignandus eſt. Quo autem modo accipiendus ſit locus partium, hinc conſideretur. Cum omne quod per ſe mouetur, aliud atque aliud tangat: neceſſe eſt omnem motum iuxta aliquod quieſcens fieri, vt oſtenditur. 4. Phy ſic. tex. 40. & in libello de communi animalium motu. Nihil autem refert, ſiue omnino quieſcat illud iuxta quod fit motus, ſiue alio motu moueatur: ſi enim non moueatur eo motu, quo mobile iuxta illud

B mouetur, fiet mutatio ipſius tactus, qui motus eſt ſecundum locum, vt ſi nauis in flumine moueatur non ſecundum aquarum fluxum. Nam ſi ſecundum earum fluxum eadem velocitate feratur, non dicitur in flu mine moueri, ſed cum flumine, non enim tactus mutatur. Mutatio autem tactus ſecundum totum fit in motu recto, aut vbi centrum mu tatur: ſecundum partes autem in motu circulari: ſemper enim iuxta aliquam eandem ſuperficiem totam eſt id quod tali motu mouetur, at partes iuxta alias atque alias ſunt ſemper. Hoc igitur in inferioribus orbibus facile eſt aſsignare. videntur enim Planetæ iuxta Zodiacum circunuolui, ſecundum quem circulum loca inferiorum aſtrorum aſsi gnantur ab Aſtrologis. Sphæra ergo ſuperior locus erit inferioris non totius niſi ſecundum accidens, ſed partium, ſeiungitur enim non à to to ſed à partibus. Non ſequitur autem ſeiungi à toto, ſi ab omnibus partibus ſeiungitur. Totum enim ſecundum rationem aliud eſt à par

C tibus omnibus ſecundum materiam; vt flumen, & fluminis aquæ, li cet enim omnes aquæ fluant: totus tamen fluuius immobilis eſt. 4. Phy ſi. tex. 41. De toto autem cœlo quatenus mouetur ab ortu in occaſum; ſeu de vltima ſphæra non poſſumus eo modo locum aſsignare, non e nim extra aliud corpus eſt, iuxta quod feratur. Si igitur intra ſimiliter aliud corpus non eſſet quieſcens, nullo pacto moueri poſſet, non enim eſſet aliquid iuxta quod fieret differentia tactus partium. Oportuit igi tur terram quieſcere, vt cœlum circa ipſam circumuolui poſſet. 2.cœ. tex. 10. Quod ſi vniuerſum continuum quid eſſet cum terra, nullus fuiſſet motus neque in toto neque in partibus. Quod enim mouetur, aliquid tangere oportet, vt fiat per motum differentia tactus. Quæ au tem differentia fuerit, cum ijs quæ ſuper extima latione ſunt? ſubſtan tiæ enim immateriales atque indiuiſibiles cum corpore diuiſibili vn dique ſimiliter ſe habent. At verò hoc modo dicenti videbitur cen

trum

trum & terra ipſa eſſe cœli locus: non ergo locus eſt continentis cor- D
poris ſuperficies: vt definitur.4.Phyſic.tex.41.Non poſſumus ſoluere, vt ſoluitur dubitatio de loco terræ: Cum enim motus terræ & omniũ grauium ſit ad medium, non autem ad ſuperficiem ambientis corporis, hæc enim diſtat à medio, & ad extremum vergit, qui eſt locus ſurſum: locus igitur grauium erit ipſum medium non extremum. Quod confirmat Ariſtoteles. 4. Phyſi. tex. 42. vbi inquit: Medium cœli, & vltimum ad nos circularis lationis eſſe hoc quidem ſurſum illud verò deorſum maximè propriè: quoniam hoc quidem ſemper manet circuli autem vltimum ſimiliter ſe habens manet.Nam ſoluitur ex.2.cœ. tex.107. quæ enim momentum habent ad medium nõ quouſque tangant centri extremum feruntur, ſed donec eorum medio acceperint vniuerſi medium. Hoc igitur modo ipſum medium dicitur eſſe locus grauium,non quia indiuiſibile quid & punctus locus ſit,corpus enim in indiuiſibili eſſe nequit: ſed quia ſuperficies ambientis corporis, cu- E
ius medium ſit vniuerſi medium: nam ſimul ac ex hoc medio receſſerit,eius medium,in alteram quoque ſuperficiem tranſiuit.Solutionẽ hanc nõ poſſumus aſsignare circa cęlum: non enim aliqua eſt ſuperficies ambientis corporis,cum nullũ extra ſit corpus. Dicendũ eſt igitur Definitum eſſe locum ab Ariſtotele, quatenus competit grauibus & leuibus,& tandem ijs quæ motu totius feruntur: Cęleſtibus autem & perpetuis corporibus eadem ratio non competit niſi ſecundum analogiam,vt de natura aliàs diximus, & de cæteris quæ eadem videntur eſſe in æternis & corruptibilibus. Eſt autem analogia loci huiuſmodi. Quemadmodum enim quæ motu recto mouentur, extrinſecus tangi oportet ab aliquo continente, ſic quæ apta nata ſunt circulo moueri, ſecundum eas partes tangi oportet,ſecundum quas ſit motus. vnde factum eſt,vt grauium & leuium motus terminos habeant, à quo & ad quem: in circulari autem nullus ſit huiuſmodi, nam circuli terminos F
nullus eſt niſi extra ipſam circunferentiam,quod centrum appellatur, circa quod,non ad quod neque à quo ſit motus.8.Phy.tex.76. Ex hoc igitur colligimus in motu cœli non eſſe alium locum quærẽdum, quã ipſum medium circa quod mouetur: In motu autem recto locus eſt non ſolũ iuxta quem ſit motus, ſed & à quo & ad quem: in ipſa enim linea recta eſt medium interuallum & principium & finis. Vtrum verò eodem modo ſtatuendus ſit locus circa inferiorum orbium motum, dubitatur. Cum enim idem ſit locus totius & partis, vt totius terrę & glebę,& tandem eorum quæ ſunt eiuſdem ſpeciei primo cœ.tex.78.ſi totius circulationis locus eſt ipſum medium: videbitur partium cœli omnium eundem locum eſſe oportere.Luna igitur & Sol,& Saturnus & cæteri Planetæ circa terram mouebuntur vt totum cęlum. Sed his aduerſatur primo quod Aſtrologi demonſtrant multos cœli orbes di-

uerſis

A uerſis centris circumuolui. Præterea ſi locus tactus quidam eſt, tangere enim oportet quæcunque in loco ſunt: nam loci mutatio eſt tactus mutatio non ſolum in grauibus & leuibus, ſed etiam in cœli partibus. 4. Phy. tex. 45. impoſsibile eſt eũdem eſſe totius cœli locum, & partium: idem enim à pluribus ſecundum eandem ſuperficiem tangi nequit. Amplius in omni motu mutatio fit tactus ſiue ſecundum totum ſiue ſecundum partes: vt magnitudinis quæ mouetur aut tota ſuperficies iuxta alteram ſuperficiem trãſeat, quemadmodum in motu recto contingit, aut pars ſuperficiei iuxta alias loci partes mutetur, quod in circulari motu fit: Neceſſe igitur eſt, ſi diuerſi ſunt ſphærarum motus, & diuerſos eſſe ſingularum tactus: ſi enim vnicus is exiſtat, vnicũ erit corpus quod mouetur, & vnicus motus. Si igitur in cœlo plures ſunt motus, plura quoque erunt corpora, & plura loca. Nec obſtat quod circularis latio circa medium ſit: nihil enim refert, ſiue innitatur me-

B dio ſiue extremo: quomodocũque enim dicetur ferri circa medium. Partes igitur cœli inniti poſſunt ſibi inuicem; Totum autem cœlum nihil habet cui innitatur niſi medium: hic vero eſt mundus qui circa terram eſt: nam iuxta ignem fertur, quem contangit, hic autem iuxta aerem contiguum, qui tandem iuxta terræ & aquæ globum motu cœli circunducitur. Cœli autem partes quæcunque proprium adeptæ ſunt motum, vt planetarum orbes non potuerũt iuxta eundem locum moueri: non enim hunc tangunt omnes, ſed tantum vltima, idque non vt pars ſeparata, ſed vt totius extremitas interna. Idcirco circa hunc locum non motu proprio ſed motu totius feruntur partes: Conſentaneum enim eſt rationi, vt quemadmodum partes in toto ſunt, ſic earundẽ motus proprius iuxta ambientes ſphæras peragatur: quæ enim continetur pars eſt continentis non è contra. Idcirco videmus inferiores ſphæras motum ſuperiorum participare: ſuperiores autem mo-

C tu inferiorum nullas moueri. Ignis autem ſphæra ſolum iuxta inferiorem aerem mouetur non iuxta cœli extremum: quia non habet motũ proprium in cœlo, ſed ſolum cum cœlo mouetur. Similiter aer iuxta terram immobilem non iuxta ignem fertur. Luna autem quatenus cœli extremum iuxta ignem fertur motu ſcilicet totius cœli, proprio autem iuxta ambientem ſphæram: eodem modo & in cæteris eſt ſtatuendũ, ſed apertius patebit inferius. Quod autem idem debeat eſſe locus totius & partis, fatemur verũ eſſe in iis quæ continua ſunt, ſimilaria enim & eiuſdem naturæ cum toto, vt terræ partes cum tota terra, & partes ignis cum toto igne. At cœlum partim quidem ſimilare eſt, partim verò diſsimilare. Similare quidem quatenus totum ex eodem corpore conſtat, quod neque graue neque leue eſt, & circulari motu mobile. 2. cœl. tex. 41. Diſsimilare autem quatenus cõtiguum quid non continuum, ex pluribus numero corporibus cõſtans ſecundum certum ſi-

tum,& magnitudinem, & figuram,in quibus cōſiſtit natura diſsimilarium,vt in animalibus apertum eſt, primo de Hiſt.an.cap.1. Ipſum autem cœlum eſſe veluti animal teſtatur Ariſt.2.de cœ.tex.13. Quatenus igitur ſimilare eſt, totum cum omnibus ſui partibus vno motu mouetur, & iuxta vnum medium: Quatenus verò diſsimilare, plures ſunt partium motus in toto,vt plures ſunt orbes totius. Quoniam verò plura corpora in eodem eſſe nequeunt, idcirco ſingulis orbibus propria loca ſunt aſsignata, in quibus moueantur ſecundum propriam ſingulorum naturam: inter quos ſunt Epicycli & Excentrici ab Aſtrologis appellati. Sed vt ad primam quæſtionis ſententiam reuertamur, ex dictis patet cœlum, aut in loco non eſſe, aut alio modo locum eſſe conſiderari. Cum enim totum locum non mutet, tum vniuerſum cœlum, tum orbes ſinguli: non eſt eorum locus aliqua ſuperficies ambientis corporis: vt accipitur locus in grauibus & leuibus: ſed ſolum locum habent ſuperficiem,iuxta quam fiat mutatio partium, quæ ſiue in parte interna fuerit, ſiue externa, partes quodammodo continet omne, totam autem ſphæram non continet: non enim ad hanc ſuperficiem neque ex hac fit motus, ſed iuxta hanc: Ideo mutatio eſt ſecundum partes ſolum, non ſecundum totum: partes enim mobilis ſemper iuxta alias loci partes ſunt. Accepto igitur loco vt definitur ab Ariſtotele.4.Phyſi.tex.41.duo tantum ſunt: medium ſcilicet & extremum,ſeu ſurſum & deorſum, quæ loca ſunt grauium & leuium: Hæc igitur ſola in loco ſunt. Cum autem aliæ ſint loci differentiæ, ſcilicet dextrum & ſiniſtrum, ante & retro: propter quid loca naturalium corporum determinata ſunt ſolum ſecundum ſurſum & deorſum? An hæ quoque differentiæ admittuntur in cœlo? Motus enim à dextris eſt ad ſiniſtra per anteriores partes: ideo in cœlo quoddam eſt dextrum, quoddam ſiniſtrum, quoddam ante & retro: & ſurſum & deorſum alio modo quoddam in grauibus & leuibus: omnia autem ſecundum ſimilitudinē cum animalibus. 2.cœ.tex.7. At iſta loca eſſe ſecundum partes, non autem ſecundum totum, vt definitur locus ab Ariſtotele, oſtenſum eſt ſuperius: Non eſſe igitur in loco niſi grauia & leuia, apertum eſt.

Omnes ſtellas Epicyclis ferri. *Quæſt. III.*

EXISTIMAVERVNT profecto ſummi philoſophi ſententiæ Ariſtotelis nec non eius principijs repugnare, aliquas cœli ſphæras alijs centris circumuolui præter illud quod eſt totius medium. Nā primum videntur verba Ariſtotelis id innuere.2.cœ. tex.46.vbi inquit: celeriorem eſſe maioris circuli velocitatem rationabile eſt, circa idem centrum infixis. Videtur enim ſupponere omnium aſtrorum orbes circa idem centrum moueri. Præterea ſi cœleſtia corpora om-

A ra omnia ex eodem corpore conſtant, quod aptum natum eſt circulo moueri. 2. cœ. tex. 41. cęli partibus eadem demonſtratio videtur aptari poſſe, quam Ariſtoteles terræ particulis accommodat. 1. cœ. tex. 83. vbi oſtendit: ſi eędem ſpecie ſunt terræ inter ſe, oportere ad eundem numero locum ferri, vt ad hoc medium non ad alterum, quia in terræ particulis quę hic ſunt, id contingere experimento patet: cum enim vndecunque per lineam perpendicularem ferantur, ad idem medium ferri eſt neceſſe. Et cœli igitur partes cum ſpecie non differant, circa idem medium ferri neceſſarium fuerit. Propter hæc quidam ſubtiliſſima perſcrutatione, nec non ingenioſiſsima enixi ſunt, ea quæ circa aſtrorum motus apparent, ad Homocentrica reducere, quod Aſtrologi ſine Excentricis & Epicyclis facere nequiuerunt. Sed quantum demōſtratio illa pręſtet, ſuperius explicatum eſt à nobis: Quatenus enim cęlum ſimilare eſt, totum cum omnibus partibus vnica latione circa B vnum medium circumuoluitur: Quatenus autem diſsimilare eſt, ſingulis corporibus ſinguli motus, & ſingula loca aſsignata ſunt. Quare non eſt amplius ſimilitudo cum terræ aut aliorum elementorum partibus: Non enim in his aliqua eſt particularum determinata figura, neque magnitudo, neque ſitus, neque numerus, idcirco neque motus à cæteris diuerſus. In cęli autē partibus omnia hęc determinata ſunt. Iure igitur optimo omnes terræ partes ad idem numero medium feruntur, ſimilares enim ſunt. Cęli autem orbes quatenus diſiuncti nec continui inter ſe, ſed tangentes, diuerſos motus & diuerſa loca non quidem genere ſed ſpecie ſortiti ſunt. Verba autem Ariſtotelis, quæ videntur innuere omnes orbes eidem centro infixos eſſe, intelligēda ſunt de ijs, qui in corpore continuo deſcribuntur: quemadmodum ſunt ij, quibus feruntur ſtellæ fixæ: cum enim quædam maiores quædam minores circulos deſcribant, quatenus propinquiores aut diſtan C tiores fuerint à Polis: merito velociores ſunt quæ maioribus circulis feruntur: quoniam ab ijs quæ ex centro protrahuntur lineis, maius fit maioris circuli ſegmentum: Nihil autem refert ſiue poli, ſiue axis, ſiue centrum ponatur circulorum medium: nam circa eundem axem tanquam circa idem centrum, alterius hemiſphęrij circuli omnes magnitudine & paruitate differunt. Quod autem in hanc ſententiam ea dixerit, manifeſtāt verba, inferius poſita tex. 47. vbi inquit: Quare merito in æquali tempore maior circumferetur circulus, neque cōtinget diuelli cęlum, tum propter hæc, tum quia oſtenſum eſt, totum ipſum continuum eſſe. Continui igitur partes circa idem medium ferri per hæc oſtenditur: Quæ autem continuæ non ſunt, atque diuerſos habēt motus & tempore inæquali abſoluuntur: circa idem medium moueri nulla eſt neceſsitas. Quin impoſsibile in quibuſdam id eſſe ex ijs quæ de Epicyclis afferentur, patebit. Stellas igitur quaſdam aliquan-

do ad medium vniuerſi propius accedere, aliquando abſcedere, oſtendunt Solis defectus: cum enim per interpoſitionem eiuſdem corporis ſcilicet Lunæ fiant, ſi eadem inter illa ſemper diſtantia eſſet, non aliquando maiorem aliquando minorem Solis partem Lunæ corpus obumbraret. Non enim hanc differentiam efficere poſsit intermedij corporis craſsities atque tenuitas. Quod enim corpus perſpicuum inter Solem & Lunam interiacet, efficere quidem poſsit, vt Sol maius vel minus appareat, Lunæ autem magnitudinem variare nequaquam valeat, non enim ipſam per illud medium videmus. At ſi id ratione eius medij, quod infra Lunam eſt, hoc non minus ampliorem Lunam oſtendere poſsit, quam Solem & Aſtra. Solis igitur Eclypſes in eadem proportione ſemper fuerint, vt ſcilicet Solis diameter ad Lunæ occupantis diametrum eandem vbique proportionem ſeruet, ſed hoc minimè apparet. Similiter & Stellæ fixæ maiores aut minores videri debuiſſent, cum ea quæ illis ſubiecta ſunt aſtra variant: per idem enim medium tunc videntur: at neque id contingere videmus. Planetas enim omnes modo maiores modo minores videmus: Stellas autem fixas nequaquam eodem modo. Si igitur id ratione medij non contingat, neceſſe eſt aut augmentationem diminutionemque pati cœleſtia corpora, aut motum quendam habere quo accedant & recedant à medio. Quod ſi alterum impoſsibile eſt, alterum neceſſarium fuerit: acceſſus autem huiuſmodi atque receſſus fieri nequit, niſi aliqui dentur circuli, quorum centra à centro vniuerſi diſtent: alius enim motus prQter circularem corporibus cQleſtibus nequaquam ineſſe poſſit, neque ſecundum naturam neque prQter naturam. Omnibus autem aſtris Epicyclos quoſdã datos eſſe, hinc fiet manifeſtum: Nam ſex planetas ſcilicet Saturnum, Iouem, Martem, Venerem, Mercurium, & Lunam circulis quibuſdam moueri, quorum centra in proprijs orbibus ferantur infixa, quoſque ob id Epicyclos vocant, demonſtrant Aſtrologi. Similẽ autem ſed longe minorem Soli datum eſſe, ſignificant ea, quę circa eius vmbras apparent: quanto enim magis protractæ fuerunt, eo magis tremulum quendam motum oſtendunt. Videre id. licet apertiſsime, vbi per tecti ſpiraculum in magna æde Solis lumen vſque in ſolium aut parietem deſcenderit: ſic enim luminis obambulatio apparet in partem oppoſitam ſcilicet in ortum, cum Sol in occaſum feratur. Si igitur vniformis eſſet Solis motus, luminis quoque obambulatio vniformis appareret: cum autem modo incitatior ſit, modo tardior, ac modo ſtare videatur, modo regredi, neceſſe eſt alterum illi motum ineſſe, qui huius inæqualitatis ſit cauſa. Cum autem breuiſsimo temporis ſpacio ea omnia fiant, & minimus ſit ab æqualitate diſceſſus, neceſſe eſt & minimũ eſſe circulum, & celerrimè agitatum, qui eius inæqualitatis author exiſtat: quanto enim maior eſt Epicyclus,

A clus,eo maiorem in motu inæqualitatem facit,& quanto tardius mouetur,eo rariores apparent inæqualitatis differentię, vt in ſuperiorum planetarũ epicyclis eſt manifeſtum. Ob id minime mirum videri debeat,ſi ab Aſtrologis non ſit conſideratus Solis epicyclus: nam in cœlo ob paruitatem non facit ſenſibilem differentiam. Conſiderauit tamen Eudoxus Solis modicam obliquationẽ à medio Zodiaci: 12.Metaphy.45.Quamuis autem intuentibus in Solem manifeſtiſsime appareat velox eius aſtri circũuolutio, putata eſt tamen non propter ipſius motum contingere,ſed ob viſus imbecillitatem, vt refert Ariſtoteles. 2.cœ.tex.48.Inquit enim Solem cum oritur & occidit, videri vertigine circumuolui propter noſtri viſus diſtantiam: procul enim exiſtens nutat propter imbecillitatem, quæ forte in cauſa eſt, vt ſcintillare videantur ſtellæ fixæ,planetæ autem non: quia ij propè ſunt. Affert au tem hæc Ariſtoteles ex vulgata opinione, vt oſtenderet aſtra non per B ſe moueri, ſed ad motum orbis, cui ſunt infixa. Quod autem non ob illam cauſam videatur circumuolui Sol, patet: non enim ſolum dum oritur & occidit, eo modo moueri videtur, ſed etiam in medio cœli, & tandem vbicunque fuerit, ſiue in ipſum ſtatim quis intueatur, ſiue in ſpeculum ſub aqua moderatiorem luminis vim cõſpiciat. Pręterea ſi planetę ob propinquitatem nõ ſcintillant,neque Sol debuiſſet, propinquior enim eſt Saturno,Ioue,& Marte. Adhæc inſtrumentorum motus ab imbecillitate ortus tremor quidam eſt,non vertigo: Sol autem vertigine moueri videtur.Tandem ſi motus huiuſmodi non eſſet in Sole,ſed in viſu: non tremerẽt eius vmbræ vt oſtẽſum eſt: Si igitur motus huiuſmodi in Sole eſt,neceſſe eſt epicyclo ferri: Nam ſi hic motus alicui ſphæræ voluenti tribueretur,cuius alter polus in ſole eſſet, excederet velocitate omnem motum,ferè enim momento totum abſoluit circulum: at impoſsibile eſt aliquem eſſe motu diurno velocio-C rem. Stellas verò non errantes ſingulas ſingulis epicyclis circumuolui paruis ac celeri motu citatis,vt Sol,non ſolum ſcintillatio oſtendit,ſed & rationis ſimilitudo. Si enim quædam aſtra epicyclis verti oſtenſum eſt,ergo omnia ſimiliter moueri cõſentaneum eſt rationi. Præterea in quibuſdã manifeſtiſsimus eſt motus: Nam Pleiadum ſtellæ, quas Vir gilias vocant,ſitæ propè Tauri cornua, maxima agitatione verſari videntur, adeo vt hinc Atlantis filias in continuis tripudijs verſantes fabulata ſit antiquitas. Si igitur propter viſus tremorem tremere viderentur aſtra,non ſimiliter vnicuique ſcintillare debuiſſent, nã firmioribus oculis firmiores apparerent. At quanto acutius cernimus,eo magis ſcintillare depręhendimus. Præterea ſcintillationis frequentia non maior in quibuſdam aſtris videretur in quibuſdam minor in ijs pręſertim quæ æquali magnitudine conſpiciuntur,oculus enim ſimiliter diſpoſitus eſſet. At videmus multis modis aſtra ſcintillare. Quędam enim

deficere in totum videntur, adeo vt modo effugiant conſpectum, modo reuertantur, idque ordinatis interuallis: quædam nunquam deficiunt, ſed veluti de loco modice commoueri videntur, ac ſimiliter reuerti, alia rarius alia frequentius. Si igitur harum differentiarum ratio oculorum imbecillitati referri nequit, neceſſe eſt motum in ipſis ſtellis eſſe. Quod ſi id fuerit,, Epicyclum ſingulis ſtellis non errantibus datũ eſſe oportet: non enim ſphæras voluentes ijs quæ in eodem corpore infixa ſunt, accommodare poſſumus, vt fortè ijs quæ vnicã ſtellam habent, aptare liceret. Iure igitur optimo Planetæ non ſcintillant, excepto Sole: hi enim magnis epicyclis & tarde motis feruntur, adeo vt non fiat ſubita eorum mutatio. Sol autem & Stellæ non errantes ob Epicycli paruitatem eiuſdemque velocitatem, celerem & paruam mutationem patiuntur, ideo tremere videntur. Quibus autem videtur lumen deficere ac reuerti, epicycli poſitio differentiam hanc facit, cum enim eius pars altera diſtet magis à nobis, altera ſit propinquior: fit aliquando vt propter nimiam diſtantiam non poſsit ſtella viſum mouere, ſed iterum videatur, cum in oppoſita epicycli parte fuerit, quia propinquior euadit: vnaquæque enim magnitudo terminatam habet diſtantiam maximam, vltra quam mouere viſum nequit: vt in libello de ſenſu oſtenditur. Motus autem vertiginis in Sole tantum apparet, non in reliquis aſtris propter eius magnitudinem: partium enim differentiæ in motu non adeo in re parua notari poſſunt, vt in magna: magnitudinis enim alicuius minimæ partes videri actu non poſſunt: maioris poſſunt. Præterea refert ſi ſtella multum Epicycli repleat, an parum: Si enim multum, motus vertiginis apparebit, vt in Sole, ſi parum, huc illuc moueri videbitur, vt accidit ſtellis Pleiadum. Sed ijs quæ dicta ſunt, ſolum ipſa Luna difficultatem facit. Quamuis enim Aſtrologi Lunæ epicyclum tribuant, non tamen videtur ineſſe. Cum enim ex vertigine epicycli conuerti aſtrum oporteat, Lunæ conuerſio maximè debuiſſet apparere, tum ob aſtri magnitudinem, tum ob maculã, quæ in ea ſemper apparet. At nequaquã id fieri videmus. Eadem enim Lunæ facies, & maculæ poſitio ſemper eodem modò ſe nobis offert. Siue igitur macula ſit aſtri affectio, ſiue Epicycli ſiue orbis: oporteret aut conuerti, aut derelinqui ex motu Epicycli. Quo argumento Ariſtoteles probat nulla aſtra vertigine moueri: 2. cœ. tex. 49. debuiſſet enim & Lunæ facies conuerti. An non apparet eius conuerſio, quia macula non eſt aſtri affectio, neque Epicycli, neque orbis? Num igitur fortè ſecundum antiquam opinionem, fuerint terræ cum humore ſordes, vi eius ſyderis raptæ? Non enim hoc repugnauerit ſententiæ Ariſtotelis: Nam de circulo lacteo concedit ſtellarum vi trahi in ſubiectã aeris regionem ex terra multũ exhalationis, quæ ſparſim incenſa lactis ſpeciẽ præbeat. Et Cometas quoſdã ſtellis tum errantibus tum nõ errantibus

applicari,

A applicari, mouerique ſimul, neque ſubdeficere vt cæteri faciunt. Si igitur obſeruatum eſt ſtellas aliquas comam aſſumere & ſecum ducere, cur non & Luna ob peculiarem vim continue huiuſmodi quid attrahat, quod in aere pendens ipſam maculoſa ſpecie deturpet? Sed quoniam video ſententiam de Circulo lacteo minus probari, quia ijs aduerſetur, quæ Aſtrologi de mutatione aſpectuum demonſtrant: non vbique ſcilicet iuxta eaſdem ſtellas apparere, quæ longo interuallo diſtant: idcirco aliam cogimur tum lactis, tum maculæ Lunæ rationem excogitare. An refractio fuerit noſtri viſus ad terram? vt Luna ſit ſpeculum quoddam, in quo tota terræ facies cum latitudine marium appareat? vt alterum maculæ crus occaſum ſpectans, terræ illam partem repræſentet, quam noſtris temporibus Hiſpani vaſtum oceani pelagus tranſmeantes, inuenerunt. Alterum verò triangulam Africæ formam oſtendat: Reliqua autem maculæ agglomeratio Aſiam cum Eu-
B ropa & mari mediterraneo exprimat, non ſatis diſtinguente viſu ob multas eius maris anguſtias: Nam ob id & terras multas viſum effugere putandum eſt modicas exiſtentes in vaſtitate marium: Clarior autem Lunę pars meritò aquam repræſentat: nam ob ſuperficiei æqualitatẽ plus luminis reddit. Sed huic ſententiæ videtur obſtare, quod oriente & occidente Luna alia atque alia terrę pars non eadem conſpici deberet: & motione ſpeculi obambulare imago videretur, neutrum tamen apparet. Præterea illa terræ pars, quam ſol non aſpicit, neque illuſtrat, videri in Luna præſertim illuſtrata nequiret, aut ſaltem nigra apparere debuiſſet: noctu enim nigra omnia videntur. Quibus difficultatibus ſatisfieri hoc modo poſsit. Idem enim terræ accidere putandum eſt, quod ijs contingit, quæ intra aquam iacentia videmus ex aere: nam propter refractionem ex medij diuerſitate contingentem, ea nobis ſe oſtendunt, quæ abſente aqua non perſpicerentur: Quod autem in
C his aqua facit, id aeris corpulentia vndique terræ circumfuſa præſtat: craſsior enim eſt, quam cęli perſpicuitas: vndique igitur in Lunare ſpeculum eædem terræ partes, ſiue oriente Luna, ſiue occidente, ſiue in medio cœli exiſtente, repręſentantur, & maior terræ pars, quam ſit eius Hemiſphęrium: Nam ſi pilam in aqua profunda ac lata iacentem inſpiciamus, eandem eius faciem aut modice differentem ex omnibus lateribus cernimus: quam enim faciem recipit aquæ ſuperficies, eandẽ oculis noſtris reddit vndecunque inſpectantibus: Idem vero efficiet & in ſpeculum circunquaque poſitum, eoque maiorem ſui partem repreſentabit quo ſpeculum amplius fuerit, ac diſtantius poſitum. Non obambulat autem imago in Luna, dum ex ortu in occaſum fertur, ob Speculi conuexam ſuperficiem: Semper enim ſpeculi mediūm medio imaginis reſpondet: eſt autem imaginis medium locus, in quo eſt is, qui videt, terminus autem eſt circulus, qui orizon appellatur, qui

tum propter ſui magnitudinem, tum propter videntis poſitionem, totum ſpeculi orbem implet, vt non ſinat ea quæ extra ſunt corpora vt ſtellas videri. Quanto enim oculus illi corpori propinquior fuerit, cuius imago in ſpeculo videtur, eo magis ab imagine repletur ſpeculum: Non igitur mirum ſi oculus in terra exiſtens, aliud præter orbem terræ in Luna non videat. Ob connexam autem ſpeculi ſuperficiem efficitur, vt oculus vndecunque ſeipſum intueri poſsit, & ſemper in medio ſpeculi. Sphæra enim ſecundum angulos rectos omnia reſpicit: lineæ autem ad angulos rectos ſphæram tangentes hemiſphærij medium efficiunt. Cum igitur Lunæ connexæ ſit ſuperficies, ſemper continget in eius medio locum, in quo ſumus intueri: in alijs enim nullis ſit reflexio ad angulos rectos. Quod ſi Lunæ medium vbicunque ipſa fuerit ſupra horizontem, hũc eundem locum repręſentat, neceſſe eſt reliquas lunæ partes reliquis terræ partibus reſpondere, non enim alia corpora præter terræ globum contingit in Luna intueri: ad hoc autem præſtandum adiuuat refractio ex medij diuerſitate contingens, & oculi poſitio. Ad alteram vero dubitationem dicimus abſente Sole ſufficere lumen ipſius Lunæ & reliquorum aſtrorum, vt terram in ſpeculo à Sole illuminato conſpicuam faciat: Nam ob diſtantiam minimè licet notare differentiam inter partes magis aut minus illuminatas: Quod ſi hoc modo de Lunæ macula ſtatuere licet, conſentientiſsimum etiam rationi fuerit, circulum lacteum in cœlo appellatum, veluti Lunæ maculam eſſe: Terræ ſcilicet imaginem in paruis ſpeculis, in quibus color tantum non figura ob paruitatem exprimatur. Cum enim errantium aſtrorum quædam lumine proprio fulgeant, vt Sol, Venus, Iuppiter, & reliqua ijs ſimilia: quędam non niſi alieno, vt Luna: iure optimo inter non errantia, quemadmodum par ua dantur aſtra lumine proprio lucentia, ſic & alia lumine alieno. Hæc autem ob ſuperficiei æqualitatem ſpecies reflectere eſt neceſſe: quod & alia aſtra efficerent, niſi proprio lumine imagines receptas delerent. Quæ autem proprio carent lumine adhuc imagines regerere nequeunt, niſi præſente alieno lumine: quomodo enim in ſpeculo quid inſpiciamus, niſi ipſum ſpeculum fuerit viſibile? Si igitur hæc circa lunæ maculam ſatisfaciunt, non eſt, quod inter tot aſtra, ſolam Lunam Epicyclo priuemus, qui manifeſtiſsimis rationibus illi aſſignatur ab Aſtrologis. Simul autem manifeſtum eſt omnes ſtellas Epicyclis ferri: ſed cuius gratia hoc factum ſit, inferius commodiori loco patebit.

Planetas

A

Planetas in Circulis non in ſphæris moueri. *Quæſt.* IIII.

COmmunis eſt ſententia omnium Aſtrologorũ Cœlum com poni ex pluribus globis ſe inuicem vndequaque complectentibus. Putantur enim circulariter moueri non poſſe, niſi poli quidam tanquam cardines ſtatuantur. hi autẽ poni nequeũt niſi ſphærica figura conſtent. Quod de vniuerſo quidem verum eſſe probat Ariſtoteles, 2. cę. tex. 22. De partibus autem motum proprium habentibus, vt ſunt quæ ſtellas errãtes ferunt, fieri non poſſe, vt ſphæricæ ſint, manifeſtum fiet, ſi prius de renitentia mobilium & medij per quod fit motus, dixerimus. In motu igitur recto, & vbicunque centrũ mobilis, ac totius locus mutatur, medium dupliciter reniti manifeſtũ
B eſt: vno modo quatenus cedere oportet medium, quando corpus de vno loco in alterum transfertur: quod fieri nequit niſi per eius diuiſionem & motum: vt accidit aeri & aquæ, cum per ea corpus aliquod fertur: renititur enim vnumquodque quantum poteſt diuidenti ac de loco detrudenti. 4. cœ. tex. 45. Alio modo corpus attiguum iuxta quod fit motus, obſiſtit motui adiacentis corporis, quatenus ſcilicet diſiunctioni eiuſdem renititur: Nam ſi multa ſit huiuſmodi potentia renitendi, aut nullus fiet motus, aut inſequetur motũ adiacentis cor poris: vt ſi pondus aliquod tabulæ impoſitum trahatur: aliquando enim tabula inſequetur, nec diſiungetur à pondere: maximè autem obſiſtit diſiunctioni, ſuperficiei aſperitas: idcirco ſuper corpora læuia facillimè peragitur motus, cuius gratia artifices oleo ſæpe inungunt, vt læuior reddatur contactus partium: ſic & nauium carinæ ſapone illinuntur, vt lubricus ſit aquæ contactus. In ijs autem quæ circulariter
C feruntur, ea tantum adeſt reſiſtentia, quæ ex contactu adiacentium oritur: nihil enim detrudi neque diuidi oportet, cum totum locum non mutent. Vt igitur cœli locus eſt tantum iuxta quod fertur, non autem ad quod, neque ex quo, vt alibi eſt oſtenſum, ſic aliam non habet reſiſtentiam, quam quæ dicta ex contactu corporis, iuxta quod fer tur. Requiri autem in omni motu aliquam reſiſtentiam ex natura me dij, colligitur ex demonſtratione Ariſtotelis. 4. Phy. tex. 71. vbi probatur, in vacuo non poſſe fieri motum, quia ex ipſo nulla fit reſiſtentia: ideo nullum eſſet tempus in quo contingeret motum fieri per vacuũ: quanto enim minor eſt reſiſtentia, tanto breuius eſt tempus, in quo fit motus: vbi ergo nulla fuerit, nullum etiam fuerit tempus. Qua in re multi hæſitarunt propter cęli motum: cum enim non viderent, quo pacto cœli locus accipiendus ſit, non potuerunt reſiſtentiam in ipſius motu intueri. Idcirco alij demonſtrationem Ariſtotelis negauerunt:

Alij aliam quandam reſiſtentiam in cœlo excogitarũt, quam dixerunt D
eſſe intrinſecam ex parte corporis. Quaſi in ipſo corpore cęleſti renitentia ſit, & non impetus ad motum circularem: & in graui renitentia ad motum deorſum: & ſic de reliquis naturalibus vniuſcuiuſque motibus, vt accidit ijs, quæ præter naturam mouentur: grauitas enim renititur motui ſurſum, & leuitas motui deorſum. At impoſsibile eſt ipſum principium motus, quæ natura eſt vniuſcuiuſque reniti proprio motui. Renitentia ergò intrinſeca, aut in motu præter naturam erit, aut in ijs, quæ ex contrarijs principijs conſtant, vt accidit animalibus: eorum enim motui obſiſtit grauitas corpori intrinſeca. At ſi in cęlo aliquod huiuſmodi ineſſet, laborioſa eſſet motus perſeueratia, vt probatur: 2.cœ.tex.3. Optimè igitur concludit demonſtratio Ariſtotelis de vacuo: cum enim motus ſecundum locum, mutatio ſit ipſius contactus, aut ſecundum totum aut ſecundum partes: in vacuo impoſsibile eſt motum fieri, nihil enim tangitur: ideo nulla eſt ſucceſsio partium ſe inuicem tangentium, in qua motus conſiſtit. In omni autem E
tactu reſiſtentiam eſſe oportet quam diximus: quemadmodum enim continua potentiam habent, qua conſeruent partium vnitatem: ſic contigua potentiam habent quandam, conſeruandi tactus vnitatem: minus tamen quam continua, quoniam minus vna ſunt. Quæ igitur aſperam habent ſuperficiem, magis reſiſtunt, quoniam partes habent prominentes corpori continuas, quas diuelli & atteri in motu contingit: quæ autem læuia ſunt, minus impediunt, quia nulla ſit in ijs continui diuulſio, ſed ſolum mutatio tactus partium: & quæ mouentur iuxta motam magnitudinem in contrarium, difficilius mouentur, quã quæ iuxta quieſcentem: & quæ iuxta quieſcentem, difficilius quam quæ iuxta eam, quæ mouetur in eandem partem: 4.Phy.tex.71. quia maxima ſit mutatio tactus iuxta motam in contrarium, minor iuxta quieſcentem, minima iuxta motam in eandem partem. Quibus illud F
quoque adiungendum videtur: Cum aliquid mouetur iuxta magnitudinem motam, duobus motibus ferri eſt neceſſe, motu ſcilicet proprio, & motu continentis magnitudinis, vt ſi quis in naui currente ambulet. Si enim non inſequatur illius motum, moueri ſuper ipſam nequit. Nam dupliciter contingeret ab eodem fieri mutationem tactus ſupra eandem magnitudinem, vno modo ipſius motu proprio ſuper magnitudinem, altero propter motum magnitudinis: cum enim corpus illam non inſequatur, abiungi neceſſe eſt ob illius motum, & lineam deſcribere motui magnitudinis oppoſitam. Similiter duplex eſſet reſiſtentia, vna mobilis ad magnitudinem, altera magnitudinis ad mobile: motui enim magnitudinis reſiſteret corpus quod illam non inſequitur: motui verò corporis magnitudo, ſi vera eſt demonſtratio ſuperius tradita de reſiſtentia. Sed hæc fieri non poſſe eſt manifeſtum.

A niſeſtum. Vtrunque enim vtrique eſſet immobile & motum: Nam
cum motus omnis ſuper immobile fiat, in libro de communi anima-
lium motu: motui magnitudinis corpus reſiſtens immobile eſſet mo-
tui autem corporis ipſa magnitudo. At in nullis hoc videmus. Si
enim nauis motu nautæ moueri debeat, neceſſe eſt ipſum non naui
inniti, ſed extrinſecus alicui corpori immobili, vt terræ aut aquæ. Si-
militer lapidea rota circumducta, gladius ad aciem acuendam admo-
tus, moueri ſuper ipſa non poſſet, niſi alicui extrinſecus inniteretur, vt
artificis manui, quo niſu motui rotæ obſiſteret: ſi autem ſoli rotæ in-
niteretur, neceſſe eſſet ad motum illius ferri. His ita conſtitutis facile
eſt id quod promiſimus oſtendere. Nam primum ſi orbes ſe inuicem
vndique complectuntur ſphærica figura, & ſuperiores motum com-
municant inferioribus, extrema enim ſphæra ſuo motu ab ortu in
occaſum reliquas inferiores fert, fieri non poteſt, vt extrema iuxta
B adiacentem inferiorem feratur, hæc enim fertur cum illa: at illud
iuxta quod aliquid fertur, immobile eſſe oportet, locus enim im-
mobilis eſt. Præterea oportet corpus iuxta quam magnitudinem
fertur, extra polos vbique tactum mutare, polos autem ipſos in eiſ-
dem ſemper manere: at hic contra accidit. Poli enim extremæ ſphæ-
ræ, qui appellantur Poli mundi, ſemper ſunt iuxta alias atque alias
inferioris ſphæræ partes: quia inferior ſphæra polis ſuperiori fixis mo
uetur: Eiuſdem vero partes, quæ hos polos tangunt, ab iiſdem nun-
quam ſeiunguntur. Quatenus igitur extremæ ſphæræ poli mutan-
tur iuxta inferiorem ſphæram, non eſt inferior ſphęra immobile quid,
polos enim manere oportet in eiſdem: Quatenus verò quædam eius
partes extra polos iuxta eaſdem inferioris ſphæræ partes ſemper ma-
nent, non fit circa ipſam tactus mutatio: Motus igitur ſuper inferio-
rem ſphæram non agitur. Quod ſi iuxta eam quam tangit non moue-
C tur, quomodo mouebitur iuxta alias inferiores, quas non tangit? Nul-
lus igitur erit motus extremæ ſphæræ, non enim eſt iuxta quid feratur.
At verò ſi aggregatum ex omnibus iuxta terram immobilem fera-
tur, non magis inferioribus orbibus inerit per accidens huiuſmodi
motus, quam ſupremæ ſphæræ, ſunt enim omnes totius partes.
Quod ſi conceſſerimus illi quoque per accidens ineſſe, rationabile eſt
imo neceſſarium habere alium motum proprium, vt reliqui orbes:
omne enim corpus actu diuiſum per ſe mobile eſt ſecundum locum:
At impoſsibile eſt motum proprium illi aſsignare: non enim locus
aliquis eſt, iuxta quem fiat talis motus: Nam extra quidem nullum
eſt corpus ambiens: interna autem ſphæra vti nequit tanquam immo
bili, quia hęc ad motum externæ moueri ſupponitur, & motu proprio
iuxta ſuperiorem. Præterea vniuerſalius hoc modo licet idem collige-
re. Si ſuperior ſphæra feratur iuxta inferiorē motā alieno motu, quam

ſit mo-

ſit motus ſuperioris: mouebitur ſimul motu inferioris, aliā enim ſphæram exterius non contangit, cui innitatur, & cuius niſu obſiſtat motui inferioris: vt accidit aliquando nautæ, qui dum terræ innititur conto, nauis motum non ſequitur. Non enim hoc modo extrema ſphæra reniti poſsit motui internæ quam ſolam tangit: Duo igitur erunt eius motus, vnus, qui ſuper internam ſphæram fit, alter ad motum internæ. Quòd ſi inferior quoque moueatur iuxta ſuperiorē motam, duo erunt ob eandem rationem eius motus, ſcilicet proprius, & is qui à ſuperiori in qua mouetur, ſibi communicatur, hoc enim in omnibus contingit, quæ mouentur in eo quod mouetur. At impoſsibe eſt: ſimul enim ſuperior inferiorem ferret, & inferior ſuperiorem, & tandem idem ſecundum eundem motum ferret & ferretur: inferior enim ſphæra, quo motu fertur à ſuperiori, ferret ſuperiorem: hoc autem contingit, quia ſphæris eo modo poſitis inferior locus fit ſuperioris, & è contra ſuperior inferioris. Sed in ſphæris medijs maiora ſequuntur abſurda: Cum enim mediæ vtrinque ſphæras motas contangant, ſimul continget vtriuſque motu moueri, ſi vtriſque tanquam locis vtantur: ſic autem aut diuelli ſphæras medias oporteret, aut idem corpus ſimul in diuerſa tendere. Cum præterea interim motum habeant proprium in vtriſque, idem motus ſimul componetur cum diuerſis: ſed hæc omnia impoſsibilia ſunt. Si igitur vera ſunt, quæ de loci natura & reſiſtentia dicta ſunt, impoſsibile eſt ex ſphæris ſeinuicem complectentibus coagmentari cœlum. Sed orta eſt deceptio, quia non conſiderata eſt natura loci, iuxta quem peragitur motus: quaſi motus quicunque & quomodocunque inuicem committi poſsint, quemadmodum contingeret, ſi locus non eſſet adiacentis corporis ſuperficies, ſed ſpatium: nam in eo motus eſſet ſine vlla reſiſtentia, & idem eſſet moueri iuxta motā magnitudinem & iuxta quieſcentem. Amplius autem ex renitentia idem patebit. Quod enim mouetur iuxta id quod in contrarium fertur tardius mouetur, quia maior fit reſiſtentia, vt oſtenſum eſt ſuperius. Contra autem accidet in cœlo, ſi ex ſphæris componatur: Extrema enim velociſsimè mouetur, cum tamen ponatur iuxta ſphæram in contrarium motam ſcilicet in ortum. Inferiores autem quæ iuxta motas in eandem partem feruntur, longè tardius, omnes enim planetæ in ortum feruntur. Præterea rationabile eſt ſuperficies ſphærarum læuiſsimas eſſe, vt circumuolui maxima agilitate poſsint: teſtatur autem id Ariſtoteles: 2. cœl. tex. 32. cœli enim ſuperficiem æqualitate ſuperare omnia corpora quæ apud nos ſunt, vel quolibet artificio læuigata. Si igitur ita habeant ſphæræ cæleſtes, mirum eſt in velociſsima extremę circumuolutione, non dimoueri polos inferiorum ſphærarum ad partem motam deſinentium: leuitas enim ſuperficiei quę dicta eſt, vt ad motum eſt commodiſsima, ſic ad immobilitatem polorum in ea

deſinen-

A deſinentium ineptiſsima eſt. Præterea vt ſeruentur ea quæ apparent circa motus planetarum, coguntur aut innumeras fermè ſphæras comminiſci vni ſtellæ inſeruientes, vt ij faciunt, qui Homocentricas omnes ponunt aut binos orbes excentricos ponere deferẽtes ſingulorum planetarum. Auges, qui eodem motu atque eadem velocitate inter ſe, & cum noua ſphæra quam vocant, ſemper moueantur, cum tamen magnitudine & paruitate longiſsimè inter ſe diſcrepent: quod tanquam abſurdum refellitur ab Ariſtotele.2.cœl.tex.44. Hæc atque alia huiuſmodi incommoda ſequuntur, ſi cęlum ex ſphæris componatur. Quod ſi alio modo diuidentibus cœli partes, abſurda quæ dicta ſunt, euitemus, & ſimul ea quæ apparent, ſeruemus: audactius ea quæ tot ſeculis ab omnibus recepta ſunt, negare poterimus. Conſtanter tamen affirmare ſic eſſe ea quæ remotiſsima ſunt à noſtris ſenſibus, amentiæ potius quàm audaciæ foret indicium. Quæ igitur à nobis dicentur, eo

B modo accipi velim, vt rationi magis conſentanea videantur, id autem quod neceſſarium eſt acutioribus ingenijs relinquimus. Dicimus igitur Ariſtotelis ſententiam fuiſſe totum cœlum continuum quoddam corpus eſſe, 2.cœ.tex.47. ſic enim vno motu moueri poſsit per ſe, & nõ ſecundum accidens: nam vnus motus vnius eſt corporis, vnum autem corpus quod continuum eſt: Eſſe autem huiuſmodi vndique ſtellis refertum infixis, quæ ad motum totius ſphæræ ab ortu in occaſum feruntur motu velociſsimo, qui vnius diei ſpatio peragitur. Stellas verò errantes circulis non ſphæris infixas eſſe, qui per cęli profunditatem permeantes proprios motus in cœlo ſortiti ſunt ab occaſu in ortum iuxta circulum obliquum, qui Zodiacus appellatur. Sic enim moueri poſſunt motu totius, cum eius ſint partes, nec interim deturbari contingit motum proprium à motu continentis, non enim ſecundum aliam lineam moueri apta nata ſunt, cũ ſecundum Zodiacum tantum locen

C tur, non ſecundum totam ſphæram. Colligimus autem hanc fuiſſe ſententiam Ariſto.2.cę.tex.58. vbi inquit ad verbum de errantibus: vnũquodque enim cõtra fertur cęlo in ſuo ipſius circulo: ſuperius tex.46. vni de omnibus aſtris loquens inquit. Quoniam igitur neque vtraque moueri rationabile eſt, neque aſtrum ſolum: reliquum eſt circulos quidem moueri, aſtra autem quieſcere, & infixa circulis ferri: vbi per circulos non poteſt ſphæras intelligere: ſingulis enim ſtellis fixis circulũ aſsignat proprium: in eo tamen differunt à circulis errantium, quoniam ij à ſe inuicem ſeiunguntur per motus proprios: circuli autem ſtellarum fixarum non diuulſi à ſe inuicem vnum cõtinuum efficiunt corpus ſphæricum. Ex quibus colligi poteſt huiuſmodi demonſtratio. Quemadmodum in circulo ab omni puncto incipere motus poteſt, vbique enim eſt principium: ſic in ſphæra ſecundum omnem circulum fieri poteſt: Cum enim in ſphęra quatenus ſphæra nulla ſit punctorum

ctorum differentia, vbique poli eſſe poſſint. Aut igitur cœlum huiuſmodi eſt vt vbique polos habere poſsit, & ſecundum quemcunque circulum moueri, aut determinatos habet tum polos tum circulos: Si primum concedamus, fiet id quod impoſsibile eſt: neque enim ſimul ſecundum omnes polos moueri poteſt, cum vnus tantum vnius corporis ſit motus: neque ſucceſsiue vnquam continget: inter duo enim puncta infinita ſunt: nunquam igitur continget ſecundum omnes polos moueri. Determinatos igitur habet polos: quod ſi hos: ergò & circulos: Ex circulis igitur coagmentata eſt cęli ſphæra, ſecundum quos motus ſempiternus peragitur: Quod ſi non: nulla eſſet ratio cur magis ſecundum hoc, quam ſecundum alios moueretur. Ex hac quoque demonſtratione patet, motum trepidationis, qui octauæ ſphæræ tribuitur ab Aſtrologis, admitti non poſſe: fit enim in Polis mobilibus, idcirco incertis & indeterminatis. Si igitur ſtellæ fixæ circulis feruntur, cur non & erraticæ? Dicere autem circulos errantium in ſphæris eſſe irrationabile eſt: Non enim quemadmodum ſtellæ fixę vndique per ſphæram diſperſæ ſunt: ſic errantes. Si igitur extra circulum ſtellam ipſam ferentem daretur corpus, quod ſphæram compleret: fruſtra illud eſſet: ſtellas enim non haberet quas ferret. Eſſe autem omnem lationem in cœlo ſtellarum gratia teſtatur Ariſto. 12. Metaph. tex. 48. Optima igitur ratione ex multitudine ſtellarum fixarum, circulorum multitudo facta eſt, ex quibus compleri ſphæra potuit, quæ vno motu moueretur, eoq; velociſsimo: maior enim eſt maioris corporis virtus, vt in cœteris corporibus naturalibus contingit. Errantes autem ſtellæ, quia ſolitarię ſunt, ſphæram complere nequiuerunt, idcirco & tardiori motu mouentur. Quod autem alibi videtur Ariſtoteles ſphæras appellare errantium ſtellarum: vt 12. Metaphy. tex. 45. 46. & 47. hoc ſecundum ſententiam antiquorum Aſtrologorum, vt Calippi, & Eudoxi loquitur. vbi non erat intentio de figura dicere, ſed de numero corporum cœleſtium. At. 2. cę. tex. 26. vbi probat ſphæricum eſſe, quod circulari fertur latione, quia figurarum prima ſphærica eſt, ea autem primi eſt corporis: ab ea demonſtratione nõ excluditur circulus: ideo enim ſphęra prima eſt inter ſolida: quia circulus primus eſt inter plana: tex. 23. eiuſdem: Circulum autem inter ſolida eſt pars ſphæræ, vt planetæ ſunt partes cœli. Non ſequitur autem ſi totum ſphęricum eſt, etiam partes omnes ſphæricas eſſe: non enim ſphærę pars eſt ſphæra, vt neque pyramidis pars pyramis. Quod præterea ibidem probatur, quę continua ſunt extremæ circulationi ſphærica eſſe: intelligitur de quatuor elementorum ſphæris, continentur enim à ſphærico cœleſti corpore. Et primo cę. tex. 96. Cum cęlum tribus modis dicatur, vno modo corpus, quod in extrema vniuerſi circulatione eſt: Secundo, id quod illi continuum eſt, in quo Sol & Luna, & quædam Aſtrorum ſunt:

A ſunt: videtur hoc totum ſeiunctum ab extrema circulatione ponere, quod fieri nequit, niſi & ipſum ſphæricum ſit: dicimus hoc dici ſecundum vulgatam hominum opinionem, vt ibidem patet. Et.2.cę.tex.70. vbi inquit: in multis enim ſphæris vltima ſphæra fertur innexa: ad eius rationem nihil refert, ſiue ſphæram ſiue circulum dixerit: loquitur autem ſuo more de ijs quæ exactè non ſunt examinata, ſecundum vulgatam opinionem. Quod autem hoc modo dicentibus nihil offendatur eorum quæ apparent circa cœlum, & longè breuiori corporum numero omnibus ſatisfiat, hinc patebit. Nam primum circa motus planetarum omnes eę ſphæræ ſuperfluæ ſunt, quæ inęqualis ſpiſsitudinis ſingulis binæ aſcribuntur, vt mediam inter ipſas contentam ſphæram excentricam attollant ac deprimant, vnde fiat aſtri acceſſus ac receſſus à centro mundi. In quibus enim earum motus deprehenditur æqualis eſſe cum motu octauæ ſphæræ, quod in cæteris omnibus poni

B tur excepta Luna, & Mercurio: ſatisfacit ipſum octauæ ſphæræ corpus, in quo circuli deferentes aſtrum aut epicyclum, ſiti ſunt. Si igitur circulos hos excentricos in profunditate octauæ ſphæræ ponamus, vt ponunt Aſtrologi inter duas ſphæras inæqualis ſpiſsitudinis, eadem omnia contingent. Eorum enim Auges quas vocant, ideſt puncta à centro mundi remotiſsima, motu octauæ ſphæræ tantum mouebuntur, in eadem ſemper eius parte manentes. Verum quoniam poſteriores Aſtrologi omnium Planetarum Auges viderunt dimotas eſſe ex eo loco, in quo erant Ptolæmei temporibus: idcirco alia ratione ſine circuli excentricis omnia hæc tueri poſſe animaduertimus. Nam Epicycli compoſitio & ſitus ea præſtare poſsit, quæ circulus excentricus. Præterea illud quoque eſt abſurdum: circulum aliquem circa proprium centrum motu proprio difformiter moueri, vniformiter autem circa aliud ſignum: quemadmodum ipſi fatentur de excentricis deferentibus Epi

C cyclos: Lunæ enim excentricum difformiter moueri ponunt circa proprium centrum, vniformiter autem circa centrum mundi: reliquorũ autem Planetarum excentricos difformiter circa vtrunque centrũ moueri, vniformiter autem circa ſignum imaginatum, quod centrum æquantis appellant. At ſimplicem motum in cœleſtibus vniformem eſſe, multis demonſtrat Ariſt.2.cœ.tex.35. Dicimus igitur ſingulis Planetis ſingulos circulos mundo concentricos datos eſſe, qui motu vniformi ab occaſu in ortum per medium Zodiacum ſecundum lineam Eclypticam appellatam hi quidem velocius hi verò tardius ferantur: in circulo autem eo Epicyclum poſitum eſſe, qui omnis inæqualitatis ſit cauſa. Duplex enim eſt in vnoquoque Epicyclus, quippe qui ex duobus circulis conſtet, quorum vnus ſecundum ſphæræ longitudinẽ ideſt in ortum & occaſum ſpectans ſitus eſt: alter ſecundum latitudinem modo in ſeptentrionem modo in Auſtrum ſtellam ferens. Includitur

ditur autem alter in altero ſic, vt alterius centrum cum toto circulo tan D
quam alter Epicyclus in alterius circuli profunditate contineatur. In Sole igitur circulus longitudinis iuxta lineam Eclypticam mouetur ſecundum ſuperiorem quidem partem in occaſum, ſecundum inferiorem verò in ortum eodem fermè tempore ſuam abſoluens circunferētiam, quo circulus illum deferens totum Zodiacum pertranſit, ideſt vnius anni ſpatio: Quod ſi nulla omnino eſſet temporis differentia, punctus in eo circulo altiſsimus ſemper aſtrum reciperet in eodem Zodiaci loco: Quoniam autem locum hunc altiſsimum, quem Solis Augem vocant, poſt multa tempora ex eodem ſigno digreſſum eſſe eſt repertum verſus ortum, neceſſe eſt paulò tardiorem epicycli motum eſſe motu deferentis. Ob huiuſmodi etiam motum fit, vt Sol in Auge tardius moueri videatur, fertur enim tunc motu epicycli in occaſum, velocius autem in oppoſita epicycli parte, quia per illam fertur in ortum neque tamen interim retrocedit vnquam Sol & Zodiaco licet retrocedat in Epicyclo; vincitur enim epicycli motus à motu deferētis ipſum in ortum, quemadmodum etiam accidit Lunæ. Circulus autem latitudinis in illo incluſus ab Eclyptica in duas partes æquales diuiditur, ſed minimus eſt, velociſsimè agitatus tremulum vmbrarum motum efficiens. In Luna eodem modo habent epicycli circuli, licet alia ſit motus ratio. Qui enim ſecundum longitudinem mouetur, fertur per ſuperiorem quidem partem in ortum, per inferiorem autem in occaſum, duas complens reuolutiones, dum eiuſdem circulus deferēs ſemel Zodiacum pertranſit, vt bis in Auge ſit, idq; in qualibet Lunæ coniunctione oppoſitioneq; cum Sole, & bis in oppoſito Augis, quod in duobus quadratis aſpectibus contingit. Ob hunc autem motum fit, vt Luna velocior ſit in Auge, tardior autem in oppoſito contra quàm in Sole, ob contrariam epicycli motionem. Circulus autem latitudinis ſimiliter interſecatur ab Eclyptica in duas partes æquales, ſecundum angulos rectos vt in Sole, ſed longe maiorem adeptus eſt latitudinē quàm Solis circulus. Eſt autem eius motus tardior altero qui ſecundum longitudinem fit: eodem enim fermè tempore abſoluitur, quo deferens epicyclum Zodiacum perficit, ſcilicet ſpatio dierum propè viginti & ſeptem. Quoniam autem inter vnam Solis & Lunæ coniunctionem & alteram, in qua bis circulus longitudinis abſoluitur, intercedit ſpatium dierum viginti & nouem & amplius, fit vt non ſemper Lunæ Aux in eadem circuli latitudinis parte fiat, ſed modo in vna modo in altera: ſi enim in eadē ſemper id contingeret, aut omni menſe fierent eclypſes, aut nunquam: fiunt enim eæ ſolum ſub Eclyptica, ſcilicet Luna exiſtente. in altero ſectionis loco, quorum vnum Caput, alterum Cauda draconis appellatur. Cum igitur paulo velocior ſit vna circuli latitudinis circumuolutio, quàm duæ longitudinis, fit vt modo in vna eius par-

te

A te modo in altera contingat Lunam in Auge eſſe & opponi, aut coniungi cum Sole. Quoniam verò paulifper anticipat, videntur interſectiones illæ moueri in occaſum: cuius gratia Aſtrologi addiderunt circulum ferentem Caput & Caudam draconis. Quoniam præterea latitudinis circulus per motum alterius, qui ſecundum longitudinem fit, reuoluitur, adeo vt aliquando eius ſemicirculus vnus ſuperior ſit, aliquando alter, aliquando vtrique æquidiſtent à centro mundi, videtur Luna ſæpius aſcendere, ac ſæpius deſcendere, ac regredi, iterumq; incitatius moueri, cuius gratia antiqui præter Eccentricum deferentē addiderunt quoque Epicyclum. At duo circuli, quos poſuimus in Epicyclo omnia hæc præſtant: vna enim circumuolutio circuli latitudinis reſpondet motui epicycli, quem notauerunt Aſtrologi. In tribus autem Planetis qui ſupra Solem ſunt, ſcilicet Saturno, Ioue, & Marte, circulus longitudinis minimè fert latitudinis circulum vt in Sole & Lu-
B na, ſed è contra ab illo fertur in eo contentus. Prior igitur eſt in his ac maior latitudinis circulus, qui in ſuo deferente eo modo ſitus eſt, vt ab Eclyptica interſecetur in duas partes inæquales, quarum maior ad Septentrionem, minor ad Auſtrum vergat: & Aux ſemper ſit in Septentrione, vel in puncto maximæ latitudinis, vt in Marte: vel propè Eclypticam, vt in Ioue: vel propè maximam latitudinem, vt in Saturno: Eodem autem fermè tempore hi circuli ſuas abſoluunt circumferentias, quo eorum deferentes Zodiacum tranſeunt: ſcilicet in Saturno annis triginta: in Ioue annis duodecim: in Marte annis duobus: Ob id enim eorum Auges modicum quid dimouentur. Cum prętere a horum circulorum ſitus obliquus efficiat, vt pars modicè ortum ſpectet, pars occaſum: eorum motus ſuperius quidem in occaſum tendit, inferius autem in ortum: vnde fit vt in Auge tardius moueri videantur, in oppoſito autem velocius. Circulus autem longitudinis in
C circulo latitudinis eo modo ſitus eſt, vt ipſum ad angulos rectos interſecet, mouetur que modo in ortum modo in occaſum propter ipſius conuerſionem quæ fit à circulo latitudinis. Cum enim fuerit in maxima latitudine conuertitur pars ſuperior in inferiorem, & è contra: inde paulatim inclinando vſque ad alterum latitudinis punctum, iterum conuertitur vt prius. Ea autem eſt huius circuli velocitas in omnibus, vt pari greſſu cum Sole incedant: & vbi eodem Aſtra coniunguntur cum Sole, ſemper in ea circuli parte ſint, quæ velocius in Zodiaco mouetur. Ob hunc quoque circulum nunc retrocedere videntur aſtra, nunc ſtare, nunc incitatius progredi: longe enim velocior eſt eius motus motu deferentis in Zodiaco. Veneris autem & Mercurij curſus nullo pacto licet per ſphæras ab Aſtrologis poſitas tueri, neque etiam ſi aliæ multæ adderentur: Nam deferentis & Epicycli declinationes, ac reflexiones ſphæris eo modo poſitis aptare minimè licet, niſi plu-

res

res motus per ſe vni corpori tribuantur, & ij non omnes ſecundum D circulum. Dicimus igitur: Cum eorum Epicycli nunquam recedant à Sole (eorum enim cētra ſemper ſunt in eadem Zodiaci parte, in qua eſt centrum Epicycli Solis, vnde fit, vt eorum aſtra nunquàm vltra Epicycli ſemidiametrum à Sole recedant, tum ad ortum, tum ad occaſum) iure optimo hi in circulo Solis erunt infixi: non enim multiplicanda ſunt corpora ſine neceſsitate. Solis igitur circulus tanquam alterum firmamentum fuerit ad hæc duo aſtra: errant enim hæc circa Solem, vt omnes Planetæ circa firmamentum. Præterea Sol inter cæteros planetas ſolus fert ſimilitudinem ſtellarum fixarum, ſolus enim ſcintillat, & motum habet minimè vagantem: Magnitudine quoque aſtri & circuli ferentis craſsitudine cæteros omnes multum ſuperat. Quoniam autem venus ſemper verſus Aquilonem vagatur accedens tantum ad Eclypticam, nunquam tranſiens: & Mercurius ſemper eodem modo verſus meridiem: videntur eorum Epicycli vnus ad Aquilonem alter E ad Auſtrum, veluti binæ plauſtri rotæ in medio ſolem complexæ circa illum tanquam circa Axem circumuolui. Maior autem eſt Veneris epicyclus quam Mercurij, longius enim diſcedit Venus à Sole quā Mercurius. Eadem ratione & Mercurij epicyclus amplior eſt quam Solis, cum ab ipſo in vtramque partem diſcedat: adeo vt tres orbes ſint ſeinuicem amplectentes, quorum intimus eſt Solis epicyclus, extimus Veneris, medius Mercurij omnes in eodem deferente. Hinc fit vt de ordine horum aſtrorum multum dubitetur apud Aſtrologos. Aliquando enim Sol eſt ſupra vtrunque, aliquando infra: Similiter Venus aut Mercurius, prout vnuſquiſque fuerit in Auge aut oppoſito. Mouetur autem longitudinis circulus ſecundum lineam ęquidiſtantem Eclypticæ ſupra quidem in ortum, infra autem in occaſum in Venere ſpatio menſium decem & nouem, in Mercurio menſium quatuor. latitudiuis verò circulus in eo ſitus eſt hoc modo, vt in vno latere deſinat ad Eclypticam in altero ad locum maximæ latitudinis, quæ in Venere quidē F eſt ad Aquilonem, in Mercurio autem ad Auſtrum: maior autem eſt latitudo Mercurij quam Veneris. Pars præterea circuli quæ eſt in maxima latitudine, etiam maximam habet altitudinem, vt in Marte: quæ autem tangit Eclypticam propinquior eſt centro epicycli. Circunducitur autem ea velocitate, vt in vna Solis circumuolutione bis reuoluatur tam in Venere quam in Mercurio. Cum igitur huius circuli centrum feratur à circulo longitudinis, contingit per huiuſmodi motum partem ſuperiorem circuli latitudinis conuerti in inferiorem & è contra, vt in Luna: & punctum maximæ latitudinis modo diſtantiſsimū à terra eſſe, modo propinquiſsimum: quod in Venere quidem bis contingit in triennio: in Mercurio autem ter in anno: nam ob triplicem conuerſionem circuli latitudinis, ter erit in Auge, & ter in oppo-

ſito,

A ſito, ſemel tamen erit in maxima diſtantia à terra, & ſemel in maxima
propinquitate, quia bis in anno accedit ad maximam latitudinem.
Quod autem ex huiuſmodi poſitione circulorũ ac motuum, eadem
conſurgãt, quæ alia via ab Aſtrologis animaduerſa ſunt, nequaquam
in præſentia demonſtrabimus, egreditur enim id fines inſtituti noſtri.
Neque tamen ob id fatemur Aſtrologos mentiri. Phyſica enim cor-
pora non vt Phyſica ſunt, ſed modo Mathematico conſiderãt. 2. Phy.
tex. 20. Idcirco ſatis eſt ipſis circa motuum numeros, & ſupputationes
non mentiri: ad naturalem autem pertinet modum naturalem inue-
ſtigare: Eſt autẽ modus naturalis, vt ſimiliter fiat in omnibus, & per
pauciora magis, quàm per plura. 1. Phyſ. tex. 41. Vtranque autem in
noſtra ſuppoſitione patet: nã & pauciora corpora, & idem numerus
in omnibus ſatisfaciunt ad omnes planetarum ſuę qualitates ad ęqua-
litatem reducendas. Relinquitur vt motum octauæ ſphæræ appella-
B tæ, ideſt cœli ſtellati ſine aliarum ſphærarũ additione tueamur, Cum
igitur viderent Aſtrologi maximas Solis declinationes ab Aequatore
non ſemper eaſdem eſſe: & à Ptolæmeo obſeruatũ eſſet ſtellam quan-
dam fixam, quæ ſpica virginis appellatur, declinaſſe ab æquatore ali-
quando ad Auſtrum, aliquando ad Aquilonem: iudicauerunt alium
motum octauæ ſphæræ ineſſe, quam qui ab ortu in occaſum: cuius
gratia nonam ſphæram primus addidit Ptolæmeus, iuxta quam octa-
ua moueretur ab occaſu in ortum ſupra Polis Zodiaci in ſpacio anno
rum quadraginta & nouem milia. Alij autem videntes octauæ ſphę-
ræ poſitionem non vniformiter variari, quod ex eiuſdem ſtellæ ſpicæ
virginis declinatione poſt tempora Ptolæmei cognouerunt: alium
quendam motum octauæ ſphæræ tribuerunt, quem trepidationis mo
tum appellarunt, per quem capita Arietis, & Libræ circunducantur
circa capita eorundem ſignorum nonæ ſphærę: inſtar pilæ, quam di-
C gito medicè circunducto ſupra tabulam voluas, vt duo parui deſcri-
bantur circuli, vnus in tabula, alter in digiti cõtactu: quo motu huc
illuc trepidare videatur. Quidam igitur hunc motum ſufficere puta-
uerunt: alij autem vtrunque ineſſe voluerunt: idcirco decimã ſphæ-
ram addiderũt, iuxta quam nona motu ab occaſu in ortum mouere-
tur: circa nonam autem octaua motu trepidationis. Verum hoc mo-
do conſiderãti nullus eſſet finis multiplicationis ſphærarũ: nam nul-
lus iſtorum motuũ adhuc vniformis repertus eſt: ideo ſunt, qui vnde
cimã addant: idem etiam poſt noſtra tempora euenturũ eſſe cenſen-
dum eſt, ad vniformitatẽ enim reducere hanc inæqualitatem non po-
terunt, quantumcunque ſphæras multiplicent. Nam cauſa iſtius inæ-
qualitatis nõ in cęlo eſt; ſed in terra. Cũ igitur terra immobilis ſtatua-
tur, vt oſtenditur 2. Cę. tex. 96. putauerunt ipſam omni motu carere,
quo poſito neceſſe fuit diuerſam octauæ ſphæræ poſitionem ex ipſius

motu inueſtigare. At oportuiſſet nō ſolum ſtellas quæ iuxta Aequa D
torem ſunt conſideraſſe, ſed longè magis eas quæ iuxta Polos mun-
di ſunt. Si enim motus ille eſt in octaua ſphæra, oportet aliquas ſtel-
las iuxta Polum aliquando maiorem circulum deſcribere per motum
diurnum aliquando minorem: aliquando nullum. Quæ animaduer-
ſio nō reperitur facta, imo oppoſitū videtur eſſe. Poſuerunt enim an
tiquiſsimi ſcriptores Polum noſtro orbi cōſpicuum in ea cęli figura,
quæ Vrſa appellatur, à qua cognomē trahens gręcè Arcticus appel-
latur: in eadem figura nunc quoque reperitur. Stella enim in extre-
mo caudæ vrſę exiſtens tamquam Polo propinquiſsima hodie obſer-
uatur à nauigantibus. Quod ſi ſpica virginis hodie digreſsa eſt ab
Aequatore ad meridiem vltra gradus octo, vt noſtri animaduerterūt
quæ antea fuit animaduerſa ab eodem æquatore ad aquilonem vltra
vnum gradum declinaſſe: neceſſe eſt & ſtellam vrſæ à Polo vltra no-
uem gradus ab eo tempore nunc digreſſam eſſe. Quod ſi hoc mini- E
mè verū eſt, neceſſe eſt declinationes, quas Aſtrologi obſeruarunt,
extitiſſe nō reſpectu æquatoris, ſed horizontis, hoc enim mutato &
cœli facies videtur mutata eſſe: mutari autem horizontem accidit,
mutata terra. Dubitabit verò quis inſpiciens ad Aequinoctia, quę mu
tata eſſe deprehenſa ſunt ab Aſtrologis: non enim amplius in primo
puncto Arietis & libræ exiſtente Sole, æquinoctiū eſt, vt quondā fuit
animaduerſum. Quod ſi id verum ſit, nequaquā ex motu terræ cōtin
gere id poſſit. Non enim horizontem quælibet pars æquinoctialis di
uideret in duas partes æquales. Nam primus punctus Arietis & libræ
cū occidunt & oriuntur hodie nō diuidunt horizontē in duas partes
æquales. Egreſſa igitur ſunt ea ſigna ex æquinoctiali. At hoc fieri ne-
quit, niſi ſupra octauā alia ſphæra ſit, ex cuius æquinoctiali ſtellæ infe
rioris ſphæræ egrediantur. Dicimus puncta æquinoctij nunquā varia
ta eſſe, ſi ritè menſurētur: videntur autē illis mutata eſſe, quia id colli- F
gunt ex eorū ſuppoſitis. At quę nunc pro æquinoctijs ſumunt, nō re
ſpondent mēſuræ horizontis: nec à polis ęquidiſtant: Indicio eſt Ma
gnetis conuerſio: volunt enim vt modicè declinet à Polo: nā poſito
in ea parte Polo, quā exactè ſpectat Magnes, puncta æquinoctij, quæ
hodie putātur, recedunt à menſura. Dubitatum etiam quondam fuit
Romę ob eam cauſam: Cum enim in Campo Martio eſſet obeliſcus,
cui Diuus Auguſtus addidit mirabilem vſum ad deprehendendas So
lis vmbras, & dierum ac noctium magnitudines: non multa poſt tem
pora cępit ea dierum obſeruatio minus congruere: ſiue id ipſius So-
lis, aut cæli curſu aliqua ratione mutato contigerit: ſiue vniuerſa tel-
lure aliquid centro ſuo dimota, vt alijs in locis deprehenſum eſſe ſcri-
bitur. Eſſe autem quendam motum in terra, ex eo coniectari poſſu-
mus. Cum enim totum cælum circa terram feratur, terram ſua im-
mobili-

A mobilitate cœli circumuolutioni reniti neceſſe eſt, vt ſuperius de reni tentia eſt oſtenſum. Quoniam autem maximè renititur, quod ſuperficiem habet aſperam: huiuſmodi autem eſt terræ ſuperficies, qua ſuper aquas eminet, vbi montium altitudines extolluntur: niſi natura corpus medium interpoſuiſſet, quod inſtar olei ſuperficiem læuigaſſet, cœli motus maxima difficultate perageretur: nam aut terra cœli motum tardaſſet, aut ipſa motum cœli inſequeretur: Huius igitur gratia natura aerem interpoſuit, qui ſua mollitie dum ad motum cœli circunducitur, terræ partes non offenderet: Hoc igitur modo quantum fieri potuit immobilitati terræ, ſimul & cœli velociſsimo curſui conſultum videtur: omnino autem immobilem permanere terram, vt nullus motus ex cœli circulatione ad ipſam perueniat, non videtur rationi conſentaneum. Si enim ex paruo aeris motu moles magnæ corporum mouentur, vt nauium pondera velis incumbente aura: cur ex to-
B tius vndique aeris raptu, quo ad motum cœli fertur, terræ globus in ſuo centro æquilibris tantorũ montium faſtigijs impulſum recipiens, circa ſuum centrum non ſaltem nutet? Ex centro enim dimoueri impoſsibile eſt ne minimum quidem, non enim aer huiuſmodi impulſum præbet. Sed in ſuo loco circumuolui, vt igni & aeri contingit, non eſt impoſsibile. Meritò autem tardiſsimus huiuſmodi motus atque inæqualis, & obliquus: Nam ob maximam diſtantiam à cœlo minimum recipit de motu eius: ob inæqualitatem verò ſuperficiei, non ſimiliter vndiq; impellitur, nec ſemper eodem modo, nec in eandem partem: ob poſitionem enim mõtium recipientium aeris impulſum, fit vt aliquando in obliquum inclinet, quemadmodum accidit nauibus non à puppi, ſed à latere ventis impellentibus. Montes autem non ſemper ijdem ſunt, ſed mutantur omnia, quæ circa terram ſunt primo Meteo. cap. 14. Propterea ob paruitatẽ quidem motus, per multa tem-
C pora non animaduerſus fuit alius motus in octaua ſphęra; quam diurnus vocatus: cum autem cœpit animaduerti: iudicata eſt octaua ſphæra ab occaſu in ortum moueri hoc tardiſsimo motu: cum enim terra in occaſum feratur, videtur octaua ſphęra in ortum mutari: ob inęqualitatem autem velocitatis, & obliquationẽ, viſa eſt octaua ſphęra quaſi hac illac trepidare: vnde alij maximo ſtudio huiuſmodi motum illi coaptare enixi ſunt. Quanuis autem terra vnà cum continente feratur in occaſum, non tamen animaduerti eius motus poteſt, niſi quatenus obliquus eſt, non enim mutatur cœli aſpectus niſi eo modo. Solum autem velocitatis inæqualitas efficiat dierum inæqualitatem. Signum præterea eſt moueri terram cum aere: nam ſi aeris curſum nõ conſequeretur, altiſsimorum montium cacumina continua aeris rotatione attererentur: Ferunt tamen in Olympo cineres ex ſacrificijs derelictos intactos ſeruari. Immobilitatẽ verò præſtat cœlo, quatenus in

I 2 motu

motu ſubdeficit, minimum quidem ignis, magis autem aer, maximè autem terra.: vt hæc feratur non quidem in aere, ſed cum aere, vt nauis ad motum fluminis. Rationes autem quibus vtitur Ariſtoteles ad terræ immobilitatem probandam, non repugnant huic motui quem poſuimus. Nam probat Ariſtoteles alium motum per ſe in terra non eſſe præter motũ ad medium: alius enim ſi ponatur, præter naturam erit, ideo non ſempiternus, vt ſempiternus eſt mundi ordo. Si igitur terra per ſe moueretur motu circulari, hæc ſequerentur abſurda. At non concedimus in terra huiuſmodi motũ eſſe, vt quidam putabant credentes ipſam vnam eſſe ex aſtris: oporteret enim duos motus ipſi ineſſe ſecundum naturã, quod fieri nequit. Sed dicimus per accidens moueri, ideo enim mouetur, quia eſt in eo quod mouetur, qui motus per accidens appellatur ab Ariſtotele 4. Phyſic. tex. 32. Quomodo & ſphęram ignis in proprio loco, & aerẽ moueri concedimus: nec enim ſecundum naturam nec præter naturam huiuſmodi motus eſt, qui ſecundum accidens eſt: eſt enim motus continentis non ipſorum: ideo de continente quærendum: ſimiliter autem ſe habent inferiora cęli corpora ad motum totius. Quod autem dicitur 2. cœ. tex. 97. Si terra moueretur, duobus ſaltem motibus moueretur, vt reliqua aſtra infra primam lationem: ineſt enim omnibus præter motum proprium motus quoque continentis: aſtruit id quod dicimus: non enim negatur motus continentis, ſed proprius. Quod præterea ſubiungit fieri mutationes, & conuerſiones fixorum aſtrorum ex terræ motione: intelligitur ſimiliter ſi proprium haberet motum, per quem ſubdeficeret, vt inquit de aſtris errantibus. Si autem concedatur moueri cum cęlo in occaſum, per hunc motum nõ faciet aliquam mutationem in ſtellis fixis, ſed ſolum tardior videbitur motus cœli ob terræ cõcomitantiam. Sed obliquatio quam diximus ineſſe motui terræ, aſpectum quidem aſtrorum immutauit, at in longiſsimo tempore, ideo Aſtrologis, qui tempore Ariſtotelis vigebant, non fuit animaduerſum. Cum autem nihil temere à natura fiat, iudicandum eſt huiuſmodi motum terræ eius gratia inſtitutum eſſe, vt cęlum, vnde omnis virtus deſcendit, ſecundum alios atque alios aſpectus reſpiciat: ſic enim viciſsitudines terrarum, iuuentutes ac ſenectutes, quæ primo Meteo. cap. 14. ſignificantur fieri poſſunt. Accidere enim inquit propter frigus & caliditatem: hæc autem propter Solem & circulationem. Oportet ergo Solem non ferri ſemper ſuper eaſdem partes terrę: ideo non ſemper ſunt eędem terræ zone, ſed quæ nũc torrida eſt, aliquãdo erit frigida, & è conuerſo. Hæc autẽ qui fieri poſſunt, niſi aut terra circumuoluatur, aut octaua ſphęra aliũ motũ habeat? Si igitur putauit Ariſtoteles nõ aliam eſſe ſphęrã ſupra octauã, per hæc ſignificauit in terra fore huiuſmodi motum, per quẽ iuuentutes ac ſenectutes terrarũ ſecundum longiſsima

A ma tempora fierent. Quod igitur vnicum ſit cœlum continuum ab extremo vſque ad ignis contactum, & quod alias ſphæras addere non eſt neceſſe, neque componi ex ſphæris: & quo pacto eius partes in eo ſitũ, & numerum & motum proprium adeptæ ſint, explicatum eſt.

Lineam Meridianam certius inueniri per Magnetem quam per rationem. Quæſt. V.

CVM maximi momenti ſit Meridianæ inuentio ad quatuor cœli partes in vnaquaque regione conſtituendas Auſtrum ſcilicet, Septentrionem, Ortum, & Occaſum: atque ex hoc principio pleræq; Aſtrologorum ſupputationes pendeant, non mirũ ſi vel minimus error in eius conſtitutione contingat, maximos euadere in ijs quæ ſequuntur. Duplex autem habetur eius inueniendi mo-
B dus, vnus per Magnetem, acu ſcilicet ferrea quæ Magnetis vim contraxerit: hæc enim in Vmbilico ſeu Gnomone nauigatorio ſuper cuſpidẽ quandam ingenio verſatili inſidens inſtar perpendiculi non quieſcit, donec altera eius pars Septentrionem ſpectet, altera Auſtrum. Hæc igitur linea à nauigantibus obſeruatur, & in horologiis ſolaribus, vtpote quæ Meridianam commoſtret. Alter verò modus eſt apud Aſtrologos ex vmbra ſolari, quam iactat Sol oriens & occidens: nam deſcripto circulo in plano ſignificante orizontem, quà umbra tum matutina tum veſpertina tangit, cuius centrum ſit ſtilus, qui vmbras iacit: putant lineam quæ à puncto inter vtraſque vmbras æquidiſtante ducitur, orizontem diuidens in duas partes æquales, legitimam Meridianam deſignare: hanc enim congruere in cœlo cum linea per vtroſque Polos & Zenith tranſeunte, quæ Meridiana eſt. Cum autem linea, quæ à Magnete deſignatur non congruat cùm ea, quæ ratione prędi-
C cta inuenitur, ſed aliquantiſper declinet, ab Aſtrologis reijcitur tanquam minus exacta. Declinat enim alicubi magis alicubi minus: alicubi vero congruit, vt tradunt apud inſulas fortunatas, quæ hodie Canariæ vocantur in oceano Atlantico: vltra quas inſulas declinare incipit à Polo Arctico in oppoſitam partem ſcilicet ſiniſtrorſum, cum citra eum locum in noſtro orbe dextrorſum flectatur: Idcirco putauerunt Magnetem non reſpicere Polum ipſum, ſed ob aliquam cauſam occultam prope Polum obuerſari. Quidam eruditiſsimi viri ad manifeſtam cauſam conati ſunt reducere: eſſe ſcilicet montes quoſdam Magnetis ſub Polo, ad quos flectatur Gnomonis acus. Verum enimuero incredibile omnino videatur diffundi Magnetis vim attractoriam in regiones adeo longinquas, vt non ſolum orbis totum Hemiſpherium afficiat, ſed peruadat quoque ad alterum orbem vltra æquinoctialem, vt optime norunt, qui ex Hiſpania ad indicaſ regiones nauigant, eodem

enim Gnomone vtuntur omnes. At id non faciunt montes Magnetis, D qui apud nos ſunt: In Ilua enim inſula Tyrrheni maris non exigua Magnetis optimi copia foditur, Gnomones tamen iuxta nauigantium nequaquam Aquilonem deſerunt, vt ad Magnetem eius loci flectantur, vix autem id efficiunt, ſi propè admoueris. Neque etiam putandum eſt Magnetem conuerti ad aliquam ſtellam ex ijs, quæ propè polum ſunt, vt eius ſideris deſiderio ob quandam proprietatem ducatur, quod quibuſdam placere video. Nam ſecundum eius ſtellæ motum circa Polum debuiſſet non ſtabili ſede, ſed hac illac conuerſus reſpicere. Cæterum lõgè probabilius videtur Magneti vim ineſſe multis alijs corporibus ſimilem: vnumquodque enim quantum poteſt, eum ſitum quærit, in quo magis conſeruatur: nam præter ſitum elementorum, quem acquirunt in vniuerſo per grauitatem & leuitatem: & ſitum partium in toto, vnde quantum poſsunt, corpora ſphæricam figuram quærunt: eſt etiam in pleriſque natura inditum, vt circa qua- E tuor cœli partes eundem ſitum expoſcant, quem in ortu habuerunt. patet id in ijs quæ ſtabilem ſedem habent. Pleræq; enim arbores cum transferuntur, ſi ſeruetur idem cœli ſitus longè melius proueniunt, quam ſi facies commutetur, vt experimento didicerunt agricolæ. Non abſimilem propenſionem videmus in pleriſque plantis. Si enim caſu incuruentur, ſuis cacuminibus aſſurgunt, vt medium cœlum aſpiciãt: ſi prohibeantur ab alterius vmbra, flectuntur ad alteram partem, qua non prohibeantur cœlum aſpicere. In quibuſdam herbis etiam videmus tantam huiuſmodi vim, vt ad ſolem ſponte conuertantur, quod in Heliotropio & alijs multis manifeſtum eſt. Simili modo putandum eſt Magneti inditum eſſe, vt quocunque transferatur, eandem cœli faciem nitatur reſpicere, quam in loco ſuo natali reſpiciebat: vt ſcilicet vna eius facies Septentrionem ſpectet, altera Auſtrum. Cum enim cœlum ab ortu ad occaſum continuè moueatur, ſecundum lati- F tudinem autem, qua vterque Polus ſitus eſt, immobile ſit: efficitur, vt etiam Magnetis facies Septentrionalis & Auſtralis, quas in ortu habuerunt, eaſdem cęli partes reſpicere nitantur, & in eiſdem quieſcant ſecundum naturam: non item facies orientalis & occidentalis, quia cęlum ſecundum has partes in continuo motu eſt. Id experimento eſt euidentiſsimum. Quancumque enim partem Magnetis abſcideris, duas habet facies ea vi præditas: ſi enim filo ſuſpenderis, tandiu circumuoluetur, donec in eodem ſitu quieſcat. Vt autem certior huius rei fides habeatur, prius notanda eſt Magnetis vtraque facies hoc modo: acũ ferream per trãſuerſum filo appenſam admoueas, videbis alteram Magnetis faciem cuſpidem trahere, alteram caput: vt vtraque facies reſpuat oppoſitas acus partes: in confinio autem tranſuerſam habet, vt tam cuſpis, quam caput ad proprias Magnetis facies vergat. Reperitur

apud

A apud antiquos mentio Theamedis lapidis vi Magneti contraria, nam ferrum reſpuit, abigitq́; reperiri autem in Aethyopia & India non procul à Magnete. Ex recentioribus ſunt, qui etiam nunc lapidem effodi teſtantur qui altera parte ex Magnete conſtet, altera ex Theamede. At hi ſi ea quæ diximus conſideraſſent, non alterum lapidem dixiſſent eſſe Theamedem, alterum Magnetem: ſed eundem in vna facie, ferri quandam partem abigere, in altera trahere. Si tamen vi adhibita ferri partem admoueris ad faciem, quæ eandem reſpuit, vt eam tangat, fiet commutatio: quam enim faciem ferrum tetigerit, ad eam ſponte feretur, qua parte tetigerit. oppoſita autem pars ab eadem reſpuetur: & è conuerſo altera Magnetis facies eam ferri partem, quam non tetigerit, abiget. Notatis igitur hoc modo faciebus Magnetis, & filo circunducto in confinio vtriuſque, vt pateat facierum terminus, reperietur ſemper dimidia pars lapidis Borealis & dimidia Auſtralis,
B quæ nunquam commutantur. Si enim lapidem ex eodem filo ſuſpenderis, nunquam quieſcet, donec pars eius Borealis Boream ſpectet, & Auſtralis Auſtrum. Magnetem autem imitatur acus ferrea ſecundum eius tactum: ſi enim cuſpide tangat faciem Auſtralem, caput eius in Auſtrum verget, quocunque feratur: & è conuerſo. nam per contactum ferrum & Magnes fiunt veluti vnum, ideo eundem ſitum ferrum quærit, quem Magnes, cum à Magnete diſiunctum fuerit: ac ſi eſſet Magnes. Hinc fit, vt acus, quæ in Gnomone eſt, pars Borealis tactu Magnetis in facie Boreali, non amplius ad Aquilonem vertatur, ſed ad Auſtrum: & è conuerſo: imitatur enim ſitum Magnetis, quem tetigit. Similis propenſio quamuis infirmior reperta eſt in multis alijs corporibus tum foſsilibus, tum lignis, quorum ſedes ſtabilis eſt: ſi enim ſitus notetur, quem tenent in loco natali: deinde abſcindatur aliqua portio; ſuſpendaturq́; eodem modo, vt de Magnete dictum eſt
C conuertetur facies Borealis ad Aquilonem, & Auſtralis ad Auſtrum, niſi quid prohibeat. Manifeſtum eſt autem ex his corpora hæc non ſtellam aliquam reſpicere, ſed veros totius mundi Polos, quia hi ſoli immobiles ſunt. His igitur in eadem ſede perpetuo quieſcentibus, neceſſe eſt & corpora à Cęlo dependentia, quibus fixa ſedes data eſt, qualia ſunt terreſtria & ſolida ſeu animata vt arbores, ſeu inanimata vt lapides, in hoc ſitu ſuam quietem conſeruare. Maxime autem id in Magnete repertum eſt, quia inter illiquabilia maxime cum ferro conuenit: eſt autem ferrum inter metalla ſolidiſsimum: niſi igitur mollificabile eſſet, non minus quam Magnes eam vim obtinuiſſet: nam per mollificationem & liquationem partes amittunt ſitum quem in ortu habuerunt, vt omnia humida. At ferri glebæ lapidoſæ, & lapis Hæmatites, qui in ferri fodinis reperitur, antequam ferrũ ex ijs excoquatur, eandem vim habent quam Magnes: vndę quædam Magnetis ſpecies

Hæmatites appellata eſt apud antiquos: trahit enim ferrũ vt Magnes: Solum autem ferrum vim Magnetis recipit, vt conuertatur ad Polos: ob ſubſtantiæ affinitatem: ſecundum quam etiam fit attractio. Conſeruat autem ſitum Magnetis quem tetigerit, ob ſoliditatem & rigorem: ſi enim inflectatur, ſitum eundem non conſeruabit. Ideo inſtrumenta ad lineam oſtendendam, quæ polum vtrumque reſpiciat, ex hac ſola materia fabricantur. Huic lineæ, quæ oſtenditur à Magnete, ſi adiungatur linea perpendicularis oſtendens medij cœli punctum, quod Zenith vocant, & mundi centrum inuenta erit Meridiana abſque vlla fallacia: impetus enim naturæ non fallit niſi quid prohibeat: habetur autem linea perpendicularis per corpus quodcunque graue dependens ex filo polaris autem per Magnetem. Si igitur habemus corpora naturalia docentia ſine fallacia: cur magis debemus credere rationi? eſt enim imbecillitas intellectus relinquere ſenſum, & quærere rationem. Verum demonſtrationes Mathematicæ non videntur poſſe fallere. Quomodo igitur Meridiana huiuſmodi rationibus inuenta non congruat cum prædicta? Dicemus ne mendacem naturam per Magnetem commonſtrantem Polos & per grauium propenſionem oſtendentem centrum mundi & Zenith: an potius rationem ab ea diſcrepantem? Profecto in ratione fallaciam aliquam eſſe oportet, præſertim ſi aliqua ſupponat non certa, vt cum ſupponunt punctum in orizonte æquidiſtantem ab ortu & occaſu Solis, ſeu ab vtraque vmbra, lineam per Zenith ad Polos ducere, quæ eſt ipſa Meridiana. Quod verum eſſet, ſi terræ globus vndique diſtaret æqualiter à centro mundi, ſic enim & orizontis ſectio prædicta caderet ad Polos mundi. Sed quoniam alterum Hemiſphærium altius eſt altero, vt ea pars quæ eſt à Gadibus ad Gangem arida extuberet, vbi autem eſt Oceani vaſtitas depreſsior ſit: factum eſt vt medium globi non omnino quadret medio vniuerſi, quod eſt centrum mundi. Id autem ea ratione accidit. Nam terræ partes non æque graues ſunt: differunt enim multum grauitate & denſitate terrarum genera, lapides, & metalla, ex quibus conſtat terræ globus. Cum igitur æqualis debeat eſſe grauitas & propenſio huius & alterius Hemiſphærij, ea pars, quæ grauiora continet corpora alterum Hemiſphærium detrudet, quouſque coæquetur vtriuſque grauitas circa medium vniuerſi: relinquetur igitur hoc quidem Hemiſphærium depreſsius, ad quod confluent aquę, alterum altius aeris regionem occupans. Quæ cum hoc modo habeat vt terra ad ortum magis extuberet, quam ad occaſum, linea Meridiana apud nos globum hunc diuidet in duas partes inæquales, quarum maior erit ad ortum, minor ad occaſum: ergò ſimiliter diuidet noſtrũ orizontem: hinc ſequetur arcus diurni maiorem eſſe portionem, quę eſt à Meridiano ad ortum, quã quæ ad occaſum, tãto autem maiorem,

quantum

A quantum diſtat meridiana à medio orizontis: diſtabit autem alicubi magis, alicubi minus, alicubi nihil, vbi ſcilicet Meridianum orizōtem diuidit in duas partes æquales, quod videtur eſſe circa inſulas fortunatas: inibi enim linea, quæ à Magnete oſtenditur, cōgruit cum ea, quæ à diuiſione orizontis petitur, vltra quem locum incipit iterum diſiungi, & oppoſito modo diſcedere à linea medij orizontis: vt ſcilicet maior pars arcus diurni ſit ad occaſum, minor ad ortum. Quæ autem circa Meridianam contingunt ob terræ extuberantiam & depreſsionem ad ortum & occaſum, forte reperiuntur etiam circa Aequinoctialem ob tumorem qui eſt ad Septentrionem, & depreſsionem ad Auſtrum. Altior enim eſt terra circa Septentrionem apud Schytas, humilior ad Meridiem, vbi ſimiliter Oceani vaſtitas reperitur. Circulus igitur æquinoctialis diuidit globum terræ non in duas partes æquales, ſed maior ſectio eſt ad Aquilonem, minor ad Auſtrum. Sed forte dicet
B quis, dato huiuſmodi receſſu vel Meridianæ vel Aequinoctialis à medio globi terræ, in cęlo nullam faciet ſenſibilem differentiam, cum ob paruitatem interualli etiam ſi totus terræ globus intra duas lineas parallelas includeretur, in cœlo veluti punctus eſſet: idcirco Aſtrologi minimas has differentias non curant. Verum enimuero contingit aliquando ex minimo quodam receſſu circa principium maximum errorem in progreſſu oriri, vt lineis concurrentibus contingit, quāto enim magis protrahuntur, eo magis diſtant à ſe inuicem. Idem in propoſita quæſtione contingit. Nam lineæ, quas propoſuimus, ſi parallelæ eſſent, nullam facerent differentiam conſpicuā in cœlo: cum autem ſint concurrentes, neceſſe eſt valde conſpicuum interuallum oſtendere, cum vſque ad cœlum protrahantur. Linea enim Meridiana tum quæ oſtenditur à Magnete, tum quæ ratione prædicta inuenitur vtręque concurrunt ad lineam perpendicularem, quæ terminatur ad Zenith
C & centrum mundi: quanto igitur magis protrahentur, tanto magis diſtabunt. Hoc manifeſte patet in Gnomone ſolari, vtræque enim ſe interſecant, vt in Septentrione linea Magnetis inclinet ad ortum, altera vero ad occaſum. Interuallum autem eo minus euadit, quo magis accedimus ad occaſum adeout circa inſulas Fortunatas nullum ſit interuallum: Quod ea ratione contingere videtur, quia in eo ſitu linea perpendicularis vtrunque centrum attingit ſcilicet vniuerſi & Globi terræ: Ab eo autem ſitu vt recedunt ab inuicem duo centra, ſic & lineæ prædictæ. Ex his igitur patet, quam lubrica ſit non ſolum prædicta Meridianæ conſtitutio, ſed & quæcunque alia ratiocinatio, quæ ex hoc principio pendet: incertis enim Polis incerta etiam erunt puncta Aequinoctij, & multa alia. Sed aduerſus hanc ſententiam video Mathematicos vehementer indignari, cum deſtruat præcipua eorum theoremata. In gratiam igitur eorum iterum penſitemus rationem,

qua

qua Meridianam inueniunt: videtur enim firma & ex neceſſarijs conſtituta. Nam ſuppoſita linea perpendiculari oſtendente abſque fallacia & Zenith & centrum vniuerſi, circa hanc formant circulum in plano paruum quidem ſed proportionalem Orizonti. Inde talem Solis altitudinem ſupra orizontem & matutinam & veſpertinam obſeruāt, quæ vmbram iaciat ad circulum deſcriptum, ſignantque loca. His igitur poſitis neceſſe eſt, Solem cum ad maximam cęli altitudinem peruenerit, lineam conſtituere vtrique punctui æquidiſtantem, hæc autem eſt Meridiana: ex neceſsitate enim pertranſibit per Zenith & per Polos mundi. Nam ſi citra aut vltra, non eſſet in maxima altitudine, nec diuideret circulum deſcriptum circa perpendicularem in duas partes æquales: nec obſtat huic rationi terræ extuberantia aut alia inæqualitas: nam ſolum ſecundum lineā perpendicularem, quæ firma eſt & certa, maximam altitudinem oſtendit demonſtratio, quomodocunque fuerint terreni orbis extrema, quæ hic non conſiderantur: corrigitur enim omnis inæqualitas locorum aut accliuium aut decliuium per deſignatum planum & lineam perpendicularem. Idem ſtatuendum de punctis Aequinoctij. Quamuis enim concedatur altior terra ad Septentrionem quam ad Auſtrum, vnde Aequinoctialis globum hunc diuidat in duas partes inæquales: orizontem tamen eo modo conſtitutum ſemper diuidet in duas æquales. An in eo fallacia eſt, quod circulus, quem deſcribunt circa perpendicularem, aſſumitur ab eis tanquam proportionalis orizonti, ac ſi idem eſſet vtriuſque centrum: nam alioqui non bene colligeretur punctum in medio vmbrarum meridianam conſtituere tranſeuntem per Polos & Zenith: oportet enim idem eſſe centrum vniuerſi & orizontis, ſi à Meridiana tam orizon quàm vniuerſum diuiduntur in duas partes æquales: hæc autem omnia ab ipſis conceduntur. At ſi verum eſt terram altiorem eſſe in ortu quam in occaſu, vt ſuperius oſtenſum eſt: Orizon paulisper recedit in ortum, vt non omnino reſpondeat circulo deſcripto circa perpendicularem: eius enim centrum à perpendiculari parum recedit ad ortum: quo fit, vt maxima cęli altitudo alia ſit reſpectu orizontis, alia reſpectu perpendicularis. Idem dicendum de Aequinoctiali, non enim aptari poteſt orizonti, ſi terra ad Septentrionem extuberet. Neque ſufficit circulum deſcripſiſſe circa perpendicularem, non enim per hunc corriguntur errores, qui in vmbrarum conſideratione contingunt. Solum obſtare videtur. Si circulus Aequinoctialis & Meridiana cœlum diuidunt in duas partes æquales, orizontem autem in duas inæquales, vt poſitum eſt propter modicum receſſum globi terræ à medio: debuiſſet linea Meridiana ab Aſtrologis poſita parallella eſſe cum linea Magnetis: hæc enim ponitur cœlum diuidere in Polis & centro mundi: orizontem autem extra orizontis centrum:

altera

A altera autem è conuerſo orizontem diuidit in ſuo centro, cœlum autē extra eius centrum: neque ſe interſecant, quia idem eſt interuallum inter duo centra, quod eſt inter duas Meridianas. Quod ſi res hoc mo do ſe haberet, ex iſto modico interuallo in cœlo nulla appareret conſpicua differentia: tota enim terra veluti punctus eſt: & orizon quocunque modo extuberet in vnam partem magis quam in alteram nō prohibet, quin vbique dimidium cœli veniat in conſpectum, dimidiū autem occultetur. At videmus lineam Magnetis interſecare Meridianam Aſtrologorum in linea perpendiculari, & interuallum ſatis conſpicuum oſtendere: nam circiter tres gradus extrema vtriuſque diſtant ab inuicem apud nos, vt tradunt. An hoc contingit, quia in vtraque linea vtimur eadem perpendiculari & eodem circulo deſcripto circa eam, ſed diuerſa ſorte: nam in Magnete vtimur tanquam centro vniuerſi, nec fallimur, cum perpēdicularis ad centrum tendat:
B at in poſitione alterius Meridianæ, putāt quidem ſe vt centro vniuerſi vti, ſed cum aptant orizonti, qui excentricus eſt, falluntur. quia verò hoc modo vtræque Meridianæ non permanent parallellæ, ſed concurrentes fiunt in perpendiculari, ob id conſpicuum interuallum oſtendunt in cęlo. Patet igitur quam fallax ſit ratiocinatio, quæ ex poſitione orizontis fit, tum propter ea, quæ dicta ſunt, tum etiam quia dimota terra, vt alibi probatum eſt, neceſſe eſt & vmbras variari, vnde non par uus error in menſuris contingat. Certius igitur tum Polos tum Meridianam oſtendit Magnes quam ratio.

Maris fluxum, & refluxum ex motu terræ non Lunæ fieri. Quæſt. VI.

C MAGNAM admirationem præbet hominibus Maris æſtuatio ſtatis quibuſdam temporibus accedentis, ac reciprocantis. Quoniam autem animaduerſum eſt inſequi Lunæ curſum: Nam oriente eo ſydere intumeſcere incipit, perſeueratque donec ad medium cœli faſtigium peruenerit: vnde inclinante verſus occaſum, reſidet: Occidente autem iterum remeat, iterumque recedit, cum alterum Hemiſphærij faſtigiū tetigerit: atque hoc modo iterum oriēte reuertitur perenni quodam curſu & recurſu perſeuerans: putatum eſt affinitatem quandam Lunæ cum humore huius cauſam eſſe, præcipuè cum in Plenilunijs maiores fiant æſtus, noua Luna minores: medio autem modo in temporibus medijs: vt ex antiquiorum monumentis notatum eſſe comperimus. At verò difficile eſt videre, ſi deſiderio ſyderis orientis affluunt aquæ: cur occidente non refluunt ſed ſimiliter vt in ortu efferueſcunt. Nam aut perpetuò debuiſſent inſequi Lunæ curſum, vt ſecundum eundem circulum continuè affluerent, nunquam,

quam retrocederent: aut ſaltem ea accedente affluxus fieret, receden D te refluxus. Præterea cum aliis, atque alijs terræ locis cõtinue oriatur, atque occidat cum toto cœlo luna: affluxus quoque continuus erit ſimiliter, ac refluxus. Nam exiſtentibus quatuor angulis cœli, quibus continue luna terram reſpicit, in duobus oppoſitis cõtinua erit aquarum exundatio, in alteris duobus continua diminutio: At hic non eſt fluxus, & refluxus, qui in mari apparet: accedunt enim, & retrocedũt viciſsim aquæ: in continuo autem illo motu ex luna, retroceſſus fieri nequit, vt patet in vndarum motu ex vento: quamuis enim inter vnã & alteram vndarum molem veluti vallis quædam conſpiciatur, continuus tamen eſt affluxus, non refluxus. Amplius quomodo luna aquã mouere poſsit, non moto intermedio, vt aere & igne? nam ſe ipſa mouere non poteſt, quia non tangit. Num virtus quædam occulta permeat à luna vſque ad aquam, vt à Magnete in ferrum: adeo vt non moto medio communicetur motus extremo? Sufficit enim in quibuſdam tactus ſecundum aſpectum, vt commodius alibi oſtendetur. E An potius ſuo lumine aquam calefaciens, & veluti ſubferuefaciens, in tumorem extollat, vnde fiat exundatio: æſtu autem definente reſideat in ſeipſam, vnde aquarum retroceſſus appareat, vt doctis viris placere video? At ſi huiuſmodi aliqua eſſet Sympathia in aqua, non ſolum ingentia maria eo motu mouerentur, ſed & lacus & ſtagna, imo etiam magis: quod enim minus eſt ab eadem virtute facilius mouetur: Nũc autem id non videtur. Ob has igitur cauſas, atque alias huiuſmodi non poſſumus maris fluxum & refluxum lunæ aſcribere. Affert autem Ariſtoteles. 2. Meteo. cap. 2. duplicem cauſam fluxus maris: vnam eſſe fluuiorum multitudinem in ipſum magnam aquarum vim intromittentium: qua ratione fluxus eſt ſolum in vnam partem, ſcilicet magis decliuẽ, vt accidit mari Mediterraneo: nam in Tyrrhenũ fluunt mare Aegeum, & Pontus, & Mçotis, non in oppoſitum. Alteram autem eſſe F modicã quandã totius maris librationẽ: huc enim atque illuc libratur ſæpe: quod in ipſius quidem vaſtitate modice apparet, in anguſtijs autem magnum facit fluxum & refluxum. Quod igitur ſtateris accidit æquilibris, mari vult contingere Ariſtoteles: accepto enim principio motus inclinant modo in vnam partem, modo in alteram ſæpe, propter æqualitatem ponderis: nam ſi in altera parte pondus ſuperaret, in eam totũ vergeret, nec in alteram reſurgeret. At vero ſi totius aquę moles ita ſupra terram ſita eſt, vt externa eius ſuperficies vndique à centro vniuerſi æquidiſtet. 2. cœ. tex. 31. propter quid modo in vnam modo in alterã partẽ inclinat? Cum enim propenſionem huc uſque habeat, quieſcere ibi deberet: Violentia autẽ ex hoc loco perpetuè dimoueri non eſt dicendum, cũ nullum violentum ſit perpetuum. 1. cœ. tex. 15. Nõ eſt ergo quærẽda aliqua virtus mouens totius aquæ molem

A extrinſecus, nã præter naturam moueret, & præter aquæ inclinationẽ. Nec igitur Luna, nec venti, nec aliquid huiuſmodi aquam dimouere tali motu queant. Relinquitur autem vnus modus tantum, vt ſcilicet moueatur ad motum continentis, quem per accidens eſſe diximus. Si enim per ſe moueretur, neceſſe eſſet aut ſecundum naturã, aut pręter naturã moueri. 3. cęl. tex. 18. & 1. cę. tex. 10. at neutrũ dicere poſſumus: Si enim ſecundum naturã, non vnus eſſet vnius corporis motus ſecundum naturam, ſed plures: Si præter naturam, aliquod violentum eſſet perpetuum: per accidens igitur moueri eſt neceſſe: quemadmodum de ſphęra ignis eſt dictum. Cum autẽ aqua exterius quidẽ ab aere contineatur, interius autẽ, à terra, aeris autẽ pars, quę aquã tangit, ſtagnãs appelletur ab Ariſt. 1. Meteo. cap. 3. non enim fluit vt is qui ſupra montes terræ eſt: ſed ſolum à ventis varie turbatur, non poteſt maris illa liberatio continua ex aere contingere: relinquitur igitur vt ex motu
B terræ fiat: ad motũ enim eius neceſſe eſt moueri totũ quod intra eius cauitates continetur. Recta autẽ ratione fit, vt aqua non inſequatur omnino terræ motũ, ſed partim retrocedat, partim vlterius præterlabatur: Cum enim humida ſit eius natura, dum terra impellitur à circunfuſo aere, aqua poſterius aliquantiſper derelinquitur: vt videre licet in paruo vaſe, cuius amplior ſit latitudo quã profunditas: ſi enim dimoueatur, reſilit aqua à tergo priuſquã in oppoſitam partem, & ſæpe huc atque illuc libratur quærẽs æquilibrium. Cum igitur terra modice prætergreſſa fuerit, aqua autẽ poſterius derelicta, extra ſuũ æquilibrium exiſtens, in alteram partem ruit, ſed vltra æquilibrium ob acceptum motus principium: inde iterum ob eandem cauſam in oppoſitã partem vergit, & ſæpẽ id facit, quærens æquilibrium, in quo naturaliter quieſcat. Quod ſi terra quieſceret à motu ſuo, & aqua aliquando deſineret huc atque illuc librari. Quoniam autem perpetua eſt huiuſ-
C modi terræ circumuolutio, perpetua quoque redditur maris libratio. Quatenus igitur motus iſte eſt continentis, per accidens in aqua eſt, nec ſecundum eius naturam, neque præter naturam: quatenus vero aliquo modo in ipſo continente mouetur, eſt ſecundum naturam, quærit enim ſemper locum magis decliuem: quia non pari paſſu inſequitur terræ motum. Quod autẽ in maxima aquarum congregatione hic motus contingat, non autẽ in paruis vt lacubus, & fluminibus, iuſtiſsime euenit. Cum enim terræ motus minimus ſit, nõ poteſt niſi in magna aquarũ mole apparere. Sit enim a. a. ſuperficies aquæ ſupra perpẽdiculum c. d. b. b. autẽ altera ſuperficies dimota ſuper alterũ perpendiculũ c. g. quanto magis protrahũtur a. a. & b. b. tanto magis



to magis apparet ſeiunctio à ſeinuicem: ideo & motus manifeſtior, D quanto autem breuiores fuerint, tanto minus apparet ſeiunctio, vt aliquando inſenſibilis omnino ſit, vbi nulla appareat mutatio, vt propè d. & g. hoc autem modo ſe habet lacuum & ſtagnorum breuitas ad totius maris vaſtitatem. Ob hanc eandem cauſam in Oceano altius intumeſcunt aquæ, & latius exundant quam in reliquis maribus. Scribitur enim ſupra Britanniam octogenis cubitis attolli. Frequentius quoque accedunt in breuioribus maribus, quam in Oceano, quoniam per breuiora ſpatia exundant: vel etiam quia vltra acceſſum & receſſum Oceani quos participat Mediterraneũ iuxta columnas Herculis, propriam quoque habet librationem in ſuo gurgite. Idcirco iuxta Syrtes, & circa Euripum Taurominitanum, & in Eubæa aliter accedunt: ſepties enim in die, ac nocte in Eubæa reciprocare dicuntur. Ex quibus etiam patet non vbique æſtus inſequi lunæ curſum. Quod ſi vt plurimum id contingat, vt pari greſſu cum Luna accedant, non ob id Luna huius motionis cauſa fuerit, vt nec ambulatio coruſcationis, ſi me ambulante coruſcauerit. Non enim fuerit præter rationem, vt libratio, quam ex totius cœli motu Maria habuerunt, eius ſyderis curſum comitetur, quod & propinquiſsimum eſt, & cum humore habet affinitatem. Ex dictis igitur patet ſolui omnes dubitationes, quæ circa maris fluxum, ac refluxum contingunt, ſuppoſita quadam terræ motione parua tamen. Nam ſi maior eſſet, maris quoque exundatio vehementius fureret & terras latius inuaderet, vt aliquando in diluuijs accidiſſe ferunt. Atteſtantur quoque hæc ijs quę ſuperius de cœlo ſtellarum fixarum diximus: ſi enim libratur huc illuc mare perpetuo, neceſſe eſt terram moueri: ſi vero hanc, neceſſe eſt aſpectum ſtellarum fixarum variari: motus ergo trepidationis ab aſtrologis inuentus in octaua ſphæra, ex motu terræ rationabilius contingit, quàm ex motu illius. Si igitur paruus hic atque obliquus & inæqualis terræ motus ſufficit ad mutationem aſpectus, quæ notata eſt, F non ſunt ponendi alij orbes ſupra octauam ſphæram. Iuſta etiam ratione motus cęli communicatur omnibus corporibus infra ipſum maxime quidem igni, quia propinquiſsimus eſt: minimè autem terræ, quia remotiſsima: medio autem modo corporibus medijs, aeri quidem magis, quia iuxta ignem: aquæ autem minus, quia iuxta terram. Nam cum æterna ſint elementa, ſecundum totas ſphæras non minus quam cęlum: motum etiam quendam æternum habuiſſe iuſtum fuit.

a

Motum

A

Motum planetarum ſub Zodiaco non caliditatem gignere in hac inferiora, ſed refrigerationem. *Quaſt. VII.*

VT veritas huius ſententiæ pateſiat, videndum prius eſt, quomodo in hæc inferiora gignatur caliditas, & frigiditas à corporibus cæleſtibus: non enim in hoc Peripatetici conſentiunt. Nam quidam ſolo motu caliditatem fieri arbitrantur: quidam addunt & lumen. A radijs enim Solis calefieri quæ circa terram ſunt & experientia manifeſtum eſt, & fatetur Ariſt. 1. Meteo. cap. 4. & 9. Alibi tamen, vbi docet quomodo à Sole & cæteris ſtellis non igneis exiſtentibus vt antiquiores putabant, exhibeatur caliditas: affert latio nem tantum, dicens: motum aptum natum eſſe ignire: luminis autẽ non meminit, vt 1. Meteo. cap. 3. & 2. cę. tex. 42. Videtur autem eo lo-
B co putare ipſum lumen nõ caliditatem gignere, ſed ipſum potius vna cum calore à motu fieri: inquiens: Calor autem ab ipſis & lumen generatur attrito aere ab illorum latione. Quæ ſententia maximam patitur controuerſiam. Nam ſi per lumẽ intellexit, actum perſpicui, qui per præſentiam corporis luminoſi fit, non videtur huiuſmodi participatio in perſpicuo motus aliquis localis eſſe: præſente enim luminoſo corpore, totum perſpicuum ſimul actu eſt illuminatum: neque per motum localem, ſeu corporis luminoſi, ſeu radiorum fieri videtur: Nam etiam quieſcente luminoſo corpore, vt igne, fit luminis participatio: Radios autem deſcendere & vibrari, metaphorice quidem dici conceditur, vere autem nequaquam, quod enim nõ eſt corpus, moueri nequit 6. Phy. tex. 32. Præterea motus iſte radiorum deorſum, ſiquidem ſecundum naturam eſſet terreum quid eſſe id corpus ſignificaret. Si præter naturam, igneum. At radij corporum cęleſtium, nec
C terrei, nec ignei ſunt: nec tandem alio motu quam circulari moueri corpora cęleſtia poſſunt. 1. cę. tex. 19. Non igitur per lumen intellexit actum perſpicui, non enim hic per motum localem fit, neque attritionem aliquam ſequitur. Idcirco recte interpretes verbum illud exponunt pro igne, quoniam hic gignitur attrito aere: appellari autem lumen, quia luminoſus exiſtit. An verbum φῶς: quod lumen ſignificat, ſcribendum non circumflexe, ſed acute φώς: quod vſtionem ſignificat à verbo φώζειν quod eſt ardere? Duabus igitur vocibus vſus eſt Ariſto teles, calore ſcilicet, & arſione: quemadmodum etiam in 1. Meteo. cap. 3. æſtu & calore: cum inquit, vt igitur fiat æſtus & calor ſufficiens eſt efficere etiam Solis latio tantum. At vero non videtur ſola aſtrorum & Solis circumuolutio caliditatẽ facere: Motus enim huiuſmodi non atterere poteſt aerẽ inferiorem, qui intra montes continetur: Solus enim is qui ſuperius eſt circumrotatur vnà cũ igne. 1. Meteo. cap. 3.

Sed

Sed tamen in inferiori parte aeris ingẽtes fiunt æſtus: media quadam D
eius regione frigida permanente, & quia procul exiſtit à cęlo, & quia reflexio radiorum Solis ex terra ad illam non pertingit. Si ergo cęli motus nõ calefacit mediam hanc regionẽ, multo minus inferiorem, remotiſsima enim eſt. Alteram ergo naturã eſſe oportet, quæ apta nata ſit calefacere hæc loca, non calefacto intermedio: huiuſmodi autẽ eſſe naturam luminis præcipue Solis, patet. verum enimuero mirum eſt Ariſtotelẽ in hac parte defeciſſe, nec explicaſſe quomodo ex lumine fiat caliditas, cum præſertim hoc genus excalfactionis longe magis experiamur, quam quod ex motu cęli peragitur. An per caliditatem, quam dixit attrito aere fieri propter aſtrorum lationem, eam quoque intellexit, quæ ex lumine fit? Indicat autẽ hoc, quod 1. Met. c. 3. dicit: Solem maxime caliditatem facere, quia motus ſolidi aerem maxime diſgregat, & propter hanc cauſam pertingit ad hunc locũ eius caliditas. Si igitur caliditas quæ ex Sole pertingit ad hũc locum, eſt ratione E
luminis, hanc autem tribuit ſoliditati corporis velociter lati, lumen igitur ratione corporis moti calefaciet. Idem colligere poſſumus 2. cę. tex. 42. vbi inquit: aerem incaleſcere cum exiſtat ſub ſphæra corporis circulariter moti, & hac maxime, qua Sol extat infixus. Quapropter accedente ipſo & oriente, & ſuper nos exiſtẽte, generatur calor. Hæc enim non niſi ratione radiorum & luminis conuenire poſſunt. Et 1. Meteo. c. 9. Solis lationẽ diſgregare & congregare, & cauſam eſſe generationis & corruptionis, quia prope fit aut longius. Si igitur generatio & corruptio eſt circa terram, ad quem locum non niſi lumen pertingit; neceſſe eſt lumen motu diſgregare. Verum illud cognitu eſt difficile, quomodo lumen, cum non ſit motus, neque per motum communicetur, attererę poſsit aerem illuminatum, & caliditatem gignere. An lumen per ſe nõ atterit, nec calefacit? ſed corporis cæleſtis latio, vt patuit ex ijs, quæ nuper ex Ariſtotele citauimus? lumen autẽ F
veluti præparatio eſt & mediũ quoddam, quo recipi in aere talis motus poſsit: præcipue in ijs locis quæ à cælo ſunt remotiſsima. Oportet igitur putare naturã perſpicui corporis naturali quodam appetitu prę ſentiã luminoſi corporis aſpicere, vt inde perficiatur nõ ſecus ac materia ipſam perfectionẽ deſiderat: eodem enim modo perficitur ipſum perſpicuũ à lumine. Quo fit, vt moto corpore luminoſo, varia ſemper fiat luminis ſuſceptio, nã ſolum per lineam rectã fit illuminatio: aſpectus igitur alius, atq; alius fit: Huiuſmodi autẽ mutatio, attritionis eſt principiũ & caliditatis. Cum enim perſpicuum apertionẽ quandam atque dilationẽ in ſuſceptione luminis patiatur: atque hanc ſecundum alias atque alias lineas ſucceſsiue ad motum corporis luminoſi, atteri minutiſsime id corpus neceſſe eſt. eoque magis quo velocius illud moueтur. Cęlum igitur ſine lumine trahere hęc diſtantiſsima in conſen-

ſum

A ſum non potuiſſet. Quod ſi lumen tantum adeſſet,non autem motus: ſimiliter hæc immobilia redderetur ex lumine,vt nunc ex eodem motum acquirunt: Sola enim præſentia luminoſi corporis perficitur perſpicuum. Quod autem maior fiat caliditas, vbi radiorum eſt reflexio quam vbi ſimplices recipiuntur, ideoq; infimam aeris regionem magis calefaciant, quam intermediam,iure optimo accidit. In reflexione enim reduplicatio eſt radiorum deſcendentium ſcilicet, & aſcendentium: ideo & magis agitari oportet ipſum perſpicuum pluribus modis lumen recipiens: longe autem magis calefieri cum ad angulos acutos reflectuntur: quia tenuius atteruntur eius partes. Huius autem gratia putandum eſt ſolis corpus tanquam Epicyclum in ſuo circulo circumagi quemadmodum reliqua aſtra,quanquam id Ariſtoteli placere non video, alibi tamen demonſtratum eſt à nobis: Sic enim vehementius caliditatem imprimere poſſunt, veluti terebro quodam circunducto, B aerem radijs permeantia. Dicimus igitur ſententiam Ariſtotelis fuiſſe cœlum motu tantum ſuo circulari caliditatem inferioribus corporibus exhibere: lumen autem præſtare, vt facilius motus aſtrorum recipiatur in corpore perſpicuo: in ijs præſertim quæ diſtantiſsima ſunt, ad quę motu ex contactu corporis peruenire nõ poterat: lumine enim quodammodo aſtra nos tangunt, quem contactum ſecundum aſpectum vocamus. Ob hanc vero cauſam; refrigeratur media aeris regio: non enim peruenit ad ipſam attritio ex cœli contactu propter diſtantiam, neque ex luminis reflexione, quia hæc ad illum locum non pertingit. Quemadmodum enim motus caliditatem facit in ſuſceptibili eius qualitatis,ſic immobilitas frigiditatem. Aperuit autem hoc Ariſt. 1.Meteor.cap.3.vbi inquit: Corpus quod ſub circulatione ſuperna cõtinetur,veluti materiam quandam, & potentia calidũ,frigidam,humidam & ſiccam,& quæcunque has ſequuntur affectiones, fieri talem & C eſſe à motu & immobilitate. Nõ enim eſt abſurdum imo neceſſarium alterum contrariorum,vt frigiditatem cauſam habere priuatiuam: omnis enim contrarietas priuatio eſt.10.Metaphy.tex.16. non tamen omnis priuatio contrarietatẽ facit,ſed quæ in determinato genere,& quæ non ſimpliciter eſt non ens,ſed forma quædã,vt quies ſe habet ad motum, & tenebræ ad lumen, & calidum ad frigidum,& alia huiuſmodi: eſt enim priuatio ſpecies quædam. 2.Phy. tex.15.Propter quid autem ad motum & immobilitatem inſequantur primæ qualitates tangibiles: ab illis autem reliquæ affectiones oriantur, alio loco commodius oſtendetur. Quæ igitur cœlo propinquiſsima ſunt, vt ignis & quædam pars aeris, calida exiſtunt ob cęli motum etiam ſine lumine communicatum: Quæ autem remotiora ſunt: frigida ob motus priuationẽ: eodem modo ſecundum totas ſphæras permanentia, quia ſimiliter motus & immobilitas eorum æterna eſt; Secundum partes autem

K fiunt

fiunt hæc quidẽ calida, hæc vero frigida ex motu & immobilitate, quę D
per lumen & eius priuationem oritur: accedente enim & recedente ſole aliquando communicatur motus aliquando immobilitas. His hoc modo conſtitutis dicimus: Motu Planetarum ob occaſu in ortum, nõ caliditatem gignere, ſed eam potius temperare. Cum enim duo in eodem corpore fiant motus in oppoſitam partem, quanto alter velocior fuerit, tantum demitur de alterius velocitate. Idcirco ſi æquales eſſent, nullus appareret motus, in eodem enim ſemper eſſet ipſum mobile: ſi alter ſuperat, apparet motus dominans tanto remiſsior, quantus eſt eſt alter motus. Cum igitur cęlum rapidiſsimo motu in occaſum feratur; Planetæ autem interim in eodem per proprium motum ſubdeficiant, quanto velocior eſt in proprio orbe motus, tanto magis retardari oportet eorum motum in occaſum. Omnis autem retardatio motus, priuatio quædam eſt ſi non ſecundum totum, ſaltem ſecundum partem. Quanta igitur erit retardatio, tanta etiam refrigeratio ex illa E
orietur. Maior autem retardatio eſt quanto velocior eſt in proprio orbe motus. Velocitas ergo huiuſmodi non caliditatem ſed refrigerationem parit. Significauit autem hoc Ariſtoteles 1. Meteo. cap. 3. vbi lunæ motum tardum eſſe inquit, aſtrorum autem fixorum velocem: Solis autem mediocriter ſe habere. Idcirco ſolem maxime calefacere, quia neque perinde procul eſt, vt Aſtra, neque tardus vt luna. Per velocitatem enim & tarditatem ſignificauit, non quatenus in ortum feruntur, ſed in occaſum: Nam alioqui oppoſitum videretur dicere. 2. cœ. tex. 58. In proprijs enim circulis inquit: ſuperiora tardius ferri inferiora velocius: ideo lunam velociſsime, Saturnum tardiſsime: Solem medio modo ſe habere ac reliqua intermedia corpora. Ex quibus patet caliditatem fieri ex motu totius cœli in occaſum lati non ex Planetarum motu in ortum.

F

Sub Zona torrida cœlum dari perpetuo temperatiſsimum.
Quæſt. VIII.

CECINIT hoc clariſsimus Poeta noſter Petrus Bembus Cardinalis, qui amęniſsimum locum fingens, in quo perpetua cœli temperies nullo vnquam æſtu, nulloque gelu infeſtante reperitur, tunc in Arabia fęlici collocauit, quæ intra Tropicos eſt ſita: idque optima quidem ratione non tamen vulgari. Incredibile enim videatur temperatam eſſe eam regionem, cui Sol propinquiſsimus ſemper exiſtat, & quam perpetuo ardentiſsimis radijs ſecundum angulos acutiſsimos reflexis feriat. Nam propter hæc exiſtimata eſt multis regio illa inhabitabilis propter æſtum vt ponitur ab Ariſtotele. 2. Meteo. cap. 5. Quamquam vero hodie ijs qui ex Luſitania Oceanũ

Atlan-

A Atlanticum nauigant vſque in Indiam, comperta ſit habitari. Inſula enim Sancti Thomæ cognominata, in qua Sacchari eſt multus prouentus, ſub Aequatore ſita eſt, habitatur autem non illa ſolum, ſed & vniuerſa Africæ pars illi contermina. Et Indiæ Taprobane quæ hodie Sumotra dicitur, ſub eodem Aequatore populatiſsima perhibetur. Tamen ingenti æſtu afflictati eius regionis incolæ, ſubterraneis cauernis degentes ſalutem ſibi quærunt, vnde Troglodytæ antiquis appellati in Aethyopia populi: Inhabitabilis ea nihilominus regio dicenda eſt, cũ vix, & non niſi eo præſidio habitari queat: vt impoſsibile aliquando dicitur, quod vix aut difficulter fiat 1. cç. tex. 3. Dicemus ne huiuſmodi feruorem temperiem eſſe? At ſi hæc tẽperies, quis erit in terra ex Sole feruor? nullus enim alius eſt locus, in quem vehementius agant Solis radij tum ob propinquitatem, tum ob diuturnam immorationem. Si enim apud nos non ſolum circa Solſtitium ęſtiuũ ingentes fiunt æſtus,
B ſed & poſtea maiores ſuccedunt ob moram diuturniorem, quam facit Sol propè Tropicum æſtiuũ: quid exiſtimandum eſt ibi fieri, vbi ſemper eſt propinquiſsimus? Non eſt autem putandum temperiem ſufficientem fieri ex pluuijs, quas tradunt perpetuo deſcendere, vbi ſol ſecundum perpendiculum terram reſpicit, vnde alluuiones fiũt, & Nili, & alterius fluminis, quod ex ijſdem fontibus ortũ ducens per Aethyopiam in Oceanum Atlanticum exoneratur, Nigrumq; vocatur, quia ex Nigrorum regione fluat. Statis enim quibuſdam temporibus vtraque hæc flumina mirum in modum intumeſcunt, quod multis admirationem peperit, antequam ſtata hæc pluuiarum tempora in ijs regionibus comperta eſſent. Refrigeratio igitur ex huiuſmodi pluuijs quãquam aliquid facit, temperiem tamen afferre ſaltem perpetuam non poteſt, tũm quia aquæ illis calidæ deſcendunt, vt teſtantur, & ratio vult: tum quoniam breui tempore contingunt. Solem enim perpen-
C dicularem non diutius eadem regio habere poteſt. Fiunt autem pluuię perpendiculari Sole potius, quia radij reflexi ijdẽ fiunt cum ijs qui deſcendunt. hoc autem exiſtente minor fit aeris attritio, quia nullus fit angulus inter radium deſcendentem atque aſcendentem, in quo fit attritio ob multiplicem luminis receptionem, vt ſuperius eſt oſtenſum. A lateribus igitur ob vehementiam attritionis diſſoluuntur vapores: in medio autem quà Sol ad angulos rectos terram aſpicit, ob minorẽ attritionẽ, principium aliquod refrigerationis adeſt, quod vaporem in aquam condenſat quãuis calidam, vt ferventi ollæ impoſitum operculum efficere ſolet, ſufficit enim illud minus calidum eſſe quã ſit vapor: idcirco aqua ab eo, ſed calida diſtillat. Iuuat autẽ hanc generationem antiperiſtaſis: Vaporis enim natura nacto principio motus, per quẽ ad frigiditatem reuertatur, ab ambientis caliditate quidam inuatur vt citius in aquam tranſeat. Hoc autem modo Aeſtate fieri pluuias in

Aethiopia & Arabia teſtatur Ariſt. 1. Meteo. c. 12. Continuæ autem D
fiunt illic pluuiæ, quia continua eſt eius loci refrigeratio propter radiorum ſimplicitatem: materia autem multa & maximè præparata à lateribus ſubminiſtratur, vbi ingens feruor adeſt: facit enim ad velocem concretionem, ſi præcalefacta fuerit aqua: vt ibidem declarauit Ariſt. Ex dictis igitur patet in zona torrida continuam temperiem eſſe non poſſe, ſed potius continuum feruorem modico tempore à radijs perpendicularibus remiſſum. Neque etiam noctium longitudo temperare dierum æſtum queat: Si enim apud nos in æquinoctijs temperies eſt, ſole angulis obtuſis percutiente, illis qui ſub æquatore degunt ſemper æquinoctialibus exiſtentibus & ſub angulis acutiſsimis quomodo temperies fuerit? Idem inferri de ijs poteſt, qui extra æquatorem vſque ad vtrumque tropicum habitant. Non enim multa eſt differentia dierum ac noctium, & angulorum qui ex radiorum reflexione fiunt. At verò extra Tropicos continuam temperiem inueniri impoſsibile eſt. E
Nam ſub vtraque vrſa perpetua ſunt frigora, idcirco ſimiliter habitari commodè ea loca nequeunt. Reliquæ autem intermediæ terræ ſectiones habitabiles, propter magnam differentiam acceſſus & receſſus Solis, vnde quatuor anni tempora maximè contraria orta ſunt, ingentes mutationes frigoris & æſtus patiuntur. Conſentaneum tamen rationi videbatur, vt in terra, quemadmodum loca dãtur, in quibus perpetua æſtas ac feruor eſt, atque alia, in quibus perpetua hyems & gelu: ſimiliter alia reperirentur, in quibus perpetua eſſe temperies. Si igitur hæc in infima regione aeris, vbi reflexio fit radiorum, non contingunt: in ſuprema autem viget exhalatio ſicca & ignis: circa mediã regionẽ forte locus temperatiſsimus in terra dabitur perpetuus: ſed is non in omni terræ ſectione, ſed tantum ſub zona torrida. Cum enim media aeris regio ob duplicem cauſam ſecundum ſententiã Ariſto. frigida reddatur, & quia procul exiſtit à cæli circulatione, & quia à radiorum reflexione F
non tangitur, neceſſe eſt eam quæ iuxta Polos eſt, frigidiſsimam eſſe: Nam & reflexio radiorum præterquam quod imbecillior circa ea loca eſt, minus etiam altè aſcendit, propter eorum inclinationem ad terram. diſtantia quoque eius à latione cœli maxima eſt: Quamuis enim vndique à cælo æquidiſtet, hæc tamen pars, diſtantiſsima eſt ab ea cœli parte, quæ & motus velocitate, & ſoliditate corporum vt ſolis ac cæterorum Planetarum apta nata eſt plurimum calefacere. Nam ſphæræ ea pars velociſsima eſt, quæ ſuo motu maximos deſcribit circulos, vt ſunt ij, qui intra Tropicos continentur: tardiſsima autẽ, quæ minimos eodẽ tempore circulos perficit, vt iuxta Polum vtrunque: minimã ergo caliditatem in ijs locis fieri neceſſe eſt. Sub zona autem torrida propter cauſas oppoſitas, neceſſe eſt mediam aeris regionem longe tepidiorem eſſe: Nam & radij ad lineam perpendicularem maximè accedentes altiſsime

A tiſsime reflectuntur, ſimul & ob angulorum paruitatem potentiſsimi ſunt: cœlį præterea pars velociſsima ſupra ipſam eſt, & omnium Planetarum corpora intra Tropicos feruntur: quæ omnia vt eam terræ plagam veluti exurunt, ſic mediam aeris regionem temperare poſſunt. Hinc fit vt in ijs locis non niues oriantur, nec grandines, nec pluuiæ frigidæ, ſed potius calidæ; vt noſtris temporibus eſt compertum. Quamuis enim in deſcenſu propter ambientis feruorem non antiperiſtaſim pati, ſed potius incaleſcere putandum ſit, in ortu quoque nihilo minus aliquem teporem ex loco ſortiri veriſimile eſt. Vt igitur apud nos æſtate loca ſunt in alpibus, in quibus dum cætera feruent, aer temperatiſsimus eſt ac iucundiſsimus: ſic intra Tropicos vbi cõtinua ęſtas feruentiſsimaq; eſt, ſi qui montes fuerint, quia ſua altitudine ſupra reflectionem radiorum, quaſi vltra telorum iactum, vt in prouerbio eſt, extollantur, continua frui aeris temperie inſtar veris perpetuæ neceſſe

B eſt. Quod nullis alijs locis contingere poſſe manifeſtum eſt. Sol enim cum à cæteris regionibus extra Tropicos exiſtentibus aliquando multum recedat frigora parit magis & minus, vt locus diſtantior aut propinquior fuerit. Atteſtantur hoc idem & ſacra Myſteria, quæ locum delitiarum Paradiſum terreſtrem vocatum circa eadem loca deſcribunt. Flumina enim totius terræ principaliſsima, quæ inde fluere traduntur, quædam intra tropicos, quædam non longè ab illis ſuos habent fontes: Cum autem omnia ex altiſsimis montibus ortum ducant, circa mediam aeris regionem ſitum eſſe hunc locum ſignificant. Fabulantur & Græci amæniſsimos Iunonis hortos in extrema occidentis parte, vbi altiſsimus Africæ mons Atlas vltra Tropicum Cancri extollitur. Maxime enim eſt rationi conſentaneum, vbi omnium aſtrorum aſpectus eſt placidiſsimus, agros quoque perpetua fertilitate ridere: nunquam enim gelu horrere, nunquam æſtu areſcere contingit,

C vbi perpetua eſt aeris temperies. Sed merito dubitaret quiſpiam: Cur hominibus hodie, quod ſciatur, incomperta ſunt hæc loca adeo expetenda? An intercludi acceſſum putandum eſt partim belluarum feritate, quæ in ijs locis præcipuè vigent: partim locorum pręcipitijs, ac ſyluis impenetrabilibus ſponte naturæ liberè luxuriantibus, alijsq; itineris difficultatibus in regione præſertim feruentiſsima? Ceſsit igitur hominis audacia Serpentium, ac reliquarum belluarum immanitati, vt propria ſuæ habitationis loca deſerere fuerit coactus, atque exul aliena regna petat, armis, & totis ingenij viribus in ſeipſum conuerſis: donec alter Hercules monſtris debellatis eą nobis reſtituat.

A ratur. Eadem ratio & igni accommodari poteſt. Quamuis enim hunc magis contingat ob motum circularem, aliquando violentia ferri deorſum, vt 1. Meteo. cap. 3. dicitur: hanc tamen cauſam eſſe perpetuæ conuerſionis & omnium partium ſucceſsiuè, non eſt putandum: hic enim ordo quidam eſt perpetuus, quod autem præter naturam eſt inordinatum eſt & non perpetuum. Aliquam ergo cauſam priorem eſſe neceſſe eſt, quæ faciat, vt ſuprema pars ignis frigefiat & graueſcat: nam aliàs incorruptibilis eo in loco permaneret. Quo autem modo id contingat deinceps videamus. In ſphæra igitur ignis facile eſt id perſpicere. Qua enim parte cęlum eſt velociſsimum & qua fertur Sol, vt intra Tropicos, rationabile eſt continuam eſſe ignis generationem, plurimum enim caliditatis in hac parte à cœlo fit. Quà autem cœli motus eſt tardiſsimus, & Sol remotiſsimus, vt circa Polum vtrunque, neceſſe eſt ignem ibi exiſtentem propter immobilitatem frigefieri, & graueſcere, atque in terram conuerti. In partibus autem intermedijs inter calidiſsimum atque frigidiſsimum locum, medio modo ſe habere. Cum enim ſol propinquus eſt, generatio fit ignis, cum remouetur, fit contrarium. Veluti igitur fluuius quidam eſt perpetuus exhalationis aſcendentis ex terra propè Tropicos, ac deſcendentis iuxta Polos: Sic enim fit, vt nulla pars ignis perpetuò maneat inalterata. Quod enim aſcendit attiguam partem detrudit ad latera ſucceſsiuè, donec ad loca refrigerationis perueniant omnes. Huiuſmodi autem fluuium inter ignem & terram ſignificauit Ariſtoteles. 2. Meteo. c. 3. vbi inquit: Non eaſdem partes permanere neque terræ neque maris, ſed totam molem ſolum: etenim de terra ſimiliter exiſtimare oportet, hoc enim ſurſum venit, hoc autem iterum deſcendit: & quæ ſequuntur. Nam ſi continuus eſt fluuius inter aquam & aerem, vt ex aqua per calefactionem eleuetur vapor: hic autem per refrigerationem condenſetur

C iterum in aquam ac deſcendat. 1. Meteo. cap. 9. oportet ſimiliter eſſe inter terram & ignem. Cum enim ex terra calefacta à Sole exhalatio fiat & ignis, neceſſe eſt iterum ignem in terram conuerti per refrigerationem, vt tota moles elementorum æqualis permaneat. Dubitabit autem quis, cur non videtur pluere vt aqua? deberet enim propter ea quæ dicta ſunt. An terræ particulæ ob ſiccitatem non cohærent? vt accidit aquæ ex paruis enim guttis coeuntibus vna fit magnitudo ſenſibilis, quæ & grauitatem habet ſufficientem ad medij ſciſsionem, vt deorſum feratur, quod minutiſsimæ guttæ non poſſunt: ideo in aere ſuſpenſæ manent quandiu huiuſmodi fuerint, vt in nubibus. Similiter autem & terræ minutiſsimis corpuſculis contingit, non enim poſſunt ob paruitatem aerē ſcindere, ſed in eo volitant vt puluis tenuiſsimus: Hæc verò efficiunt nebulam, ſeu caliginem, quam Ariſtoteles inquit eſſe nubem ſterilem, & excrementum eius concretionis quæ in aquā,

ideo ſignum eſſe ſerenitatis. 1. Meteo. cap. 9. Apparent & in ſiccitatibus D
æſtate præcipuè ſub Cane, reddunt enim aerem veluti fumō obtenebratum. Siquis autem puluis deſcendat, inſenſibilis eſt, propter paruitatem, decidiſſe tamen deprehenditur poſt aliquod temporis ſpatium non ſolum in tectis, & lapidibus, & circa domorum parietes, ſed & in ſcopulis maris, quæ longiſsimè à terreo puluere vi ventorum agitato abſunt. Coaceruatur enim vbique terra paulatim. Plurimum autem deſcendit cum pluuia, quod Ariſtoteles. 2. Meteor. cap. 3. inquit ſalſas efficere aquas: idcirco poſt pluuias aer purgatior apparet & longe magis perſpicuus: nam quaſi abluitur per aquam ab exhalatione & puluere obtenebrante. In qua re mutuam opem videre licet, quam ſibi inuicem tribuunt exhalatio & vapor: aqua & terra: aer & ignis: & tandem humidum & ſiccum. Terra enim ſine aqua non exhalat: exhalatio tamen aquam ſurſum ducit ſua caliditate, adeo vt cum ab illa derelinquitur graueſcat & deorſum feratur. Simul autem hæc & E
terram quam inuenerit in aere deorſum reducit. Duo præterea elementa extrema terra & ignis propter ſiccitatem indigent humido corpore, quod repleat ſpatia, quæ inter eorum corpuſcula interiacent: quod enim ſiccum eſt non terminatur alienis terminis niſi humiditatis auxilio. Terra igitur indiget aqua, quam vſque ad centrum peruadere neceſſe eſt, vt hic videmus, non ſolum propter dictam cauſam, ſed etiam quia terra, quæ ibi eſt, non exhalaret ſine humore. Ignis autem eget aere vt idem præſtet, quod aqua ad terram: peruadit igitur aer vſque ad extremum ignis. Indicauit autem id Ariſtoteles. 1. Meteor. cap. 3. vbi aerem vocat totum corpus quod cœlo eſt contiguum, cuius pars ſuprema exhalationem ſiccam continet, quam propter conſuetudinem vocamus ignem, eſt enim potentia ignis, cum exuri poſsit veluti fumus, quando in flammam vertitur. Fieri autem flammas, & ſtellas quæ diſcurrere videntur, & cometas & alia hu- F
iuſmodi incenſa hac exhalatione, quæ extenſa eſt circa vltimum ſphæ ræ quæ circa terram eſt, explicauit cap. 4. eiuſdem. Idcirco non ſolum in tertia regione aeris hæc fiunt, vt multi putant, ſed & in ipſo elemento ignis vocato ſtatim infra Lunam. Appellatur autem ab Ariſtotele etiam aer hæc pars, in qua exhalatio eſt, quæ elementum ignis conſtituit, quia ſine aere nec eſſe poteſt ſicca exhalatio, nec ignis ardere niſi in aere, vt alibi commodius oſtendetur: permeat igitur aer vſque ad cœlum. At dubitabit quis: Si ignis elementum diuiſum eſt vt terra, cur non terminat viſum, vt cœli conſpectum impediat? An ob partium tenuitatem viſum effugiunt veluti puluiſculus in aere? Perinde enim accidit, ac ſi quis extenſa conſpiciat retia ſecundum tranſuerſum non ſecundum longitudinem. Ob id propè orizontem aſtra inſpicientibus, aeris ſpiſsitudo magis apparet, quam

in

A in medio cœli: contingit enim ſecundum longitudinem extenſam exhalationem eo modo intueri. Miſceri etiam contingit ignem cum aere, vt vnum fiat corpus perſpicuum, ſicut terra cum aqua in mari. Si igitur hæc eo modo ſe habent: tota moles aquæ non ea ſolum eſt, quæ maribus, fluminibus,& alijs aquarum congregationibus conſpicua eſt, ſed multa in terræ viſceribus lapſa eius cauitates replet: multa quoque in aere ſuſpenditur ob ſolis caliditatem: Similiter aeris moles vix reperiatur ſeparata à reliquis corporibus: Pars enim inferior vaporibus aquæ referta eſt: multa quoque lapſa terræ hiatibus, vbi aqua non pertingit: Superior autem ſiccam habet exhalationem. Eadem dici poſſunt de extremis elementis. Terra enim aqua glutinatur, ignis aere. Sed quomodo ex diſtantia Solis, ac cœli immobilitate fiat refrigeratio vſque ad extremum ignis, vt iterum in terram conuertatur, & quomodo aer & aqua auxilium vtrique præ-
B ſtent, dictum eſt. Quomodo autem caliditas ex motu cęli vſque ad centrum terræ perueniat, dicamus: non enim facile eſt hoc videre. Nam neque motus neque radiorum reflectio peruenit ad hunc locum diſtantiſsimum. Ipſum enim lumen non pertranſit terræ ſuperficiem, motus autem non vltra tertiam aeris regionem recipitur, quem enim in terra recipi conceſsimus & ob paruitatem & quia non facit partium attritionem vllam, caliditatem gignere nullo modo queat. Videmus tamen intra terram multum ignis contineri: ex multis enim locis etiam flammæ ardentes eructantur, vt in Sicilia quondam ex Aetna monte celebratiſsimo: noſtris autem temporibus in Puteolano Italiæ alijsque locis compluribus. Indicant & thermarum fontes conplurimi ſubeſſe ignes ſubterraneos: & metallorum fodinæ, in quibus omnibus calidus quidam halitus perſentitur. An caliditas, quæ ſupra faciem terræ creatur à Sole adueniente frigi-
C ditate propter eiuſdem abſentiam, truditur deorſum propter antipariſtaſim? vt apud nos accidit in hyeme: vigente enim externo frigore puteorum aquæ calidæ ſunt: & contra in æſtate vigente æſtu, eædem frigidæ euadunt. Quo autem profundiora fuerint loca, eo magis antipeториſtaſim pati videmus, quando exceſſus fit externi frigoris aut caloris, quæ enim propinqua ſunt ſuperficiei vincuntur ab exceſſu. Sed alio quoque modo contingit aquarum beneficio caliditatē à Sole contractam communicari terræ viſceribus. Cum enim hæc in vniuerſas terræ partes peruadat, radios autem Solares vſque in profundum maris admittat, tanta mole calefacta, quid obſtat calefieri terram aqua calida permeante in omnem eius profunditatem? Quãuis enim ea quæ in terræ poros elabitur, à ſolis radijs derelinquatur, apta tamen eſt caliditatem ante conceptam diutius conſeruare ob corporis craſſitiem, quanto enim aqua maris craſsior eſt quam aquæ dulces, & hæ

quam

A vnà cum exhalatione vapor aqueus multus ſurſum ducitur aerem nubibus replens. Idcircò nubilò cœlo verentur nautæ mari ſe exponere: Serenitate autem exiſtente nunquam huiuſmodi perturbatio & feruor in mari ineſt, quàmuis ventorum vi commoueatur. Quaſi pluuiarum materia ex mari potiſsimum habeatur: ventorum autem ex terra. Exhalatio enim erumpẽs è ſubterraneis, vaporum materiam, quæ eius motum retardare apta nata eſt, in terra derelinquit magis quàm in mari. Idcircò in Oceano ventos non ſentiunt, vbi valde procul à terra fuerint, cum autem eos ſpirare ſentiunt, conijciunt ab ea parte vnde ſpirant, propinquam eſſe terram. Spiritus enim è terra erumpens ea vi, qua ſolet aliquando aqua per anguſtas fiſtulas, aut ex lignorum poris fumus ac flamma, quà flectitur aut ob loci poſitionem, aut propter alias cauſas impedientes, ne recta ſurſum feratur, eo trudit & aerẽ, facile enim is impulſum quemcunque ſequitur. Nam quod circa ter B ram ferantur venti non recta ſurſum, impedimento eſt ſupremi aeris circulatio vt voluit Ariſtoteles, aut mediæ regionis frigiditas, vt alijs placet: ſed cum in media regione maximè vigeant venti, vt ex nubiũ motu apparet, putandum eſt magis prohiberi à ſuperiori aere: quod autem in hanc potius quàm in illam partem ferantur, in cauſa eſt tum terrę poſitio vnde effluit exhalatio, tum aſtrorum pręcipue ſolis actio, Sol enim oriens in occaſum trudit, occidens in ortum, quia radiorum reflexio in eaſdem partes fit. Sed hæc hactenus de caliditate in viſceribus terræ genita, vnde fiat eius tranſmutatio ſecundum omnes partes.

Ex quibus concludimus à cœli motu atque immobilitate caliditatem & frigiditatem in omnes inferioris mundi partes communicari, vt in continua inuicem tranſmutatione verſentur.

AN-

ANDREAE CAESALPINI ARETINI, QVÆSTIONVM PERIPATETICARVM, LIBER QVARTVS.

Humiditatem, & ſiccitatem à caliditate & frigiditate pendere. Quæſt. I.

SI impoſsibile eſt plures eſſe contrarietates primas. E
1. Phyſic. tex. 56. ſunt enim alia alijs priora contraria, & fiunt alia ex alijs. 1. Phyſico. tex. 50. tangibiles igitur contrarietates ad vnam primam reduci oportet. Rationabilius autem eſt paſsiuas qualitates ad actiuas reduci, quam e contra: prius enim eſt agens patiente. Humidum igitur & ſiccum & reliquæ paſsiuæ contrarietates ad calidum & frigidum tanquam ad principia reducentur. Præterea ex ratione ſenſus, ſi enim vnus ſenſus vnius eſt generis. 4. Metaph. tex. 2. & 2. de Ani. tex. 107. vnius autem generis vna eſt contrarietas. 1. Phyſ. tex. 50. Tactus igitur ſi vnus eſt ſenſus, circa vnam erit contrarietatem, reliquæ autem ad ipſam reducentur. Patet autem calidum & frigidum maxime proprie ipſius tactus eſſe, ſolum enim tangendo cõprehenduntur. Humidum autem & ſiccum: durum & molle: graue F
& leue aſperum, & lene, rarum & denſum, & alia huiuſmodi vt tactu comprehendantur, non ſatis eſt ea tangere, ſed neceſſe eſt motum quendam adhibere, aut comprimendo, aut impellendo, aut trahendo, aut alia ratione patiendi potentiam experiendo. Sic enim quod proprium terminum non retinet, & quod facile diuiditur humidum eſſe cognoſcimus: quod autem oppoſito modo ſe habet, ſiccum: & quod cedit comprimenti molle, quod non cedit durum. ſimiliter autem & reliquæ tactiuæ qualitates ſine motu non percipiuntur. Idcirco & à reliquis ſenſibus cognoſci poſſunt, vt viſu: motus enim inter communia ſenſibilia ponitur: nihil autem refert motus in organo aut in re fiat. Tactui tamen aſcribuntur, tum quia certius per illum cognoſcuntur, tum quia affectiones eæ ſunt maxime corporeæ, vt patebit inferius. Solum autem calidum & frigidum nulla eget motione, ſed ſolum

lum

A lum tangi ſatis eſt, idcirco nullo pacto ſenſibile ſit commune. Tactus igitur circa hanc cõtrarietatem maxime propriè fuerit, & propter hãc vnus ſenſus vt reliqui. Et corpora ergo tangibilia maxime propter hanc contrarietatem fuerint. Amplius ſi duæ eſſent aut plures contrarietates primæ, ſingulis mediam naturam diuerſam ſubijci oporteret. 1.Phy. tex.56. eandem enim materiam plures actus perficientes habere eſt impoſsibile: oporteret autem, ſi ambæ eſſent primæ: duarum enim cõtrarietatum primarum vna alterius materia eſſe nequit. Quod ſi duæ eſſent materiæ, non eſſent tranſmutabilia omnia elementa inter ſe, quæ enim materiam habent diuerſam non tranſmutantur inuicem. primo de Gen. & cor. tex.54. Neceſſe eſt igitur duarum contrarietatum elementa conſtituentium alteram priorem eſſe, alteram poſteriorem. Ad hæc ſi principiũ conſideremus, vnde omnia hæc fluũt, idem patebit: ab vno enim principio ſi nõ poſſunt plura oriri primò,
B nec eadem cauſa primò eſt multorum effectiua, reſpõdere enim oportet cauſam primam effectui primo, 2.Phyſ. tex.38. Vnam autem eſſe cauſam vnde omnes contrarietates in materia elemẽtorum oriantur; vt caliditas frigiditas, humiditas & ſiccitas & reliquæ affectiones, quæ has ſequuntur, explicauit Ariſtoteles 1.Meteo. cap. 3. Motum enim cœli præſentia & abſentia, quam immobilitatem vocat, principium eſſe omnium iſtorum ſcribit. Alteram igitur earum priorem eſſe alteram poſteriorẽ oportet. At verò obſtare videtur quod ſcribit Ariſt. 2.de Gen.& cor.tex.15. Quatuor enim eſſe primas tangibilium differentias inquit, quarum nulla ſub altera continetur. Præterea ſi vna tantum eſſet prima tangibilium corporum contrarietas, duo tantum eſſent prima corpora tangibilia, & ſic duo elementa non quatuor: quemadmodum ſequebatur apud eos, qui vnam ponentes materiam denſitate & raritate tantum generabant: aut calido & frigido, vt Par-
C menides faciebat, ignem & terram principia ponens 2. de Gen.& cor. tex.17. reliqua autem mixturas eſſe extremorum oportebat, non prima nec ſimplicia. Adhæc ſi vna contrarietas alteram inſequatur, poſterior non erit eſſentiæ pars, quicquid enĩm aduenit ei quod actu eſt, accidens eſt, nec vnum niſi ſecundum accidẽs vt Socrates & Muſicũ. 7.Metaph. tex.41. Amplius non videtur calidũ & frigidum prius eſſe humido, & ſicco, ſed potius oppoſito modo ſe habere: Corpus enim quatenus corpus eſt & quæ illi inſunt ſecundũ corporis naturã præcedunt calidũ & frigidum: omne enim calidum & frigidum corpus eſſe neceſſe eſt: non è conuerſo. At humidum & ſiccum inſequi naturam corporis videtur non caliditatẽ & frigiditatẽ, definiuntur enim terminis corporis. Nã quod terminũ propriũ non cõſeruat humidum dicitur, quod alienũ difficile recipit, ſiccũ. Item quod tãgere poteſt quodcunque & replere ſpatia, humidum, quod minus, ſiccũ. Et quod per ſe

conti-

continuum fieri poteſt atque agglutinari, humidum, vt aquæ partes: quod verò diuiſum per ſe agglutinari nequit, ſiccum, vt puluis. agglutinatio enim ac termini proprij conſeruatio opponuntur, nam hoc quidem ſicci eſt, illud vero humidi. At termini & contactus & continuum corporis, vt corpus eſt, affectiones ſunt. Non tamen in cœleſtibus corporibus hæc dantur, quoniam impoſsibile eſt eorum terminū deſtruere neque diuiſionem vllam ipſis inferre, vt inferioribus contingit. Ob eandem rationem rarum & denſum priora videnrur calido & frigido: inſequuntur enim ipſam quantitatem. Nam rarum dicitur, quod in ampliorem molem partes habet extēſas: denſum quod eaſdem in parua mole contractas habet: Magnum autem & paruum affectiones quanti eſſe manifeſtum eſt. Oportet autem prius quantum eſſe quàm calidum & frigidum. Idcirco multi naturales philoſophi hęc principia faciebant: denſitate enim & raritate omnia generabant. Et Plato magnum & paruum principia eſſe voluit. Videtur autem & Ariſtoteles aliquando in hanc ſententiam deſcendere, cum inquit: motum aptum natum eſſe calefacere atterendo & diſgregando: diſgregare enim eſt rarefacere: atterere autem in partes tenues diuidere: tenuitas igitur partium & raritas caliditatem præcedunt. Apertiſsime autem hoc explicauit.8.Phy.tex.55.vbi inquit. Amplius autem omnium paſsionum principium eſt denſitas & raritas: etenim graue & leue, & molle & durum, & calidum & frigidum denſitates videntur eſſe & raritates quędam: Denſitas autem & raritas congregatio & diſgregatio, ſecundum quas generatio & corruptio ſubſtantiarum dicitur: Quæ autem congregantur & diſgregantur neceſſe eſt ſecundum locum mutari: Ex quibus concludit motum localem primū eſſe omnium motuum ac mutationum. Hoc igitur modo conſideranti calidum & frigidum & humidum & ſiccum nō fuerint primæ qualitates elementorum. Contemplemur verò iterum quo pacto hæc ab Ariſtotele principia elementorum ponuntur. 2. de Gen. & cor. tex.8. & quo modo reliquas pręcedant qualitates, & quomodo ſequantur. Sciendum igitur primò, affectionum quæ in materia ſunt quaſdam propinquiores eſſe ipſi materiæ, quaſdam verò ipſi formæ & perfectioni. Nam cum prima conditio materialis ſit ipſa quantitas, vt alibi à nobis explicatur, quæcunque corporis vt corpus eſt, affectiones fuerint, propinquiores ſunt ipſi materiæ, quàm eę quæ reliquas prædicationes ſequuntur. Hoc autem modo magnum & paruum rarum & denſum principia videntur, propinquiſsima enim ſunt ipſi materiæ: inter quas etiam ponitur craſſum & tenue: ad magnitudinem enim & paruitatem partium pertinent, vt rarum & denſum ad magnitudinem & paruitatem totius: licet oppoſito modo ſe habeant: quod rarum eſt, magnum quidem eſt, ſed paruarum partium ſeu tenuium:

Denſum

A Denſum autem contra, paruum enim eſt, ſed craſſarum partium quæ ad magnitudinem ſpectant. Humidum autem & ſiccum cum ſint affectiones quanti terminabilis, terminus autem ad formam pertineat: propinquiora ſunt ipſi formæ quam ſupra dicta: illa enim etiam in interminato conſiderari poſſunt: hæc terminos in ratione eorum continet. Calidum autem & frigidum graue & leue, adhuc propinquiora perfectioni. Termini enim dimenſionibus accedunt, hæc autem terminatis corporibus inſunt tanquam perfectiones poſterius aduenientes. Priora autem & poſteriora alia alijs diuerſo modo dicuntur. Secundum ſubſtantiam enim priora ſunt, quæ generatione ſunt poſteriora: magis enim perfecta hæc ſunt, & ſubſtantiæ propinquiora: Generatione autem priora ſunt, quæ materię magis propinqua: quodam modo enim potentia actum præcedit, ſcilicet in effectionibus. 9. Metaph. tex. 15. Illud pręterea notandum ad primorum corporum conſti-
B tutionem requiri qualitates actiuas & paſsiuas. 2. de Gen. & cor. tex. 8. quoniam oportet miſceri elementa & inuicem agere ac pati. Idcirco graue & leue non conſtituunt elementa, quamuis abſolutorum ſint magis hę affectiones, quæ faciunt ad motum localem, & proximè ſubſtantia horum materia ſit: 4. cœ. tex. 25. non enim faciendo aliquid aliud neque patiendo ab alio dicuntur: ſed principia ſunt motus localis, non alterationis, in qua actio & paſsio propriè dicta requiritur. Ob hanc eandem cauſam, quamuis inter reliqua ſenſibilia viſibile ſit prius tactili: natura enim perſpicui & luminis etiam cęleſtibus ineſt & prioribus natura corporibus: nulla tamen eorũ elementa conſtituũt: actio enim & paſsio & mixtio elementorum tangendo fit, idcirco per virtutes tangibiles, non per ea quæ agunt per medium: eorum autem quæ tangendo agunt non omnia apta nata ſunt in ſe inuicem agere, licet in ſenſum agant, vt ſapores. Cum ergo tangibilium ſolum calidum
C & frigidum actiua ſint, humidum autẽ & ſiccum ſola paſsiua: durum enim & molle & reliquæ paſsiuæ qualitates ſpecies quædam ſunt humidi & ſicci: idcirco quatuor dictæ qualitates ſolæ elementa conſtituunt: generatio enim omnis ſecundum has ſolum eſt. His autem explicatis facile eſt difficultates ſuperius adductas ſoluere. Nam primo non negamus quatuor eſſe primas tangibiles qualitates quamuis enim humidum & ſiccum minus perfectioni accedant quam calidum & frigidum, inter paſsiuas tamen primæ ſunt: nec vna contrarietas de altera participat, quemadmodum accidit reliquis paſsiuis, quæ ideo dicuntur, quia ſpecies quædam ſunt primæ contrarietatis. Similiter ad alteram dubitationem dicitur, non ſequi duo tantum eſſe prima corpora, quamuis actiuæ priores ſint paſsiuis: non enim eo modo poſteriores ſunt paſsiuæ, vt ſpecies quædam ſint actiuarum, ſed quia earum materia: per complexionem igitur duarum contrarietatum, quarum

vna

vna ſit alterius materia, quia in eadem materia tanquam diſpoſitiones D præcedentes ſunt, quatuor oriuntur elementa. Ad tertiam dubitationem ſatisfacit quod alibi explicatum eſt: diſpoſitiones, quæ in materia ſunt gratia finis ſubſtantias eſſe, quia diriguntur ad ſubſtantiam, ſic enim & materia ſubſtantia eſt: cum autem finem non habent, cuius gratia ſunt, accidētia eſſe: nec ob id vnitas formæ tollitur, à fine enim vnitas habetur cæterorum actuum, qui ad illum ordinati ſunt ſecundum naturam, & potentia in illo includuntur, vt partes continui in toto. Ad inſtantiam igitur dicimus poſteriores qualitates non aduenire diſpoſitionibus præcedentibus tanquam actu exiſtentibus, ſed potentia: quod enim ordinatur ad alterum antequam illud habeat potentia eſt non actu: actus enim in fine eſt: appellari tamen etiam actus poſſunt diſpoſitiones pręcedentes, quia non ſunt in priuatione: idcirco prædicationes veras conficiunt: homo enim animal eſt & bipes, licet vnum ſint animal bipes. Sed hæc alterius ſunt ſpeculationis. E Ad vltimam dubitationem concedimus humidum & ſiccum eo modo priora eſſe calido & frigido, quatenus ſunt materiæ propinquiora: quo enim modo conditiones materiales priores ſint, ſcilicet generatione non perfectione, explicatum eſt. Similiter rarum & denſum propinquiſsima eſſe materiæ aſſerimus: propter hoc enim quidam antiquorum poſuerunt principia corporum, quoniam materiam putauerunt eſſe ipſam ſubſtantiam: ideo hæc maximè accedere ad ſubſtantiam, quia maximè accedunt ad naturam materiæ. Hoc modo concedit Ariſtoteles raritatem & denſitatem principia eſſe cæterarum affectionum, quæ in materia fiunt, non vt finis, nec vt perfectio, ſed tanquam primæ diſpoſitiones in materia exiſtentes. Optimè igitur poſitum eſt cœlum motu diſgregare ac rarefacere corpus ſubiectum: eiuſdem autem quiete congregare & condenſare: vnde & caliditas & frigiditas & leuitas & grauitas & reliquæ affectiones omnes oriuntur. F Non repugnat autem, ijs, quod alibi negat Ariſtoteles, generationem eſſe ſegregationem, vt multi antiquorum putabant: aliud enim intellexit per ſegregationem quam id quod diſgregatione ſignificatur: Segregare enim eſt ſeparare: diſgregare autem rarefacere. Præterea diſgregatio non perficit ſubſtantiam, ſed via quædam eſt & diſpoſitio materiæ ad formam perficientem ex potentia materiæ educendam. Sed dubitatur: ſi rarum & denſum diſpoſitiones ſunt materiæ ad formas recipiendas: erunt & ipſæ ſubſtantiæ partes, vt humidum & ſiccū & calidum & frigidum, omnia enim alicuius gratia ſunt ſecundum naturam. An ad mixtionem nihil facit rarum & denſum ſicut neque graue neque leue? idcirco non ſunt de elementorum eſſentia? Elemēta enim non propter ſeipſa ſunt, ſed mixtorum gratia. 2. de Part. ani. c. 1. Cōditiones igitur materialis quæ ex neceſsitate materiæ ſunt, acciden

tia

A tia ſunt: non enim conferunt ad finē niſi ſecundum accidens. Ex raro igitur & denſo duo fines in materia adueniunt, idcirco duæ rationes ſubſtantiæ vtræque perficientes: quarum vna eſt grauitas & leuitas, quæ corporibus datæ ſunt propter motum & quietem corporum naturalium, vt ordo & ſitus partium vniuerſi conſeruetur. Alter finis elementa corporum miſcibilium ſpectat, calidum ſcilicet & frigidum, humidum & ſiccum: hęc enim principia ſunt miſcibilium, & tandem compoſitorum corporum. Eſſe autem grauitatis & leuitatis principia rarum & denſum explicauit Ariſtoteles 4. Phy. tex.84. vbi inquit. Eſt autem ipſum denſum graue, rarū autem leue: Et paulo mox: tex.86. Denſum enim & rarum ſecundum hanc contrarietatem motus factiua ſunt. At videtur contradicere, quod ſcribitur. 3. cœ. tex.57. vbi inquit: eadem enim magnitudo non videtur per conſtrictionem fieri grauior: & 4. cœ. tex.21. magnitudine & paruitate definire grauia &
B leuia figmento aſsimilari. At rarum & denſum ad magnitudinem & paruitatem reduci, patet. 4. Phyſ. tex.84. mutatio enim ex raritate in denſitatem eſt ex magnitudine in paruitatem & è conuerſo. Dicimus raritatem & denſitatem ſimiliter diſpoſitiones eſſe ad grauitatem & leuitatem, vt ad qualitates miſcibilium: non tamen ad eorum ſubſtantiam pertinēt: raro enim eſſe non eſt potentia ſurſum eſſe, ſed accidit, quia ob neceſsitatem materiæ ſequitur vt rarum ſit quod leue, non tamen huius gratia rarum eſt: Sed ſolum vt maiorem locum occupet: quia autem maior eſt locus vbi maior eſt circumferentia, & in extremo: minor autem iuxta medium: Idcirco leuia ſunt, quæ rara, grauia autem, quæ denſa. Grauitas igitur & leuitas ſubſtantiæ ſunt corporum mundi partes conſtituentium: quibus accidit calida & frigida eſſe, humida & ſicca, rara & denſa: non enim conferunt eæ qualitates ad huiuſmodi ſitum conſeruandum. Eſſe autē formam ſubſtantialem ipſam
C grauitatem & leuitatem patet. Natura enim quæ principiū motus eſt in ipſis forma eſt, non materia: motus enim localis perfectorū eſt. Eſſe autē grauitatē & leuitatem huiuſmodi principium, patet. 4. cœ. tex.25. cū enim quæritur propter quid leue fertur ſurſum & graue deorſum, idem eſt propter quid ſanabile ſecūdum quod ſanabile in ſanitatē venit, ſed nō in albedinem, & quæ ſequuntur: hoc enim eſt eius eſſe nec altera eſt cauſa: ipſum igitur principium. Calidum autem & frigidū, humidū & ſiccum ſubſtantiæ ſunt elementorum, per has enim qualitates & ſecundum has fit omnis mixtio: & generatio, cuius gratia elemēta ſunt. Terræ igitur & aquæ aeri & igni reliquæ qualitates ad mixtionē nō conferētes accidunt, vt graue & leue & reliqua. Simul, autem duas eſſe ſubſtātias in eadē materia perficientes actu quidem fieri nequit: vnā vero actu, alterā poteſtate non eſt abſurdū. Dum igitur ſimplicia ſunt, in ſuis locis ſunt nō impedita, & finē habēt ſecundū quod

grauia & leuia ſunt. Dum autem in mixtione continentur, alteram perfectionem habent propter quam elementa dicuntur, vt alibi abunde explicatum eſt. Sed videamus quomodo ex rareſacere & condenſatione qualitates elementorum oriantur. Caliditas igitur raritatem ſequitur, quia affines quædam naturæ ſunt: idcirco vbi vna in materia oritur, & altera ſequitur: Simul enim quid incaleſcit, rarius etiam fit, locum ampliorem quærens: & e conuerſo: quod enim vnum efficit, alterum quoque. Motus igitur diſgregando ſimul rareſacit, & caliditatem ex materia educit. Quies autem contraria præſtat, condenſationem ſcilicet & frigiditatem, quæ omnia priuationes quædam ſunt. Eſt autem tum condenſatio tum rarefactio motus quidam ſecundum locum, ſed hic quidem ad medium hic vero à medio: hic ad immobilitatem tendit, hic ad motum: viget enim in extremo motus: in medio immobilitas: calidi igitur & frigidi generationes vtreque motus quidam ſunt ſecundum locum, ſed alterum ad mobilitatem alterum ad immobilitatem definit: ideo vt fines diuerſi, ſic & efficientia diuerſa & contraria motus ſcilicet & immobilitas. Siccitas autem videtur ſequi extrema raritatis & denſitatis: quæ enim maxime denſa ſunt, vt terra & glacies, ſicca quoque ſunt: ſic & quæ maxime rara, vt ignis. Media autem in raritate & dẽſitate, humida ſunt, vt aer & aqua: quod optima ratione accidit. Cum enim natura humidi ſit alienos terminos facile recipere, & inſequi id quod tangit: ſi rarefieri & condenſari non poſſet, ea non præſtaret: ob hoc enim proiectorũ motus in aere & aqua fiunt, quia facile rarefiunt & condenſantur. 4. Phyſ. tex. 79. & 8. Phy. tex. 82. quod enim aeris condenſatum eſt ex proijcientis impulſu ante lapidem, à tergo rarefiens, ſimul lapidem & alterum aerem propellit: & per partem poſt partem communicatio huius affectionis fit, donec vltimo quod condenſatum eſt per ſui dilatationem alium propellere non poſsit. At quæ in extremo raritatis ſunt, vt rarefieri amplius non poſsint, & quæ maximè denſa, vt denſari amplius nequeant, terminos proprios conſeruare neceſſe eſt, difficile autem alienos recipere, quæ eſt natura ſicci, non enim facile figurari alienis terminis quid poteſt, niſi rarefactionem & condenſationem patiatur. Si igitur denſum & rarum principia fuiſſent elementorum, duo tantum extrema terra & ignis prima fuiſſent corpora: media enim aer & aqua mixturę eſſent extremorum raritatis ſcilicet & denſitatis. Aut media veluti materia eſſent, extrema autem vt forma. Idcirco antiquorũ plurimi media elemẽta pro materia aſſumebant, ij quidem aerem, ij verò aquam, aut aliud quoddam intermedium. Sed circa ignis ſiccitatem dubitatio eſt. Cum enim tenue & craſſum ſpecies quædam humidi & ſicci ponantur ab Ariſtotele. 2. de Gen. & cor. tex. 10. quod enim tenuium eſt partiũ repletiuũ eſſe inquit, idcirco ad humidum pertinere.

Craſſum

A Craſſum autem ſicci eſſe: ſi ignis tenuiſsimus eſt, maximè humidus fuerit. Reſpondendum eas eſſe ſpecies humidi & ſicci, quæ propriè ta lia dicuntur: propriè autem ſiccum terrę eſt, humidum autem aquæ: 4.Meteo. cap.4. Idcirco tenue & craſſum in ijs tantum intelliguntur, & quę ex illis conſtant. Terra enim & terrea craſſa ſunt, aqua autem & aquea tenuia. His explicatis patet veritas ſententiæ propoſitæ. Cum enim qualitates actiuæ perfectiores ſint & ſubſtantiæ propinquiores paſsiuis continent paſsiuas & reliquas diſpoſitiones materiales. Quod igitur caliditatem & frigiditatem efficit, & illas quoque: efficit autem tum motus cœli, & motus priuatio: continet enim cœlum omnium perfectiones: tum id quod vniuocum eſt, calidum enim calefacere eſt aptum, & frigidum frigefacere: non ſimiliter autem cæteræ contrarie tates ſibi ſimiles gignere poſſunt, raritas enim raritatem non facit, nec leuitas leuitatem: A calido igitur & frigido cætera oriuntur aut ante-
B cedētia, vt præparationes, aut ſequētia vt perfectiones: grauitas enim & leuitas perfectio quædam eſt inſequens actiuas qualitates: humidū autem & ſiccum rarum & denſum antecedunt vt pręparationes. Fieri autem humidum & ſiccum à calido & frigido patet in coagulatione & liquefactione, & incraſſatione, quę ſpecies ſunt humectationis & exſiccationis. 4.Meteo. cap.5. Coagulatur enim aqua à frigore excedente, non autem à ſiccitate aliqua: & idem glacies à caliditate ſola liquatur, ſine humiditatis auxilio. Colligitur hoc 4.Meteo.c.6. Cum enim coagulentur aqua & communia aquæ & terræ: aquam coagulari ſolum inquit, à frigido abſcedente calido: Communia autem ab vtroque, nam recedente humido conſtare poſſunt ob terram admixtam, recedit autem humidum tum calido tum frigido: aqua autē ſola inter humida incraſſari nequit abſcedente humido: ideo coagulatur tantum abſcedente calido, cuius præſentia liqueſcit. Non eſt autem
C neceſſe omnia ab vniuoco fieri, ſed ſufficit quędam potētia eſſe in materia. Explicauit autē hoc vniuerſaliter Ariſtoteles. 7.Metaph. tex.32. dicens: proprium ſubſtantiæ eſſe, præexiſtere aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quæ facit, vtputa animal, ſi animal fit, quale verò aut quantum non eſt neceſſe niſi potentia ſolum. Cum ergò caliditas & frigiditas propinquiora ſint ſubſtantiæ, efficere poſſunt talia qualia ipſa, reliquas autem non eſt neceſſe. Non autem tollitur etiam paſsiuas in ſe inuicem agere talia qualia ipſa: Nam concedit Ariſtoteles De Sēſu: cap.4. vbi inquit: pati enim natum eſt humidum quemadmodum & alia à contrario: contrarium autem ſiccum: vnde ſaporum naturam vult fieri. Et 2.de Gen.& cor. tex.25. in elementorum tranſmutatione: ſiccum in humidum & humidum in ſiccum conuerti in ſymbolis ſine aliorum mutatione. Non tamen ex eorūm actione inuicem inſequuntur calefactio & frigefactio. Præterea alia ratione paſsiuas ab

actiuis pendere manifeſtum eſt. Omnis enim terminatio in humido D
& ſicco à calido & frigido exiſtit. 4. Meteo. cap. 5. Nam conſtant corpora & terminantur coagulatione: omnis autem coagulatio à calido aut frigido aut vtroque fit: & propter hoc paſsiuæ dicuntur non quia à ſe inuicem patiantur: ſed quia eorum eſſe eſt pati ab actiuis. Cum enim humidum ſit bene terminabile, ſiccum autem difficile: humidū quidem præſtat ſicco in mixtione, vt facile terminetur non tamen à ſeipſo, ſed à calido vel frigido. Similiter ſiccum humor præſtat vt terminum difficile amittat, quem à calido & frigido habuit: quod hoc modo comprobatur. Si enim ſiccum à calido vel frigido non eſſet terminatum, non daretur in natura corpus ſimpliciter ſiccum, vt ignis & terra: omne enim corpus & continuum eſt, & ſuperficie clauditur cū non ſit infinitum, at neutrum in corpore ſicco eſſe poteſt: videmus enim partes ſicci, cum omni humore priuatæ ſunt, non hærere inuicē, vt accidit pulueri. 2. de Gen. & cor. tex. 49. inglutinabilis enim eſt ſine E
humore: ſi igitur partes non hærent inuicem, quomodo proprij termini conſeruatio in ſicco fuerit? nec enim terminus aliquis eſt vbi nō eſt continuum: nec continuum vbi partes non copulantur. Aut igitur admittenda erunt corpuſcula indiuiſibilia, vt apud Democritum: aut ſiccum omnino corpus non dabitur. Quærere enim ſemper fuerit de minimo corpuſculo, quomodo partes habeat continuas. Dicendum eſt igitur caliditatem & frigiditatem apta nata eſſe congregare partes inuicem & continua efficere ac termiare. Efficit autem caliditas hanc congregationem per dilatationem partium: in dilatatione enim humidum fit ex ſicco, humidi autem eſt glutinari inuicem, vt aquæ guttis accidit, & auri aut plumbi ramentis in igne. Ab exceſſu autem ignis omnia tandem liquefieri, teſtatur Ariſtoteles. 4. Meteo. c. 6. nam quæ illiquabilia ponuntur ob terream naturam, exceſſu ignis liquantur non ſolum ferrum, & lapides quidam, ſed & lutum & terra: F
dilatatio enim cum ſit termini mutatio non fit ſine humectatione. Exceſſu autem dilatari & rarefieri quodcunque poteſt excepto igne, qui ad extremum dilatationis peruenit. Qua autem definit dilatatio aut per frigiditatem conſtringitur, fit ſiccum, termini enim proprij conſeruatio eſt: nec eſt neceſſe vbique humiditatē relinqui, quæ partes contineat agglutinatas: hoc enim ſicci eſt à calido vel frigido terminati: huiuſmodi ſunt inter foſſilia multa corpora vt ſales & lapides quidā, ex terra enim agglutinata omni expreſſo humore conſtant. 4. Meteo. cap. 10. Exprimit autē humorē tum calidum tum frigidum. Et in glacie non eſt neceſſe aliquam humiditatē actu relinqui, quæ partes ſiccas agglutinet: totus enim humor ſimiliter à frigore concretus eſt, & in ſiccum conuerſus expreſſo calido, non humido. 4. Meteo. c. 4. Quomodo igitur paſsiuæ qualitates ab actiuis pendeant, explicatum eſt.

Omnem

Omnem virtutis intenſionem remiſſionemq́ ex materiæ quantitate prouenire. *Quæſt.* *11.*

DEMONSTRATVR hæc ſententia primò quidem in vniuerſum hoc modo. Si intenſio & remiſsio nequaquam ineſt indiuiſibilibus,quod enim diuidi nequit, quomodo magis vel minus dicatur? nam in ratione minoris ineſt diminutio & diuiſio: in ratione maioris additio: nulla igitur forma ſecundum ſe intendi aut remitti poteſt,eſſet enim ſecundum ſe diuiſibilis & quanta. Quod ſi omnis diuiſio ex materia habetur, hæc enim ſecundum ſe quanta eſt, ab ipſa omnem intenſionem ac remiſsionem oriri eſt neceſſe. Præterea in ipſis elementis patet: eorum enim virtutes maiores vel minores vel æquales ponuntur ab Ariſtotele pro materiæ quantitate. 1.Meteo.c.3.
B Nam ſi ignis moles reliqua elementa excederet, virtus etiam eiuſdem cæterorum virtutem ſuperaret,& reliqua in ſeipſum conuerteret. Sic quæcunque grauitatem habent, quo maiora ſunt, eo grauiora conſpiciuntur, feruntur enim velocius: & leuia ſimiliter. In orbibus quoque cœleſtibus idem videre licet,pro magnitudine enim & paruitate velociorem & tardiorem motum ſunt adepti. Sed aduerſus hæc dubitatur, primo circa elementorum virtutes: ponuntur enim æquales ab Ariſtotele licet mole inæquales ſint: terra enim minimam obtinet molem: ignis maximam: aer & aqua medio modo. Si igitur omnis intenſio & remiſsio virtutis quantitatem inſequeretur,ſemper maior virtus in maiori eſſet corpore, minor in minori, æqualis in æquali: at hoc non videtur: quaſi alio modo menſurabilis ſit virtus, quam pro materiæ quantitate. Secundo circa mixtorum vires: Cum enim gradibus quibuſdam eorum intenſio diſtinguatur, mutata quantitate
C oportuiſſet quoque temperamenti gradum mutari. At id nequaquã contingit, eadem enim eſt mixtionis ratio in toto & in qualibet mixti particula. Tertio dubitatur. Cum enim contingat eandem materiæ portionem modo calidiorem modo frigidiorem eſſe ſine alterius materiæ additione aut detractione. 4.Phyſ. tex. 84. non videtur earum intenſio ac remiſsio à materia fieri. Vltimo circa grauitatem & leuitatem non videtur intenſio & remiſsio quantitatem inſequi: nam ſi hoc eſſet,magna aquæ moles aliqua grauior eſſet, quam parua terræ particula, at id nequaquam verum: terræ enim quæcunque pars in aqua grauis eſt. Ad primam igitur dubitationem dicendum eſt: virtutē non quidem menſurari ſecundum molis amplitudinem ſiue extenſionem, ſed ſecundum materiæ quantitatem: hæc enim ſecundum ſe interminata exiſtens modo arctioribus coercetur terminis, modo in molem ampliorem extenditur. Idcirco neceſſe fuit, ſi tota

elementa ęquales virtutes habitura erant, vt ex æquali materiæ quan D
titate conſtarent: adeo vt ſi ex tota aqua aer fieret, tantus eſſet quantus nunc eſt, nec amplius nec minus: hęc autem eandem proportionem ſeruare oportet, quam vnius particula ad alterius particulam ſe habet, cum inter ſe tranſmutantur, vt aperte explicatur. 1. Meteorol. cap. 3. Si enim ex vno aquæ pugillo fiũt aeris decem: tanta erit virtus in vno aquæ, quanta in decem aeris, æqualis enim in vtriſque ineſt portio materiæ. At dubitatur de igne: videtur enim in parua mole maiorem virtutem habere quam reliqua elemẽta. Nam parua flamma aut ſcintilla multum materiæ conuertit in ſui naturam: debuiſſet autem oppoſitum eſſe, ſi in rariſsima ſubſtantia minimum inſit materiæ, & vbi minimum materiæ, virtutis etiam inſit minimum. An corpus calidum & ſiccum, quod inter elementa numeratur, non eſt quod propriè ignem vocamus? hic enim feruor quidam eſt & ſemper in aliena materia. 3. de Gen. ani. cap. 10. Nam aut aer aut fumus, aut terra, eſſe E
videtur quod ignitum eſt. Ob denſitatem igitur in huiuſmodi corpore plus ineſt materiæ quam in ipſo elemento perfecto: idcirco illo vrit magis flamma, & hac magis carbo, adhuc vero magis lapis aut ferrum ignitum. Altera dubitatio circa mixtionis temperamentum hoc modo ſoluitur: Conſurgit enim ſemper alius atque alius gradus ob diuerſam contrariorum in mixtione proportionem: variatur autem proportio mutata ſolum quantitate miſcibilium. Nam qui fieri poſsit vt dominetur calidum, niſi in mixtione quantitas elemẽti calidi ſuperet? Manifeſtius autem id eſt in ijs quæ ex elementis componuntur: cum enim elementorum qualitas ſimplices ſint, ac ſine contrarij admixtione, intenſionem ac remiſsionem nullam patiantur, niſi quatenus in ſmaiori aut minori materiæ quantitate fuerint, quippe quæ ſecundum te indiuiſibiles exiſtant & non quantæ: tanta igitur eſt caliditas, quanta eſt materia ſimpliciter calida: ſic & frigiditas & humiditas ac ſiccitas ſe habent: quarum menſuræ in mixtione diuerſos intenſionis ac F
remiſsionis gradus pariunt. Idem verò contingit & in ijs quæ ex mixtis componuntur: differt enim ſolum quod in his non ſummæ qualitates ſiue ſimplices componuntur, ſed refractæ, ideo latent magis miſcibiliũ virtutes, quia dupliciter variãtur, pro quãtitate ſcilicet eorumdem, ac pro graduum diuerſitate. Plus enim calefacit ſecundus gradus, quam primus, & maior eiuſdem quantitas quam minor: vterque tamen exceſſus ſecundum materiæ quantitatem menſuratur: Altior enim gradus ob exceſſum ſimplicis prædominantis agit magis, mixti autem maior quantitas quamuis non vltra gradum proprium agat, tamen alterum in ſui naturam trahit magis, quantum ſuperat in quantitate: mutatur enim proportio ſimplicium ſic compoſitis mixtis in alterum mixtum, & ſemper fit latitudinis terminus qui ad ſimplicem

qualita-

A qualitatem prędominantem vergit ſecundum exceſſus quantitatem. Quod igitur idem temperamenti gradus ſit in parua quantitate mixti ac magna, conceditur: eadem enim ſeruatur miſcibilium proportio in qualibet mixti particula: non tamen ob id ſequitur eandem eſſe virtutem in parua, & magna quantitate: non enim eadem eſt niſi proportione. Ad tertiam dubitationem colligitur ſolutio ex 6.Phyſ. tex.32. Cum enim omne quod mutatur diuiſibile ſit, contingit partes aliquas in altero extremorum eſſe, reliquas in altero: ſic enim diuiſibiles fiũt qualitates, cum per ſe indiuiſibiles exiſtant. 6.Phy.tex.39. Patet autem magis in contradictione, cum enim eius non ſit medium, quod tamẽ mutatur ſecundum contradictionem quodammodo in neutro eſt, ſcilicet ſecũdum totum: ſed ſecundũ partes diuerſas in vtriſque. 6.Phy. tex.83. Eandem igitur materiam fieri magis & minus calidam nõ contingit ſecundum diuiſionem caliditatis, ſed materiæ: cum enim plu-

B rimæ eius partes calidæ fuerint, calidior erit: cum pauciores, minus calida. Sunt autem modo pauciores modo plures partes calidæ admixtione contrariæ frigiditatis ſimiliter ſecundum plures aut pauciores partes: vt nunquàm pars aliqua materiæ aliquo contrariorum deſtituatur. Sed ijs quæ dicta ſunt, videtur obſtare verba Ariſtot. 4.Phyſ. tex.84. vbi inquit. Vt enim ex frigido fit calidum & ex calido frigidũ eadem materia, quia erat potentia: ſic & ex calido magis calidum nullo facto in materia calido, quod calidum non eſſet, quando minus erat calidum: Et paulo mox: Non enim ex eo quia intermittitur, ipſum minus aut magis eſt: neque eſt accipere flammæ magnitudinem aliquam, in qua & albedo & caliditas non inſit. Significat igitur, vbi remiſſa eſt caliditas, omnes partes materiæ calidas eſſe, non quaſdam: vt prior ratio oſtendebat. Amplius in alteratione quæ fit tota ſimul, quomodo pars eius quod alteratur in vno erit, & pars in altero termi-

C norum? ſupponuntur enim omnes partes ſimul in termino eſſe: nam aliàs non totum ſimul, ſed pars prius in extremo eſſet. Quod ſi omnes partes ſimul alterentur, neceſſe eſt aut per ſe diuiſibilem eſſe ipſam ſpeciem, aut mutationem huiuſmodi in non tempore fieri: cum enim neque ex parte mobilis diuiſio fiat mutationis, cum non prius vna quam altera mutetur: neque ex parte ſpeciei, quæ ſecundum ſe indiuiſibilis eſt, nullo modo prius & poſterius erit in huiuſmodi mutatione: At omnem mutationem & motum diuiſibilem eſſe in infinitum demonſtrauit Ariſt.6.Phy.tex.55. nam quod mutatum eſt omne, mutabatur prius, & quod mutatur prius mutatum eſt, idq; in infinitum. Si igitur huiuſmodi diuiſio non contingit ſecundum partes mobilis, neceſſe eſt ſecundum partes ſpeciei contingere. Præterea videtur deſtrui mixtio: ſi enim contrariorum vnum quidem aliquas partes afficiat, alterũ verò reliquas; compoſitio erit ex ſeruatis vtriſque loco di-

ſtinctis, mixtio autem nequaquã, oportet enim mixtum ſimilare eſſe, D & vnamquamque eius partem eiuſdem naturæ cum toto. Hæ igitur dubitationes contingunt. In vtranque verò partem anguſtiæ videntur eſſe. Si enim admittamus in eadem parte materiæ vtraque contrarietatis extrema conuenire, in eodem ſimul erunt contraria: aut ſi id non repugnat in quibuſdam, vt in iis quę apta nata ſunt vnum fieri in medio, quia recipiunt magis & minus, diuiſionem ipſius qualitatis admittemus non ratione materiæ: intenſionis enim & remiſsionis gradus latitudinem mediam contrarietatis diuidunt: quæ latitudo ſi in huiuſmodi contrarietate per ſe fuerit, diuiſibilis per ſe erit qualitas, quod expreſſe negat Ariſto. Si ratione materiæ, vt ſubiecti pars in hoc ſit, pars in altero, non fiet vnum ſimilare ipſum mixtum: neque dabitur mutatio tota ſimul. Dicimus igitur in omni motu ac mutatione diuidi ſpeciem ad diuiſionem mobilis: hoc enim diuiſo reliqua omnia diuiſionem ſuſcipiunt, & motus, & tempus, & ſpatium, & tandem E ſpecies, quamuis hæc per accidens, reliqua autem per ſe, vt explicauit Ariſtot. 6. Phy. tex. 39. Cum autem corpus non vnica diuiſione ſit diuiſibile, ſed tribus, tres enim continet dimenſiones, non eſt neceſſe in vnoquoque motu ſecundum omnes diuiſionem fieri, ſed ſufficit ſecundum quaſdam: verbi gratia in illuminatione, quę fit in aere aduentante Sole, ſucceſsiua quidem fit mutatio tenebrarum, diuiſione facta ſecundum radiorum longitudinem, qua ſemper alius atque alius eſt in aere luminis ac tenebrarum contactus, ſed ſecundum alias dimenſiones nulla fit diuiſio, cum totus ſimul aer ſecundum huiuſmodi dimenſiones alteretur: non enim prius illuminatur quod propinquum eſt Soli, quam quod magis diſtat. In ſono autem è conuerſo accidit: ſucceſſiuè enim communicatur prius in propinquum, poſterius in remotũ: ſed circũquaque totus ſimul aer percutitur ſecundum circulum prius minorem, poſtea maiorem & ſic deinceps. In coagulatione lactis videtur ſecundum omnem dimenſionem totum ſimul pati: ſed motus F quidam eſt partium à circunferentia ad cẽtrum, in vnum coeuntibus terrenis partibus. In cæteris quoque mutationibus idem reperire licet: ſucceſsio enim ſecundum aliquam dimenſionem in omnibus reperitur, aliàs nulla eſſet per ſe mutatio: dico autem per ſe mutari, nõ quia aliquid aliud mutetur: quædam enim ſunt & nõ ſunt ſine mutatione, vt tactus & quęcunque inſequuntur mutationis alicuius terminos. Ad inſtantias igitur ſic dicendum. Nam cum aliquid fit magis calidũ, nulla quidem eſt pars materiæ, quæ non eſſet prius calida, non tamen omnes dimenſiones caliditas obtinebat: neque repugnat ſecundum aliquas dimenſiones caliditatem non ineſſe, quamuis omnes ſint calidæ: non enim dimenſiones partes ſunt corporis: & diuiſione ſecundũ vnicam dimenſionem omnes corporis partes cõprehenduntur. Patet autem

A tem id in elementorum alterationibus. Nam feruente in Cacabo aqua ſuper ignem, vaſis fundus tangitur ſine noxa: non enim in omnem dimenſionem caliditas peruaſit, quandiu aqua eſt, ſed ad ſuperficiem ſuperiorem vergit magis. Hoc idem in cauſa eſt, cur vas plumbeum, quãdiu aquam capit, liqueſcit nunquam, igne quocunque ſtimulante: defenditur enim ab aquę frigiditate, quæ in eius profundo eſt, quamuis ferueat in ſuperficie. Item ſi plumbum liquatum in aquam vel feruentiſsimã proijciatur, congelaſcit citius, quam ſi in aere licet frigidiſsimo contineatur: eſt enim aeris natura calida, aquę autem frigida: quãuis alterationes oppoſitas patiantur: non enim eæ ſecundum omnes dimenſiones fiunt. At verò inſtabit quis: ſi elementorum materiam ſimplices qualitates abſque contrarij admixtione perficiunt, non viderentur in eadem materia intendi poſſe, cum nullus ſit defectus. At videmus aquam amplius frigeſieri poſſe adeo vt cõgelaſcat. Si igitur ante coagu-
B lationem remiſſa erat frigiditas alicuius caliditatis admixtione, poſt coagulationem eſſet magis aqua, quia ſimplicior ineſt frigiditas: at id nequaquam verum, perijt enim aquæ humiditas. Dicimus in omni aqua aliquid ineſſe caliditatis: Nam concedit Ariſto. eius coagulationem fieri educto vniuerſo calido quod inerat: nihilo tamen minus ſimplex eſt frigiditas: hæc enim ſecundũ habitum ineſt, caliditas autem ſecundũ affectionem: Idcirco innata frigiditas non aufertur aqua permanente, affectiones autem facile remouentur. At in mixtis vtraque contraria ſecundum habitum inſunt, materiam perficientia: nec tamen contraria ſimul eidem inſunt. Innata enim frigiditas in aqua materiam perficiens ſecundum omnes dimenſiones, tanquam Entelechia eſt, id eſt actus primus, non tanquam Energia: Aduentitia igitur caliditate prohibetur quidem vſque ad aliquid actus ſecundus frigiditatis, ſed remanet potentia quæ in actu primo aſſeruatur: Eſſet autem abſurdum ſi
C eodem modo ſimul ineſſent contraria, vt ambo actu, ſed alterum actu alterum potentia non eſt abſurdum. Quod autem prohibeatur humiditas per actum ſecundum frigiditatis, glacies enim ſicca eſt: accidit propter denſationẽ à frigiditate factam, non tamen humiditatis innatæ potentia tollitur. Illud autem recta ratione contingit. Cum enim binæ qualitates elementa conſtituant, vna tamen vnius ponitur ab Ariſtotele. 2. de gen. & cor. tex. 23. Idcirco vna exiſtente in actu ſecundo, deſinit altera: dum enim in aqua humiditas in actu exiſtit, deficit actu frigiditas: hac autem præſente, ceſſat humiditas actu: magis autẽ aqua per frigiditatem eſt, quam per humiditatem, quia facilius in actũ frigiditatis tendit, quam humiditatis: Contra aer humiditatem difficilius deperdit, quam caliditatem: & de cæteris eodem modo. Hæc igitur non obſtant, quin ambę qualitates in ſingulis elementis in ſummo ſint: intelligendum eſt enim de actu primo, & ſecundum habitũ,

non

non de actu ſecundo de ijs quæ ſecundum paſsionē dicuntur. Eadem D quoque ratione ſoluitur inſtantia de ijs, quæ tota ſimul mutantur ſatis enim eſt ſecundum aliquam dimenſionem totum ſimul mutari, ſecundum omnes autem fieri nequit, poſſet enim id quod impers eſt moueri: Nam ob eam cauſam oſtendit Ariſtot.6.Phy.tex.8.punctum moueri non poſſe, quia prius per minus mouetur omne quàm per maius: mobili menſurante. Idem igitur contingeret, ſi diuiſibile quidem eſſet mobile, ſed vt indiuiſibile acciperetur, cum totum ſimul in quouis terminorum eſſet: non enim eſſet prius & poſterius: & tandem in nō tempore eſſet motus, aut tempus componeretur ex indiuiſibilibus. Ad inſtantiam verò de mixtione dicimus: Compoſitionem quidem eſſe eorum quæ tangunt & ſeparatim permanent: at non ſic miſcibilia ſunt in mixto: vnumquodque enim in alterum agit, donec ex tangentibus continua fiant, continua autem eſſe nequeunt contrarijs qualitatibus affecta. Sed hoc modo quædam partes materiæ calidæ dicuntur, & E quædam frigidæ: quia verbi gratia caliditas quæ in elemento calido erat, in mixtione extenditur ſecundum totam mixti quantitatem, ſed non tanta eſt, vt ſecundum omnem dimenſionem afficiat: ſic enim in ſui naturam totum tranſmutaſſet: Similiter autem & frigiditas alterius elementi in alterius elementi materiam extenditur, vt totum mixtum afficiat, non tamen compleat vndequaque: ſed ab vtraque qualitate tota materia ſecundum omnem dimenſionem perficiatur cōiunctim, vt antequam miſcerentur, diuiſim fiebat. Vbique enim qualitas tanta eſt, quanta eſt materia: ſi ſuperaret qualitas, daretur aliqua qualitas per ſe quanta, qua ſuperaret materiæ quantitatem: Si materia ſuperaret, aliqua eius pars daretur ſine forma. Cum ergo alterius elementi qualitas replere nequeat totam materiam, neceſſe eſt ab alterius elementi qualitate compleri, quantum deficiebat. Quæcunque igitur contraria hoc præſtare poſſunt, intenſionem ac remiſsionem patiuntur, & eorū F ſunt media: quæ verò minimè, vt par & impar, rectum & curuum, & tandem carentia medio, pati hæc nequeunt. Idcirco elementorum principia oportuit ex ijs contrarijs eſſe, quæ magis & minus ſuſcipere poſſent, non enim fierent ex illis mixta, niſi huiuſmodi eſſent. Hoc autem modo dicenti, non ſequitur contraria ſimul eſſe in eodem: non enim totam materiam ſingula contrariorum perficiunt, ſed vtraque dimidium. Interim verò quælibet materiæ pars ab vtroque perficitur; quia quælibet corporis particula tres habet dimenſiones, quas omnes non implet alterum contrariorum, idcirco ſuppleri oportet ab altero. Hinc etiam patet quomodo ſimplicia ſint in mixtis: partim enim actu ſunt, quia alterata tantum non corrupta; partim verò potentia quia non integra, ad integritatem nihilominus reuerti apta: non ſunt autem integra, quia non perficiunt totam materiam, ſed ſecundum partem,

A tem, vnde orta eſt refractio. Plures autem elementorũ actus in vnum per mixtionem veniunt, quia eorum contrarietates aptæ natæ ſunt eandem materiam ſecundum partem perficere, vt ex duobus dimidijs vnum fiat integrum, aut ſecundum aliam quampiam proportionem. Relinquitur vltima dubitatio circa grauitatem & leuitatem, quarum intenſio ac remiſsio non videtur vbique materiæ quãtitatem inſequi: quia quælibet terræ particula grauior eſt quam aqua cuiuſcunque magnitudinis. Dicendum eſt elementa non differre inter ſe ſecundum magis & minus ſed ſpecie: Species autem grauitatis & leuitatis determinatur locis: comparatio autem cadit inter ea quæ eiuſdem ſpeciei ſunt. Quæcunque igitur ad medium ſimpliciter feruntur, vt ſimpliciter grauia, alia alijs grauiora ſunt propter materiæ quantitatem, vt plũbum lapide, quia in plumbo ineſt plus materiæ grauis, quam in lapide eiuſdem molis: denſius enim eſt. Aut diuerſarum etiam ſpecierum fie

B ri poteſt comparatio, vt aquæ & terræ, ſed vbi vtraque grauia ſunt, vt in aere: nam ſimiliter verum eſt grauius eſſe id, cui plus materiæ ineſt. Omnem igitur intenſionem, ac remiſsionem ex materia ortum ducere, manifeſtum eſt, ſiue in ſimplicibus ſiue in mixtis: ſed in ſimplicibus pro magnitudine & paruitate ſolum, quam auctionem extenſiuã vocant: in mixtis autem propter admixtionem contrarij plus vel minus, quam intenſiuam appellant.

Materiam mixtorum eſſe terram & aquam tantum. Quæſt. III.

CVM primarum qualitatũ paſsiuæ materiam tribuant, actiuæ autem perfectionem: mixtorum quoque materia fuerit humidum & ſiccum, agentia autem calidum & frigidum. 4. Me

C teo. cap. 10. Cum autem mixtum homogeneum debeat eſſe, non omne humidum, nec omne ſiccum aptum eſt ad mixtiones. Calida enim elementa, aer & ignis inepta ſunt. Nam cum eorum perfectio ſit caliditas, non patiuntur niſi à frigido, à contrario enim vnumquodque mutatur: At frigidum congregat quæ diuerſorum ſunt generum non in vnam naturam. 2. de gen. & cor. tex. 8. Præterea cum generatio mixti tendat ad perfectionem, contrariorum autem quod habitum repræſentat perfectius ſit quam oppoſitum: caliditas autem corruptionis potius, aut perfectionis ſecundum accidens. 4. Meteo. cap. 5. Oportet igitur materiam mixtorum frigidam eſſe, frigiditas enim priuationem ſignificat: huiuſmodi autem ſunt terra & aqua. Idcirco humidum propriè eſt aquæ, ſiccum terræ, ex quibus omnia mixta conſtare neceſſe eſt. Neque humidum aeris cum ſicco terræ, aut humidum aquæ cum ſicco ignis materia mixtionis eſſe poteſt, quoniam naturæ ſunt nimis inter

inter ſe diſtantes nullum habentes ſymbolum. Præterea ſeparata ſunt D locis. Quid igitur iſta coniungere in vnum poſsit? Propter eãdem rationem, nec ſiccum ignis cum ſicco terræ; humidum autem aeris cũ humido aquæ coniungi potuit, vt ex vtraque ſiccitate & vtraque humiditate mixta fierent. Nam præterquam quod maximè diſtant loci, non conueniunt quoque ſiccitates inuicem: ſiccitas enim terræ craſſiſsima & denſiſsima eſt, ignis autem rariſsima & tenuiſsima: Nec humiditas aeris conuenit cum humiditate aquæ, quamuis propinquiores ſint naturę: quod patet in olei & aquæ compoſitione: nunquam enim miſcentur, ſed ſemper oleum ad ſuperficiem aquæ fertur vt etiã aer. Præterea cur plures ſiccitates, & plures humiditates quæramus ad mixtionem, cum omnium humidorũm eadem ſit natura & omnium ſiccorum? vna igitur humiditas & vna ſiccitas ſatis eſt ad facilem corporis terminationem & termini retentionem. Conueniunt autem humidum aeris cum ſicco ignis propter ſymbolam qualitatem, quæ caliditas eſt: & humidum aquæ cum ſicco terræ propter frigiditatem vtriuſque: idcirco propenſionem habent ad eundem locũ: aqua enim & terra ad medium, aer & ignis ad extremum tendunt: & coniunguntur igitur facile aqua cum terra, & aer cum igne. Indicat hoc ſiccorũ corporum veluti calcis, aut lintei bibula natura, humorem enim trahunt, quia conueniunt cum eo magis quam cum aere. Similiter ignis in aere ſolum ardet non in aqua. Mixtio tamen ex aere & igne perfici nequit, quia frigiditas mixtionem non perficit: caliditas autem cum ſit illis propria agere non poteſt: oportet enim agens in vnoquoque ſeparatum eſſe & tangere. 8. Phyſi. tex. 30. At ſi verò neque ob id omnia elementa venire in mixtionem oportet, vt agentia & patientia ſint ſimul: vt ſcilicet calida agant in frigida & è contra: Sic enim non magis caliditas perficeret, quam frigiditas: imo frigiditas magis in ijs in quibus terra & aqua dominantur, quę plurima ſunt. Præterea caliditas elementorum, vt quæ in igne reperitur non eſt generatiua: Solum enim ea quæ a Sole habetur, aut quæcunque illi proportione reſpondet, vt quæ in animalibus & in ſemine continetur, corpora compoſita poteſt conſtituere. 2. de Gen. ani. cap. 3. huiuſmodi enim calor nec ignis eſt, nec ab igne ortum ducit: nam per ignem nihil videtur conſtitui neque in humidis, neque in ſiccis. Non igitur ob hanc cauſam miſceri oportuit elementa calida cum frigidis, vt per eorum actionem fieret mixtorum conſtitutio. Relinquitur ergo ſolam aquam & terram materiam eſſe mixtorum, agentia autem ſolis caliditatem vt perficientem, frigiditatem verò vt corrumpentem. Manifeſte autem hæc aperuit Ariſtoteles. 4. Meteo. cap. 8. & 10. Sed huic ſententiæ videtur obſtare quod ſcribit. 2. de Gen. & cor. tex. 49. vbi probat, omnia mixta quæcunque circa medium locum ſunt, cõpoſita eſſe ex omnibus ſimplicibus

E

F

plicibus

A plicibus ea ratione: quia vbi in mixtione recipitur vnum ex contrarijs, neceſſe eſt & alterum recipi: generationes enim ex contrarijs fiũt: terræ autem contrarius eſt ignis, & aquæ aer, vt contingit ſubſtantiam contrariam eſſe ſubſtantiæ: Cum ergo in omni mixto terra & aqua recipiantur, neceſſe eſt & aerem & ignem recipi. Et 2. de Part. an. cap. 1. teſtatur humiditatem & ſiccitatem, & caliditatem, & frigiditatem materiam eſſe corporum compoſitorum. Caliditas ergo & frigiditas non ſolum vt agentia requiruntur, ſed etiam vt materia mixtorum. Si igitur hæc vera ſunt, & ſuperiores rationes concludunt, vtriſque ſententijs ab Ariſtotele prolatis, quæ fuerit ratio ſoluendi? Quidam putant dictum eſſe 4. Meteo. cap. 8. ex terra & aqua fieri omnia mixta, quia in mixtione dominantur, non quia ſola recipiantur. At falſum eſt in omni mixtione dominari grauia: ſi enim hoc eſſet, nulla mixta in aqua aſcenderent. Sit enim aliquid quod in aqua ſupernatet, non minus igi-

B tur poſſunt elementa leuia quam grauia in mixtione, motus enim eſt ſecundum ſimplex prædominans. 1. cœ. tex. 7. At multa videmus hoc modo ſe habere, vt oleum: multum enim aeris habent non in poris vt lignum & ſpongia, ſed in mixtione: argumento quod non euaporat, quia aeris eſt: 4. Meteo. cap. 7. & paulo infra: Quæcunque ab igne incraſſantur non euaporantia, hæc quidem terræ, hæc verò communia aquæ & aeris: mel quidem terræ, oleum autem aeris & aquæ. Et lib. de long. & breu. cap. 2. Pinguia non putreſcere, quia aeris ſunt: aer autem reſpectu aliorum ignis eſt, qui non putreſcit. Ex quibus patet non in omnibus mixtis prædominari aquam & terram: multa enim ſunt, in quibus aer & ignis dominatur, vt quæcunque facile in ignem tranſeunt. Dicendum eſt igitur optimè poſitum eſſe terram & aquam materiam eſſe mixtorum, quoniam hæc ſola recipiuntur: Idcirco animalia in terra & aqua ſolum fieri teſtatur Ariſtoteles. 4. Meteo. cap. 4.

C in aere enim & in igne non ſunt, quia corporum materia hæc ſcilicet terra & aqua. Sed cum omnis mixtio & perfectio à caliditate ſolis, aut huiuſmodi fiat: neceſſe eſt ex terra quidem ignem fieri, ex aqua autem aerem, ſi frigidum quod in ipſis eſt vertatur in calidum. Vbi igitur hæc mutatio ex toto facta eſt, non mixtio eſt, ſed aeris & ignis generatio: ſi autem ſecundum partem, neceſſe eſt fieri medium: medium autem omne naturam extremorum retinet: vt medij colores quodammodo ex albo & nigro componuntur, quia rationes vtriuſque participant lumen ſcilicet atque opacum. Mixta igitur cum ſint media inter calidum & frigidum humidum & ſiccum, naturam omnium elementorum participare oportet, quamuis materia ab initio ex aqua & terra ſolum aſſumpta fuerit. Hoc autem ſignificauit ratio Ariſtotelis. 2. de gener. & corru. tex. 49. Ideo componi ex omnibus ſimplicibus mixta, quia generatio ex contrarijs eſt,

ſcilicet

ſcilicet im contraria aut media: 1.Phy.tex.44. media autem ex contrarijs componuntur. Et quod alibi dicitur caliditatem & frigiditatem materiam eſſe mixtorum corporum, hoc ſignificat: extrema enim materia ſunt medij ſecundum rationem, non vt ſubiectum: nam vnum contrarium non eſt materia alterius contrarij. 1.Phyſi.tex.51. ergò nec medij, medium enim vt contrarium eſt alteri extremo. Nec ſequitur idem eſſe agens & patiens: caliditas enim & frigiditas medium componentia ſpecies eſt ab agente facta in materia, non efficiens mixtionis, ſed quod efficitur. Sic autem frigiditas in mixtionem venit, quatenus caliditatis terminus quidam eſt ſecundum magis & minus: omne enim magis & minus eſt, quia plus aut minus contrarij ineſt. 5.Phyſicor.tex.19. Nec tollitur definitio mixtionis tradita. 1. de gen. & cor. tex.90. Vnio enim miſcibilium alteratorum eſt in medio, etiam ſi calida elementa non egerint in frigida, neque frigida in calida: Terra enim & aqua ſola alterata ſunt actu: ignis autem & aer poteſtate ſolum: Medium autem omnia elementa continet alterata. D E

Mixta ex æquali omnium elementorum virtute dari. *Quæſt.* IIII.

CVM inter duo extrema multa ſint media ſecundum diuerſam extremorum proportionem, inter mixta dari neceſſe eſt aliqua, in quibus ſit æqualitas vtriuſque contrarietatis, ſcilicet calidi & frigidi, humidi & ſicci. Cum enim omnis mutatio fiat de contrario in contrarium, de vno extremo ad alterum fieri non poteſt tranſitus niſi per media, vbi contraria ſunt mediata. 10.Metaph. tex.22. Neceſſe igitur eſt aliquando ad equalitatem peruenire. Item ex natura proportionum: ex dimidio enim non poteſt fieri duplum F exiſtente motu continuo, niſi prius fiat æquale: Exiſtentibus igitur contrarijs ſecundum proportionem inæqualem compoſitis non poſſunt tranſire ad oppoſitam inæqualitatem, niſi prius fiant æqualia. Datur ergo mixtio æqualis: Non ſolum autem in tranſitu dari eam neceſſe eſt, ſed & ſecundum permanentiam. Si enim in cæteris proportionibus reperiuntur, multo magis in ea quæ principaliſsima eſt. Proportio autem æqualis prima eſt: præcedit enim æqualitas inęqualitatem. Indicant hoc colores: medij enim tres præcipui ex compoſitione luminis & opaci gignuntur à natura, qui in Arcu cœleſti ſpectantur ſecundum numeros proportionatiſsimos compoſiti. 3. Meteo. cap. 4. Nam ſi medius color qui viridis eſt, non haberet proportionem æqualem, non impari numero medij proportionatiſsimi reperiretur, ſed pari: tot enim proportiones citra æqualitatem dantur

quot

A quot vltra. Si igitur in coloribus mixtio æqualis datur, cur non & in cæteris contrarijs? Maximè autem eſt rationi conſonum, vt perfectiſſimum inter cætera mixta illud ſit, quod proportione æqualiſsima conſtat: vt in ſonis Diapaſon: maximè enim hoc vniſonum eſt ex graui & acuto extremis vtriſque æqualiter compoſitum: cæteræ autem omnes proportiones inæquales ſunt. Teſtatur autem Ariſtoteles hominem inter cętera animalia temperatiſsimum eſſe: nam tactum habet exquiſitiſsimum. 2. de Ani. tex. 94. Tactus autem medium quoddam eſt, quo iudicantur extrema tangibilium. 2. de An. tex. 118. Propter hoc & prudentiſsimus animalium eſt: ſolus enim habet intellectum, qui temperamentum huiuſmodi ſequitur. 2. de gen. an. cap. 4. Recta autem ratione fit vt ſolus homo præſtet omnibus. Aequalis enim temperies vna eſt, inæquales autem multæ. Si igitur inæqualis fuiſſet hominis temperies, non fuiſſet homo optimus tactilium qualitatum iudex:

B contingeret enim idem ac ſi obliquo non recto diiudicare & obliqua & recta vellemus: quemadmodum autem ſolum rectum iudex eſt ſui & obliqui, ſic æquale ſui & inæqualis. Sed in oppoſitum afferunt Ariſtotelis verba. 10. Metaphy. tex. 23. & 2. de gen. & cor. tex. 48. vbi inquit: Media magis & minus de extremis participare: quaſi æqualiter participare non poſsint. Et 1. de gen. & cor. tex. 89. vbi inquit. Quando autem potentijs adæquantur quodammodo, tunc tranſmutatur vtrunque in dominans ex ſua ipſius natura. Dominari ergo in mixtione aliquid oportet. Et 1. cœ. tex. 7. motum mixtorum eſſe ſecundum prædominans, quaſi nullo exiſtente dominante ſimplici, non fore motum vllum in mixto neque ſurſum neque deorſum. Si igitur omnia corpora naturalia quæ hic ſunt, mouentur aut ſurſum aut deorſum, neceſſe videtur in omni mixtione prædominari aut graue, aut leue. Afferunt etiam huiuſmodi rationem. Nam cum omne agens dominari

C oporteat ei quod patitur, contrariorum autem vnum in alterum agat in mixtione: ſiquidem vtraque æqualia eſſent, agere non poſſent inuicem, neutrum enim dominaretur, nec igitur miſceri. Colligunt autem hanc rationem ex 4. Meteo. cap. 1. vbi probatur, quæ excedunt in frigiditate aut caliditate, non putreſcere, quia caliditas ambientis minor eſt quam vt vincat: oportet enim ipſum mouens vincere, alioqui nullam permutationem facere. Si igitur æqualis potentia vincere nequit, miſcibilia æqualia mixtionem non perficient. Huiuſmodi ſunt rationes, quæ ſummos philoſophos perſuaſerunt, vt mixtionem in natura dari ex æquali elementorum virtute negarent: non animaduertentes interim tolli perfectiſsima naturæ opera. Non autem difficile eſt ex ijs quæ alibi demonſtrauimus ſoluere. Nam quod ſcribitur. 10. Metaph. tex. 23. non in eam ſententiam tendit, in quam torquentur verba eius, cum inquit: Vtroque enim & magis & minus erit:

Nam

Nam ſignificauit vnumquodque medium cõparatum cum extremis, D
vtroque magis & minus dici, quod & de æquali temperamento verum
eſt: hoc enim calidum quidem magis eſt quam quæ accedunt ad frigi
dum: minus autem quàm quæ ad calidum propius accedunt: Quod
patet ex ijs quæ paulo mox ſubiungit, cum inquit: Id enim quod vno
minus, altero magis eſt, compoſitum ex illis quodammodo eſt: ſigni-
ficat enim vnumquodque medium calidum dici & frigidum, ſed ma-
gis aut minus quam ipſa extrema: extrema enim maximè talia dicun-
tur minimè autem de oppoſitis participant: igitur media vtroque ma
gis, aut minus dicentur talia: vt viride magis habet de albedine quam
nigrum, minus autem quam album: & de nigredine minus habet
quam ipſum ſimpliciter nigrum, magis autem quam ipſum ſimplici-
ter album: de cæteris quoque medijs eadem ratio. Confirmat hanc
ſententiam, quod ſcribitur.5.Phyſi.tex.19.cum inquit. In minus enim
cum ierit, in contrarium dicetur mutari: in magis autem cum ex con- E
trario in ſeipſum. A ſumma enim caliditate in minorem tendere, eſt
in frigiditatẽ tendere, à minori autem ad maiorem eſt ex frigiditate ad
caliditatem mutari. Patet igitur quo pacto media magis & minus di-
cantur, & propter quid componantur ex contrarijs. Locus autem qui
citatur.2. de Gen. & cor. tex.48. vbi inquit: Quatenus verò eſt magis
potentia calidum quam frigidum, vel è contra ſecundum hanc ratio-
nem dupliciter erit potentia calidum quam frigidum, aut tripliciter,
aut ſecundum alium talem modum: & quæ ſequuntur. Quaſi vnum-
quodque medium de vno extremo magis quam de altero participare
debeat. Nõ bene hoc modo latinè redditur: non enim dictio ἢ ψυχρὸν
vertenda eſt, quàm frigidum, ſed: vel frigidum. vt eius ſententia in
hunc modum habeat. Quatenus potentia calidũ, aut frigidum eſt ma-
gis aut oppoſitum, ideſt minus: ſecundum hanc rationem duplum eſt
potentia calidum aut frigidum: aut triplum aut ſecundum alium hu- F
iuſmodi modum, ideſt. Cum poſſit eſſe magis aut minus calidum aut
frigidum, ſecundum proportionem aliquam vt duplam aut triplam
aut aliam huiuſmodi, exceſſum & defectum eſſe oportet. Comparatio
igitur eſt non inter calidum & frigidum, ſed inter exceſſum ac defectũ
caliditatis aut frigiditatis. Nam alio modo verba nec inter ſe neque
cum ſuperioribus cohærerent. Quod autem ſcribitur.1.de gen.& cor.
tex.89. tantum abeſt vt affirmet eorum propoſitum vt potius oppoſi-
tum confirmet. Vult enim æquari quodammodo oportere virtutes mi
ſcibilium: ne altero ſuperante fiat alterius generatio, vt accidit in aug-
mentatione: adæquatis autem conuerti inquit vtrumque in domi-
nans. Si igitur per dominans intellexiſſet alterum ex miſcibilibus non
vtrunque ſed alterum in id conuerſum eſſet, idcirco ſibi ipſi repu-
gnaſſet. Vult igitur vtrunque dominari vſque ad aliquid: nam vſque
ad

A ad medium vtrunque miſcibilium dominatur, cum eouſque agant. Dixit autem quodammodo æquari oportere, nõ vt excluderet æqualem omnino mixtionem,ſed vt ab ea ratione non excluderet eam quę modicè ab æqualitate recepit. Ad illud verò quod ſcribitur. 1.cæ. tex.7.motũ mixtorum à prædominante fieri: abunde ſatisfacit,quod ſcribitur. 4.cæ. tex.29. Non omnia vbique grauitatem habere aut leuitatem: media enim alicubi grauia ſunt, alicubi leuia,vt aer & aqua: Idem patiuntur & mixta propter primorum cõpoſitionem: Lignum enim vnius talenti in aere grauius eſt plumbo vnius minæ: in aqua autem leuius. Ex his igitur facile colligi poteſt ſolutio dubitationis. Si enim ponatur mixtum æquale in aere, dominabitur graue: duo enim grauia terra & aqua opponuntur vni leui. ſcilicet igni: aer autem in ſua regione aut nullum afferet momentum grauitatis aut leuitatis, aut non tantum quantum præbet aqua extra ſuam regionem:
B deorſum igitur feretur. Quod ſi idem ponatur in aqua, leuitas prædominabitur: duo enim elementa leuia extra propriam regionem plus poſſunt, quam duo æqualia oppoſita in propriã regione: nam aqua in ſua regione nullum afferet momentum, ſed ſola terra ſua grauitate obſiſtet duobus leuibus: feretur igitur ſurſum vſque ad ſuperficiem aquæ: hucuſque enim propenſionem habet: cum hic locus omnino ſit medius inter ſimpliciter ſurſum & deorſum. Sed dubitatur. Scribit enim Ariſtoteles.4.cæ.tex.30. Si aliquid plus habet aeris quàm terræ & aquæ hunc eundem locum quærere: in aqua enim leuius erit, in aere autem grauius: ad eundem ergo locum feretur ęquale & inæquale. Reſpondemus eius loci differentias eſſe. Nam cum omne corpus dimenſionem habeat ſecundum profundum, non poteſt ſimul in ſuperficie aeris eſſe & aquæ: nullum enim inter ea quæ tangunt, cadit corpus medium: ſed neceſſe eſt corpus aut in aqua eſ-
C ſe, aut in aere, aut eius partem in aere, alteram in aqua, vt aeris & aquæ contactus corpus diuidat hoc modo: in quibus igitur prædominatur leue, ſed non adeo vt ſuperemineat aeri: in aere quieſcet vbi aquam



contangit. Si autem prædominetur grauitas non tamen adeo, vt aquæ ſubterferatur: ſtabit in aqua vbi tangit aerem. Quod ſi fuerit æqualis grauitas & leuitas, pars eius erit in aqua, pars in aere magis & minus vt ab exacta æqualitate recedit: quod enim exactè fuerit æquale, eius dimidium in aqua erit, dimidium in aere. Exemplum leuioris eſt oleum & follis, & ſuber: grauioris lignum: æqualis vas ſemiplenum, in quo aer tantus ſit, quanta eſt ipſius grauitas, vt patet in nauibus ſemionuſtis: tanta enim virtus requiritur ad ipſam extollendam in aerem, quanta ad mergendam intra aquam. Non oportet autem propter hæc dubitare de hominis temperamen-

to æquali, cùm in aqua homines graues ſint: non enim quælibet pars organici corporis temperamentum idem habet: os enim terræ eſt magis ideo graue, ſimiliter cartilago neruus: temperiem autem hanc Ariſtoteles in principe animalis parte ſtatuere videtur, cum ibidem ponat tactus inſtrumentum, & intellectum affirmet cordis temperamentum inſequi. Quãquam medicis in cute potius temperies ęqualis ineſſe videatur: putantibus cutim eſſe tactus inſtrumentum. Sed de his aliàs commodius agetur. Non igitur tollitur motus, qui à dominante ſimplici fit in mixtis poſita mixtione æquali: in loco enim proprio nullum prædominatur cum ſit exactè medius: extra illum autem modo graue modo leue eſt, quia ſimplicia hæc patiuntur. Relinquitur vltima dubitatio, quæ cum ſupponat omne agens dominari ei quod patitur, infert inter æqualia nullam dari actionem, ideo neque mixtionem. Primum igitur non eſt omnino verum: omne agens dominari ei quod patitur: Cum enim duplex ſit quod patitur, & materia & oppoſitum: conſiderato quidem oppoſito non ſemper verũ eſt agentis virtutem oppoſiti virtutem ſuperare. Nam cum omne agens participans eandem materiam in agendo repatiatur, 1. de gener. & cor. tex. 53. idem eodem eſſet maius & minus. Quatenus enim repatitur, vincitur quatenus agit, ſuperat & dominatur. Non igitur eo modo intelligendum eſt actionem eſſe ipſius dominantis: nõ enim id quod patitur, reageret. Conſiderata autem materia quæ patitur, cum hæc patiatur tantum, non agat: merito agens omne dominari materię dicetur, idque aut ſimpliciter aut ſecundum partem, ſcilicet quatenus totam aut eius partem perficit. Idcirco in mixtione non alterum ſed vtrunque miſcibilium dominari vſque ad aliquid oportet: totã enim materiam non alterum contrariorum, ſed vtrunque ſecundum vtriuſque menſuram perficit. Præterea cum omnis contrarietas ſit exceſſus quidam ac defectus, quodcunque agit excedere oportet, quod autem patitur, deficere: verbi gratia quod ſimpliciter eſt calidum, omnia alia calefacit, excedit enim omnem caliditatem: calefit autem à nullo, quia à nullo exceditur: minor enim caliditas in maiorem agere nequit, neque æqualis in æqualem: quia non excedit. Similiter & frigiditas ſumma ſe habet ad reliquas frigiditates. Poſitis igitur cõtrarijs æqualibus non ob id tollitur actio inter ſe: tam enim calidum caliditate ſuperat ipſum frigidum: quàm hoc frigiditate ipſum calidum. Ex quibus manifeſtum eſt, quamuis omne agens dominetur ei quod patitur, non tamen ſequi inter æqualia contraria non dari actionem: omnia enim contraria ſe inuicem expellere apta nata ſunt, & vtraque reſpectu alterius, exceſſus cuiuſdam & defectus rationem habent. Quod autem ſcribitur. 4. Meteo. c. 1. id quod feruet, aut calidum eſt, non putreſcere, quia aeris caliditas minor eſt ea, quæ in re eſt,

A eſt, ideo non ſuperat, neque mutationem vllam facit: Et in frigore minus putreſcere corpora ob eandem cauſam, quia modica eſt in ambiente caliditas, adeo vt ſuperare innatam caliditatem nequeat: Hęc omnia ſententiam quam diximus aſtruunt. Caliditas enim minor in maiorem agere nequit. At quod ibidem ſcribitur: Quod coagulatum eſt non putreſcere, quia magis eſt frigidum, quàm aer calidus, & ob id non ſuperari: Videtur ijs quæ dicta ſunt obſtare. Niſi enim oppoſitum ſuperet, non videtur poſſe agere; Oſtendimus tamen etiã id quod minoris eſt virtutis agere in oppoſitum quãquam potentius, vt in reactione eſt manifeſtum. Sed animaduertendum eſt; Cum actio inter contraria duobus modis contingat, vno modo cum alterius victoria, ſcilicet cum vnum in alterum conuertitur: alio modo cum ambo ad aliquod medium veniunt. Illo quidem modo non contingit fieri mutationem, niſi alterum ſuperet. Hoc autem eſt quod di-
B xit: id quod concretum eſt, non putreſcere: caliditas enim ambientis non eſt tanta, quæ frigiditatem concretionis in ſui naturam conuertat: permanente autem frigiditate non fit putredo, quia innata caliditas ſub illa frigiditate coercetur, nec finitur ab ambiente educi. Neque ſufficit aliquam fieri ab ambiente alterationem, niſi enim ſuccedat victoria, non ſuccedit putredo. At in mixtis non oportet contraria adeo diſparia eſſe, vt vnum ab altero ſuperetur ex toto: ſed quodammodo æquari oportet, vt non alterum eorum fiat, ſed medium aut exactum, vbi omnino æquales fuerint miſcibilium virtutes, aut non multum recedens ad alterum contrariorum ſecundum menſuram exuperantiæ. Quoniam autem contraria alia actu ſunt, alia autem poteſtate: etiam temperamenta ex ijs orta eaſdem differentias ſortiuntur. Patet igitur non omnia temperamenta naturalia ad tactum iudicanda eſſe. Cum enim mixtio ſecundum formas
C elementorum fiat: hæ autem poteſtates quædam ſint non energiæ, vt oſtenſum eſt alibi: tactui minus patere poſſunt: cum tactus non niſi ea quæ actu ſunt, ſentiat. Quemadmodum igitur in aqua feruente caliditatem extraneam tactu ſentimus, frigiditatem autem innatam & per ſe inexiſtentem nequaquam, ſed eam ex alijs operationibus iudicamus, vt coagulatione plumbi, & cita refrigeratione & alijs huiuſmodi, quæ à frigiditate fieri. 4. Meteo. abunde explicatur. Sic temperamenta quæ ex virtutibus elementorum conſtant, quam diu poteſtate fuerint, iudicare oportet. Huiuſmodi ſunt præcipuè externæ noſtri corporis partes: redduntur enim actu calidæ tum à caliditate cordis, tum ab ea quæ in ambiente eſt: Cordis autem ſolius energia eſt, eſt enim primum viuens, per ipſum autem reliqua viuunt ipſi adnata, vt in libello de communi animalium motu traditur. Quatenus autem actu eſt, tactu iudicari poteſt. Patitur tamen & ipſum

alienas caliditates & frigiditates, vt in morbis contingit. Ideo tunc D caliditas propria & innata potentia eſt, non actu, quatenus operationes ipſius aliquæ impediuntur ab extranea qualitate. Sed hæc non ſunt præſentis negocij. Quomodo igitur æquale temperamentum detur actu & poteſtate, & quomodo interim ab extrinſecis qualitatibus alteratum non tollatur, explicatum eſt.

Mixta, vt mixta ſunt, moueri nec ſimplici motu, nec mixto. Quæſt. V.

NON poſſunt mixta motu ſimplici moueri, quia ſimplex motus eſt ſimplicis corporis, & ſimplicis corporis ſimplex motus. primo cæ. tex. 8. Si ergo mixta quatenus mixta ſunt, motu ſimplici mouerentur, non eſſet vnus motus vnius corporis ſecundum naturam. Præterea ſi mixta deorſum moueantur, ſecundum naturam, terræ hic motus inerit præter naturam: aut eadem erit natura ſimplicis corporis & mixtorum: vnus enim motus ab vna natura prouenit. At verò neque motu mixto moueri contingit. Cum enim mixtum ſimilium ſit partium, compoſitionem motus ſuſcipere nequit, quatenus mixtum eſt. Nam ſecundum eandem lineam in oppoſitum idem moueri impoſsibile eſt: oporteret autem, cum omnia mixta componantur ex graui & leui, quorum motus eſt ad oppoſita loca. Si autem mixti hoc quidem ſurſum, hoc verò deorſum ferretur, diſſolutio eſſet mixtionis non compoſitio motuum. Omnino autem non poſſe componi motum ſurſum cum motu deorſum, vt ſimul in eodem corpore ſint, patet. Nam omnis motus mixtus ſecundum diametrum fit componentium, vt in Mechanicis oſtenditur. Diameter autem inter duas lineas ſecantes ſe inuicem cadit, vt ſi dum quippiam feratur deorſum, ſimul F moueatur ad latus: motus enim reſultat ab utraque linea diſcedens, adeo ut diametrum conſtituat: quemadmodum uidere licet in pluuiæ deſcenſu impellente interim vento ad latera, & in lapidis proiectione, ſimul enim grauitas lapidem paulatim inclinat à linea recta ſecundum quam proiectus eſt. At contrarijs motibus ſuper vnam lineam exiſtentibus, diameter conſtitui nequit, ergo neque compoſitio motuum. Præterea contrarijs motibus idem ſimul moueri impoſsibile eſt. octauo Phyſic. tex. 62. vt ſimul calefieri & frigefieri, eſſet enim ſimul idem calidum, & non calidum ſecundum idem: ergo neque ſimul idem moueri ſurſum & deorſum poteſt. Ex quibus patet motus non contrarios componi poſſe, contrarios autem nequaquam. At inſtabit quis: Mixtionem ex contrarijs fieri.

A ri. 2. de gener. & cor. tex. 48. Si ergò motus miſcentur, contrarios eſſe oportet. Amplius miſceri videntur motus ſecundum naturam, & præter naturam, vt ſi quis lapidem deorſum trudat, ſimul enim ab extrinſeco impellente & à grauitate mouetur. 3. cœ. tex. 28. eſt autem contrarius motus naturalis violento. Reſpondemus motus verè miſceri non poſſe: non enim quodcunque ſimul eſt in eodem, mixtum propriè dicitur, vt album cum muſico. Nam forma mixti vna eſt ratio ex contrarijs conſtans, illa autem vnum tantum ſubiecto ſunt, ratione diuerſa. Fieri autem vnum ratione non poſſunt niſi contraria quæ magis & minus dici poſſunt, hæc enim ſola medium habent in quo vnum fiunt extrema. At motus quatenus motus ſunt non ſuſcipiunt magis & minus: licet enim illa in quibus motus ſunt, magis & minus dicantur, vt calidum & calidius: calefactio tamen non magis & minus dicitur, ſed magna & parua, vt cætera quanta: At non B miſcentur quanta ſecundum quod quanta, ſed ſecundum contrarietatem. Ob hoc enim neque mixtio neque augmentatio ſecundum materiam fiunt, oporteret enim aut diuidi corpus omniquaque, vt vnaquæque pars eſſet iuxta vnamquamque miſcibilium, aut in eodem plura eſſe corpora & quantitates: quæ impoſsibilia ſunt. Præterea mixti ratio terminus eſt motus: alterari enim oportet & inuicem agere & pati miſcibilia, antequam vnum fiant: At motus non eſt alterius mutationis terminus: non enim mutatio mutationis eſt neque motos. 5. Phyſic. tex. 10. Motus ergo proprie miſceri nequeunt. Com probat hoc quod ſcribit Ariſtoteles. 1. cœ. tex. 7. vbi inquit: neceſſe eſt motus eſſe hos quidem ſimplices, hos autem mixtos quodammodo: addita enim eſt vocula: quodammodo: quoniam verè miſceri motus non poſſunt. Quoniam autem impoſsibile eſt contraria actu ſimul eidem ineſſe, ob id motus contrarij in eodē componi nequeunt. C Quod autem aliquando in eodem ſimul ſint motus violentus & naturalis, contingit, quoniam non omnis motus naturalis opponitur omni violento, vnum enim vni contrarium, vt ſi ſurſum fuerit ſecundum naturam, deorſum præter naturam erit contrariè oppoſitum. Motus autem deorſum à grauitate non opponitur eidem à proijciente aut ab alia potentia facto: idcirco ſimul eſſe poſſunt: oppoſitum enim impulſionis eſt, eius remotio: hæc autem ſimul non ſunt. Alio quoque modo contrarij motus componi videntur: vt vnus ſecundum accidens ſit, alter per ſe, vt accidit Planetis, qui ſimul motu propriè in ortum feruntur, motu autem continentis in occaſum: per ſe autem vtroque motu moueri impoſsibile eſſet. Similiter quies, & motus aliquando componuntur, vt ſi pila ſurſum proiecta lapidi deſcendenti occurrat: videtur enim quibuſdam ob id quietem non intercedere inter duos motus contrarios ſcilicet inter pi-

læ aſcenſum & eiuſdem deſcenſum, quia lapis continuè deorſum mo- D
uetur, nequaquam in pilæ occurſu quieſcens. At quies per ſe eſt pilæ quamdiu lapidem tangit: per accidens autem tunc mouetur ſcilicet ad motum lapidis. Componi ergo contraria hoc modo poſſunt, per ſe autem eidem ineſſe impoſsibile eſt. Non fit autem mixtio eo modo compoſitis contrarijs: vtraque enim miſcibilia per ſe inſunt in mixto virtute, non alterum tantum, 1. de gen. & cor. tex. 84. Mixta ergò ex graui & leui, quatenus mixta ſunt, moueri motu mixto nequeunt. Sed aduerſus hæc facere videntur verba Ariſtotelis. 1. cę. tex. 7. cum inquit: motus ſimplices eſſe corporum ſimplicium, mixtos autem compoſito rum. Si enim omnia corpora compoſita ex quatuor elementis conſtant, quorum alia grauia, alia leuia, motus mixtus ſi non in his fuerit, in nullis erit: ex circulari enim corpore & recto non componuntur vlla, cum cœlum inalterabile & incorruptibile ſupponatur: nam hoc mo do nihil obſtaret componi motus, cum rectus non contrarius ſit circu- E
lari. Apparet autem huiuſmodi cōpoſitio motus in igne, ſimul enim ſurſum feruntur eius particulæ, & circulariter ad motum cœli mouen tur. Præterea ſi graue & leue dicuntur magis & minus, mixtio erit ex vtriſque: dici autem magis & minus patet. 4. cœ. tex. 3. Eorum enim quæ grauitatem habent dicimus aliud quidem leuius, aliud verò grauius eſſe, vt ligno æs. Quod ſi potentiæ motiuæ mixtionem patiuntiuntur, ergò & motus earum miſceri neceſſarium videtur. Amplius ſi omnia corpora naturalia mobilia ſunt ſecundum locum. primo cœ. tex. 5. Mixta autem vt mixta ſunt, naturalia ſunt corpora, aliquem motum aſsignare illis oportet, quo ſecundum eorum naturam moueantur. Aut ergò ſimplici motu moueri dicendum eſt, aut mixto. Rationabilius autem videtur, vt mixto moueantur ſi ſimplex motus ſimplicis eſt corporis, mixtus autem mixtorum. Animaduertendum igitur eſt primum quidem, non conuenire motum mixtum ſecundũ F
naturam niſi compoſitis, ſimplicia enim ſimplici motu mouentur ſecundum eorum naturam: Non tamen omnibus cōpoſitis datum eſſe motum compoſitum ſecundum naturam: ſola enim organica eaq; nō omnia, ſed animalia gradientia hunc motum habent. Plantis enim nullus alius motus datus eſt quā augmentationis alterationiſque: nec animalibus omnibus: manſiua enim quædam ſunt more plantarum, quibus ſolum eſt ſenſus tactus, ideo nullis eorum organa ad motum data ſunt. Motiuum igitur ſecundum locum ijs ineſt ſolum, quibus cæteri ſenſus dati ſunt. 3. de ani. tex. 64. His autem omnibus inſtrumenta quoque tributa ad motum perficiendum, vt pedes, alæ, aut alia huiuſmodi, de quibus in libello de greſſu animalium agitur. Quęcunque igitur ſimilium ſunt partium, vt mixta omnia motu mixto moueri nequeunt ſecundum naturam: organa enim non habent. Propter hoc autem

A maximo artificio Ariſtoteles. 1. cę. tex. 7. motum mixtum non corporũ mixtorum eſſe dixit, ſed compoſitorum: propriè enim compoſitio dicitur eorum quę diſsimilium ſunt partium. 1. de gen. & cor. tex. 86. Deinde illud quoque eſt manifeſtum omnia corpora tum ſimplicia, tum mixta, tum organica motu ſimplici moueri, ſimplicia quidem ſecundum propriam eorum naturam, reliqua autem ſecundum naturã ſimplicis prædominantis. Videmus enim omnia grauitatem habere, aut leuitatem, ſecundũ quas virtutes motus fit vel à medio, vel ad medium, ſecundum rectum. 1. cœ. tex. 5. Quod ſi quid videatur motu mixto moueri, vt auium pennæ, quæ in aere deſcendentes ſimul vertiginem quandam patiuntur: calamo ſemper deorſum ſpectante: non eſt putandum ſecundum naturam mixtionis elementorum hæc pati: quãuis enim pars eius grauior deorſum ſpectet, leuior ſurſum: non tamen motus aliquis ſurſum fit, ſed omnes ſiue in toto, ſiue ſeparatim deor-
B ſum feruntur diſpari tamen velocitate, quæ in cauſa eſt vt pars grauior deorſum ſpectet: motus autem vertiginis contingit propter partium diſsimilitudinem & figuram. Cum enim aer ex earum motu non ſimilem plagam recipiat, diſsimiliter reſiſtit, vnde motus diſsimilis oritur. Patet etiam ex verbis Ariſtotelis ſimplicem eſſe motum qui in mixtis eſt ratione prædominantis: 1. cœ. tex. 8. vbi inquit: ſimplicem motum eſſe ſimplicis corporis, etenim ſi compoſiti ſit, ſecundum prædominans erit: Supponit igitur ſimplicem motum etiam eſſe compoſiti, at non ratione compoſitionis, ſed ratione ſimplicis prædominantis: vnde infert dari corpus ſimplex quod circulari motu moueatur ſecundũ ſuam ipſius naturam, non quemadmodum compoſitum ſecundum naturam ſimplicis in eo prædominantis: non valeret autem hæc illatio, niſi motus ſecundum prædominans ſimplex eſſet. Præterea motus mixtus qui ſecundum naturam ineſt compoſitis, vt animalibus,
C non eſt ſecundum elementum prædominans, vt patet: 8. Phyſicor. tex. 27. motus enim animalis progreſsiuus ſecundum naturam ipſi ineſt: corpus autem contingit & natura & præter naturam moueri: refert enim & quali motu moueatur, & ex quali elemento conſtet. Si igitur motus progreſsiuus eſſet ſecundum elementum prædominans, non contingeret præter naturã eſſe. Idcirco quod ſcribitur. 1. cę. tex. 7. motus mixtos eſſe compoſitorum, moueri autem ſecundum prædominans: non accipiendum eſt in eam ſententiam, vt motus mixti ſint ſecundum prædominans: ſed omnia compoſita præter motum mixtum in quibus is datur, moueri etiam motu ſecundum prædominans, qui ſimplex eſt: omnia enim motu ſimplici mouentur, non omnia mixto. Ex quibus facile ſoluere poſſumus ea quæ dubitata ſunt. Nam ad primam dubitationem concedimus motum mixtum conuenire corporibus compoſitis ex quatuor elementis, non tamen fatemur

propter compoſitionem ex graui & leui huiuſmodi motum ineſſe: ſi D
enim mixtus ob hanc rationem eſſet, miſceri oportuiſſet motum ſur-
ſum cum motu deorſum, non autem rectum cum circulari, aut plu-
res circulares. Moueri autem motu circulari partes animalis patet, om
nis enim motus in ipſis eſt ſecundum membrorum articulos, quibus
tanquam centris ijsq; immobilibus vtitur natura: ex multis autem hu
iuſmodi motibus in diuerſis articulis non ſecundum integros circu-
los, ſed circulorum partes totius animalis motus reſultat: vt in libello
de communi animalium motu oſtenditur. Non igitur huiuſmodi mo
tus animalibus ineſt, quia inſit corpus ſimplex aptum natum circulari
motu moueri: neque rectus aliquis ſi forte ineſt, quia elementum
adſit graue, aut leue: mouentur enim non propter huiuſmodi princi-
pia, ſed tractu & impulſu. 3. de ani. tex. 55. Ad alteram dubitationem
concedimus ſimiliter grauitatem & leuitatem intendi & remitti, vt ca
lidum & frigidum, & eodem modo ad medium aliquod venire, non E
tamen operationes earum mixtæ dicuntur, fiunt enim omnes à præ-
dominante: Calefactio enim ex primo gradu caliditatis non eſt mix-
ta frigefactionis: Nam in frigidum non agit quatenus aliquid in eo
gradu frigiditatis continetur, ſed ſolum quatenus calidum: actio e-
nim omnis eſt inter contraria: In ampliorem autem caliditatem non
agit vt calidum, ſed vt frigidum, ſic enim opponitur. Eodem mo-
do mixtum ex graui & leui, operatur alicubi quidem vt graue, alicu-
bi verò vt leue: ſimul autem vt graue & leue impoſsibile eſt: nō enim
vbique eadem dominantur. Supponatur enim leue dominari in a-
qua vſque ad ſuperficiem eius, ſupra hanc ſuperficiem dominabitur
graue: Et in calido & frigido ſupponatur gradus primus caliditatis
temperamentum ſuperare in caliditate per vnam partem, aget in ip-
ſum vt calidum: ſuperetur autem ab eodem in frigiditate per alteram
partem, temperatum in illud aget vt frigidum, donec aſsimilatio fue- F
rit facta. vltra quem terminum non aget amplius, quia non ſuperat.
Ex mixtione igitur calidi & frigidi, & grauis & leuis, non mixti mo-
tus oriuntur, ſed motuum termini accedentes aut recedentes ab extre-
mis ſecundum potentiam prædominantis. Quoddam enim graue
eſt vſque ad fundum aquæ, non vlterius: vt vrinarum hipoſtaſis: quod-
dam vſque ad aeris ſuperficiem ſuperiorem leue, vt exhalationes quę-
dam. Alia vſque ad aeris & aquæ contactum aut ſupra, aut infra, aut
medio modo (vt alibi eſt oſtenſum) hic quidem grauia, ibi verò le-
uia exiſtunt. Sed amplius dubitatur: Cum omne medium compona-
tur ex extremis, virtutes extremorum in mixto inerunt. 1. de gen. &
cor. tex. 84. ergò & operationes vtriuſque: vnumquodque igitur mix
tum ex calido & frigido ſimul calefaciet & frigefaciet, & mixtum ex
graui & leui mouebitur ſurſum & deorſum. An in medijs virtus extre
morum

A morum ineſt vt modo vni modo alteri comparantur? agunt enim ſemper ratione alterius extremi, ſimul autem in aliquod idem ratione vtriuſque agere impoſsibile eſt, non enim medium vtriſque extremis ſimul opponitur, actio autem omnis eſt inter contraria & eo modo quo contraria ſunt. At verò non videbitur eſſe differentia mediorum, ſi ſemper ratione vnius agunt non ratione vtriuſque miſcibilium. An differentia ſpectatur ex diuerſa proportione oppoſitarum qualitatum intenſionem ac remiſsionem facientium? Cum igitur actio vbique dominantis ſit qualitatis, oppoſitæ erit ad certum numerum actionis terminatio. Verbi gratia ſummus caliditatis gradus in ſummo calefacere poterit: nulla enim eſt admixta frigiditas quæ eius actionem terminet. Inferior gradus calefaciet minus ea quibus opponitur vt calidum, idque ſecundum rationem admixtæ frigiditatis: opponitur autem vt calidum omnibus iis quę illo minus calida ſunt: calidioribus B autem vt frigidum, idcirco calidiora frigefaciet ſecundum menſuram ſuperantis frigiditatis. Idem dicendum de graui & leui. Nam vbi dominatur graue, motus quidem fit deorſum, leuitas autem admixta grauitatem terminat ad certũ locum, vltra quem agit vt leue. Quomodo igitur grauius & leuius propter mixtionem contrarij dicantur explicatum eſt: nam alio modo grauius & leuius dicitur pro magnitudine & paruitate, maior enim terra grauior eſt quam parua, idcirco velocius deorſum tendit: & de igne ſimiliter & mixtis omnibus: ſed ſecundum hunc modum nõ variatur terminus motus, ad eundem enim locum fertur maior & minor terræ gleba, & maior & minor ignis: & quo fertur vna gutta olei fertur omne oleum: ſic plumbum & cætera mixta ad propria loca: ſed tantum velocitas & tarditas motus variantur, vt etiam in temperamentis accidit. Ad vltimam dubitationem, per quam oſtenditur mixtis vt mixta ſunt motum aliquem aſsignari C oportere, cũ ſint & ipſa corpora quædam naturalia: dicimus eſſe quidem neceſſarium omnibus corporibus naturalibus motum ineſſe ſecundum naturam, non tamen eſt neceſſe aſsignari ſecundum quaſcunque prædicationes: vnius enim vna eſt cauſa prima & immediata: ſufficit igitur mixta moueri ſecundum naturam ſimplicis prædominantis, qui motus ſimplex eſt, non autem ſecundum quod lignum, aut plumbum, aut lapis, aut aliud quid tale mixtum. Cauſa enim motus in omnibus vna eſt: ratio tamen mixtionis non vña. At verò ſecundum formam mixti nulla videbitur eſſe operatio, ſi neque motus localis neque alteratio ab illa fiunt, ſed à ſimplici dominante ſemper: generatio enim & augmentatio & oppoſitæ mutationes ſine alteratione non fiunt, alterationes autem omnes ad primas qualitates elementorum referuntur. Dicendum eſt ſecundum formam mixti certum haberi numerum ac menſuram tum alteratio-

nis

nis tum motus: quæcunque autem menſuram huiuſmodi & terminum inſequuntur, cum propria ſint vniuſcuiuſque mixtionis, meritò ipſi formæ mixti & toti ſubſtantiæ tribuuntur. Hinc igitur mirandi quidam rerum conſenſus ac diſſenſus ortum ducunt, quorum cauſæ minus manifeſtæ ſunt, quia certus vniuſcuiuſque mixtionis numerus, ac numeri efficacia minus comperta eſt: vt in propoſita materia mirum videatur ouum in aqua ſimplici fundum petere: multo autē ſale in eadem iniecto ad ſuperficiē emergere ac ſupernatare, grauior enim tunc ob ſalis mixtionem aqua facta eſt, ideo in ea ouum leue eſt. Eodē modo ſe habet lignum in aqua & oleo: in aqua enim leue eſt, in oleo autem graue, cum in eo quidem ſubterferatur, in aqua autem ſupernatet. Mirum etiam videatur in Argento viuo ſupernatare grauiſsima quæque, vt lapides, ferrum & reliqua metalla excepto auro, quod ſolum mergitur. Superat enim argenti viui grauitas reliquorum grauitatem, quæ in eo leuia ſunt: ſic ſe habet liquati plumbi humiditas ad æris & argenti grauitatem, innatant enim hæc olei modo. Sed circa hæc dubitabit quis: Si terra eſt ſimpliciter grauis & omnibus ſubſtat, quæ terræ magis ſunt vt lapides, non debuiſſent Argento viuo & cæteris metallis liquatis ſupernatare, quæ aquea magis ſunt. An terrea in coagulatione includunt ſemper multum aeris? cum enim à calido fiat eorum coagulatio, ad naturam exhalationis accedunt magis, quæ leuitatem præſtant. Metalla autem quanquam exhalationem multam contineant, tamen quia à frigore coagulata ſunt, & multum addenſata humore non aere poros replente, grauiora ſunt reddita: ob eandē rationem & inter metalla, quæ plus terræ adepta ſunt, vt ferrum & æs, leuiora ſunt, quam plumbum & aurum, in quibus plus ineſt humiditatis. Sed quo pacto mixtorum motus ſecundum prædominans ſimplex fiat, à forma autem mixti certus habeatur actionis & paſsionis terminus, dictum eſt. Vera igitur eſt propoſita ſententia mixtis quatenus mixta ſunt non datum eſſe motum neque ſimplicem neque mixtum.

D E F

In Generatione & Corruptione ſimplici non tranſmutari omnia, quæ in materia ſunt. *Quæſt. VI.*

COLLIGITVR hęc ſententia ex 1. Phy. tex. 76. vbi inquit: ſi ex equo canis fiat, per accidens animal ex animali fieri, eſt enim iam hoc. Cum ergo idem vtrique inſit rei ſcilicet genitæ, & ei ex quo generatur primò, nō oportet illud tranſmutari: nam ſi tranſmutaretur, tranſmutatio eſſet per ſe ex ente quatenus ens eſt, quod eſt impoſsibile. Eſſe autem in omni generatione aliquid idem vtrique inexiſtens, patet: oportet enim in omni tranſmutatione præexiſtere

A exiſtere aliquid, quod non tranſmutatur: nam ſi omnia tranſmutarentur, aut in infinitum procederent generationes. 7. Metaph. tex. 26. quo modo ad finem nunquam alicuius generatio perueniret: aut tandem ex nõ ente ſimpliciter aliquid per ſe fieret, quod ſimiliter fieri nequit. 1. Phy. tex. 75. Quoniam autem hæc ratio materiam præexiſtere oſtendit, quæ non fit: hæc autem duplex eſt, vna omnium communis, ex qua omnia fiunt: Altera vniuſcuiuſque propria: 8. Metaph. tex. 11. Primam omnium materiam manifeſtum eſt ingenitam & incorruptibilem eſſe: 1. Phy. tex. 82. reliquas autem fieri quidem & corrumpi quatenus earum eſt materia, vt reliquorum generabilium: permanere autem quatenus & ipſæ materiæ quædam ſunt: non enim ſimul fit ſtatua & æs, ſi æs materia eſt ſtatuæ: neque ſimul corrumpuntur: in materiam enim reuertuntur, vt lutea ſtatua in lutum, & Callias in carnem & oſſa. 7. Metaph. tex. 34. Bene igitur dictum eſt: ſi canis ex equo
B fiat, non generari animal, quoniam præexiſtit: Licet autem non detur in his tranſmutatio, ad rationem refert nihil, modum enim quærimus non ſubiectum. Patet autem quod dicitur in generatione animalium, cum enim vegetatiuum veluti materia fit ſenſitiui, ſenſitiuum autem per quod animal eſt, ipſius rationalis, & reliquarum differentiarum: oportet prius vegetatiuum fieri, quam animal, & animal prius quam hominem aut reliqua animalia. 2. de Gene. ani. cap. 3. vbi inquit: Senſualem etiam qua animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalẽ qua homo, certum eſt: non enim ſimul & animal fit & homo: nec animal & equus: & quæ ſequũtur. Cũ igitur homo per ſe fiat aut equus præexiſtere animal oportet & non fieri. In corruptione autem corrupto priori neceſſe eſt reliqua interire, vt corrupto vegetatiuo ſimul animal & equus corrumpuntur, non enim ſeparantur à vegetatiuo vt vegetatiuum ab illis. Si quid autem per ſe corrumpatur, non quia ali-
C quid aliud corrumpatur, permanere eius materiam oportet: vt corrupto vegetatiuo, caro & oſſa relinqui oportet, ſi hæc eius materia ſunt. Præterea inductione patet in omni trãſmutatione permanere aliquid, quod non tranſmutatur, quamuis & ipſum ſit tranſmutabile. Cum enim triplex ſit compoſitio corporum naturalium. 2. de Part. ani. c. 1. prima elementorum quæ ex prima materia & primis contrarietatibus tangibilibus fit: ſecunda ſimilarium corporum, ex elementorum mixtione: tertia diſsimilarium ex ſimilaribus certo modo diſpoſitis: Patet diſsimilaria in ſimilaria reſolui, vt pedem in carnes, neruos, oſſa & reliqua huiuſmodi: hæc autem in elementa: elementa autem in materiam omnibus communem. Quin imo etiam in elementorum tranſmutatione non ſemper vſque ad materiã primã fit reſolutio: vt quando finitima elementa tranſmutãtur, remanet enim vna cõmunis qualitas quæ non tranſmutatur, vt humiditas in tranſmutatione aeris &

aquæ in ſe inuicem. Et in ijs quæ opponuntur ſecundum ambas qualitates: quamuis vtræque mutentur, perſpicuitas tamen, quæ omnibus ineſt, non ſemper tranſmutatur: hæc autem omnia quamuis ſæpe in tranſmutatione ſimplici eadem permaneāt, tranſmutabilia tamē ſunt. Sed & multa quoque inſunt penitus intranſmutabilia, vt natura corporis, & quęcunque corpori vt corpus eſt inſunt. Corpus enim ſimpliciter intranſmutabile eſſe demonſtratur 3.cœ.tex.29.& 1.de gen.& cor.tex.27. Si enim corpus per ſe fieret, oporteret ex aliquo fieri, quod non eſſet corpus actu, ſed potentia: hoc autem modo vacuum ſeparatum daretur. Quod ſi hoc intranſmutabile eſt, etiam ipſum continuū & reliqua conſequentia intranſmutabilia ſunt. In tranſmutatione igitur primorum corporum hæc remanent, quæ minimè tranſmutantur: In mixtione autem ex elementis ipſa elementa, ſi non omnino ſaltem aliqua ex parte permanent incorrupta, vt alibi oſtenſum eſt: & ſimilaria in diſsimilaribus, quæ neque fieri eſt neceſſe cum illa fiunt, neque corrumpi, dum illa corrumpuntur. Sed huic ſententiæ videtur obſtare, quod ſcribit Ariſtoteles. 1.de gen.& cor.tex.23. vbi ponēs differentiam inter alterationem & generationem, inquit: alterationem quidē eſſe, quando manente ſubiecto ſenſibili tranſmutatur in eius affectionibus: Quando autem totum tranſmutatur non manente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem ſed quaſi ex ſemine toto ſanguis, & ex aqua aer, aut ex aere toto aqua, generationem hanc eſſe huius, illius verò corruptionem. Significare igitur videtur in tranſmutatione ſecundū ſubſtantiam omnia tranſmutari, nihil autem permanere idem præter materiam primam, quæ ſecundum ſe non eſt ſenſibilis. Nam alioqui non eſſet differentia inter generationem & alterationem. Præterea ſi generatio mutatio eſt de non ſubiecto in ſubiectum: corruptio autem de ſubiecto in non ſubiectum. 5.Phyſi. tex.7. nihil manere oportet in his mutationibus, quod affirmatione mōſtrari poſsit idem in vtriſque: ſubiectum enim dicitur quod affirmatione mōſtratur. Adhæc ſi oportet aliquid manere in omni tranſmutatione, illud aut ſubſtantia erit, aut accidens: Siquidem ſubſtantia: quod adueniet ſubſtantia nō erit, eſſet enim in ſubiecto: Si accidens, prior erit generatione accidens quàm ſubſtantia: At omnibus modis ſubſtantiam priorem eſſe ipſis accidentibus, affirmat Ariſtoteles.7.Metaph.tex.4. Animaduertendū igitur eſt, vniuſcuiuſque ſubſtantiam, quamuis compoſita ſit ex actu & poteſtate, tamen vnam eſſe non ſecundum accidās ſed per ſe.8.Metaph.tex.15. actus enim qui perficit, in vnoquoque vnus eſt, ſcilicet finis, cuius gratia cætera ſunt. 4.Meteo. cap.vltimo. Accidens autem & ſubſtantia non vnum ſunt niſi ſecundum accidens. 7.Metaph. tex.41. non enim alterum alterius gratia eſt. Sed ipſa ſubſtantia finis eſt vniuſcuiuſque: accidentia autem ſubſtantiæ ſuperueniunt non tanquam

eius

A eius perfectiones, ſed aut ex neceſsitate materiæ, aut propter cauſam efficientem. Quod ſi accidentium finis eſſet aliquis, aut ipſa finis ratio nem haberet, ſubſtantiæ eſſent, vt innuitur 8. Metaph. tex. 12. Quibus hoc modo conſtitutis facilè ſoluuntur dubitationes. Cum enim vnū quatenus vnum indiuiſibile ſit: ſubſtantiæ autē ratio vna exiſtat, ſubſtantiæ generatio ſimiliter & corruptio non ſupponit alteram ſubſtantiam actu exiſtentem: eſſet enim alteratio, nec vnum per ſe fieret in huiuſmodi mutatione: diuideretur enim in duas rationes actu exiſtentes: ex duobus autem in actu nequit vnum per ſe fieri 7. Metaph. tex. 49. Quod ergò dicitur 1. de gen. & cor. tex. 23. Generationem mutationem eſſe totius in totū nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem, bene dicitur: cum enim forma & ratio ſit ipſum totum, 2. Phy. tex. 31. & tandem quod continet & ipſum perfectum totum ſit 5. Metaph. tex. 31. hoc corrupto, non remanet aliquid quod tanquam ſubie

B ctum dici poſsit idem exiſtens: licet enim præparationes multę in materia remaneant, nō tamen conſtituunt ſubiectum actu, & ſubſtantiā, ſi finem non habeant, cuius gratia ſunt, vt alibi eſt oſtenſum. At dubitabit quis: ſi abſente fine non eſt ſubſtantia, conceditur autem remanere materia, & cum ipſa conditiones multæ, videbitur dari materia ſeparata à ſubſtantia. An non ſequitur? Si enim vnius generatio eſt alterius corruptio & è contra, 1. de gen. & cor. tex. 20. non poteſt materia vnquam ſine priuari, vnius enim demptio eſt alterius acquiſitio. In alteratione igitur permanet ſubſtantia eadem exiſtens, vt homo cum mutatur ſecundum affectiones: in generatione autem nihil eſt quod hoc modo permaneat: quamuis enim multa ſenſibilia remaneant ſeu tanquam diſpoſitiones pro forma futura, ſeu pro ea quæ receſsit, ſiue vtroque modo: & accidentia multa diſpoſitiones illas inſequentia, nō tamen efficiunt ſubiectum idem: alterum enim eſt ſubiectum quod

C genitum eſt, ab eo ex cuius corruptione factum eſt: quia altera ſubſtantiæ ratio. Non igitur corpus ſubiectum eſt elementorum: nec elementa mixtorum: nec ſimilaria diſsimilarium: nec tandem genus ſubiectum eſt ſpecierum, vt animal hominis aut canis, ſed omnia hæc materia ſunt: ſola autem ſubſtantia, vt ſpecies vltima, & ſingularia cæteris ſubijciuntur, hæc enim ſola totius habent rationem. Quod verò dicitur 5. Phy. tex. 7. Subiectum eſſe quod affirmatione monſtratur: generationem autem mutationem eſſe de non ſubiecto in ſubiectum corruptionem verò è contra, quaſi nihil permanere oporteat (quod enim permanere cōcedimus, affirmatione monſtratur) aſſerimus hoc dictum eſſe, quia id quod per ſe ſit, non ex ente ſit 1. Phy. tex. 76. ex priuatione enim fieri oportet quæ eſt per ſe non ens: idcirco ſubiectū ex non ſubiecto ſit, vt homo ex nō homine: homo affirmatione monſtratur, non homo autē & omnino non ens nequit affirmatione monſtrari.

ſtrari. Quod ſi neque verum ſit ſimpliciter ex non homine fieri (non enim ex omni nō homine fit homo, ex lapide enim non fit, qui tamē eſt non homo: nec tandem ex eo quod omnino non eſt, de quo verum eſt dicere non hominem. 1. Periherm. Nam nomen infinitum ſimiliter eſt in quolibet quod eſt & quod non eſt) ſed oportet aliquo modo ens eſſe id ex quo fit, præexiſtere enim ſemper aliquid eius quod fit, vt materiam & eius præparationes, ſuperius oſtenſum eſt: nō tamen ex eo per ſe fit quatenus eſt, ſed quatenus non eſt: per accidēs igitur tum ex ente vt ens eſt, tum ex non ente vt non ens eſt, fit: id eſt non per ſe aliquid fit neque ex ſubiecto quod per ſe ens eſt, neque ex priuatione quæ eſt per ſe nō ens: illud quidem quia id quod eſt non fit: hoc autem, quia id quod non eſt ſimpliciter, nequit fieri, cū præexiſtere eius quod fit aliquid oporteat. 1. Phy. tex. 77. Quatenus igitur id quod per ſe fit, ex non ente fit: nam & ſi ex ente fiat, nō tamen quatenus ens eſt, ſed quatenus non eſt: dictum eſt ex non ſubiecto ſubiectum fieri: quomodo non ſubiectum nequit affirmatione monſtrari. Quatenus verò affirmatione monſtratur, id quod præexiſtit, non per ſe fit ex eo, quia non quatenus eſt, fit. Hoc igitur modo accipiendum eſt ex non ſubiecto ſubiectum fieri & è contra: Subſtantia enim quæ fit ſubiectum eſt, cui oppoſita priuatio negatio eſt, ideo nequit affirmatione monſtrari: quod in cæteris mutationibus non accidit: contrariorum enim priuationes affirmatione oſtenduntur, vt frigidum, nigrum, nudum. 5. Phyſ. tex. 9. Idcirco mutatio ſecundum ſubſtantiam in contradictione poſita eſt: motus autem in contrarijs: dicuntur enim omnia contraria de ſubiecto: ſubſtantia autem de nullo.

D

E

Ad vltimam dubitationem cum quæritur, vtrum ſubſtantia ſit an accidens id quod permanet, concedimus diſpoſitiones materiæ cum ipſa materia ſubſtantias eſſe potentia ante quam finem adepta ſint. Quoniam verò interim ſub altera forma ſunt, ſiquidem illius quoque partes fuerint, ſubſtantiæ actu erunt, vt humiditas tum aquæ tum aeris pars eſt: caliditas autem in aqua quidem accidens, in aere autem qui ex ea gignitur, ſubſtantia. Neque ſequitur ſubſtantiam in ſubiecto eſſe: Forma enim quæ per generationem aduenit, non ſubiecto aduenit, ſed materiæ, id eſt non quatenus actu eſt, ſed potentia: ſic enim vnum per ſe fiunt. Neque accidentia priora ſunt ſubſtantia, inſunt enim alteri ſubſtantiæ actu exiſtenti, ex cuius tranſmutatione generatur altera. Ex dictis etiam ſoluitur illa difficultas, cū dubitatur. vtrum accidentia migrent de vno ſubiecto in alterum ſubiectum: videntur enim multa quæ in viuente animali erant, in cadauere ineſſe, vt figura, cicatrix, & alia huiuſmodi. Et motus vnus veluti deſcenſus uidetur ineſſe duobus ſubiectis mobilibus, ſi animali ex præcipitio cadente, in itinere moriatur, non enim videtur idem ſubiecto corrupto animali,

F

A mali, motus tamen vnus eſt, quia continuus, non interpollatus quietè dum moritur: oſtenditur tamen. 5.Phyſ. tex.35. vnum motum vnius eſſe mobilis. Quidam negauerunt eandem eſſe figuram mortui & viuentis: ſimiliter neque cicatricem neque alia vlla eorum quæ eadem apparent: neceſſe enim eſt hoc modo dicere ijs qui in trāſmutationē ſubſtantiæ omnia tranſmutari putant. At repugnat non ſolum ſenſui, ſed & verbis Ariſt.4.Meteo.c.vlt. cum inquit: Quarè quando exiſtūt & quando non, nō facile eſt perſpicere, niſi valde deperditū fuerit, & figuræ ſolæ fuerint reliquæ, veluti inueteratorum mortuorū corpora, quæ ſubito cinis fiunt in ſepulchris, & quæ ſequuntur: Vult igitur relinqui multa eadem in mortuis, quæ ſunt in cauſa, vt non videantur corrupta eſſe, niſi valde fuerint deperdita, vt ſolæ figuræ relinquantur. Dicimus igitur ea ſolum mutari quę inſequuntur formā: vt corrupto leui, deſinit moueri ſurſum: corrupto oculo, deſinit videre: quę autē
B inſequūtur materiam, nō eſt neceſſe corrumpi, remanet enim eadem materia, quæ non corrumpitur, vt corrupto animali remanet grauitas prædominans in mixtione, ſecūdum quam fit motus deorſum. Si igitur animal ſecundum quod animal deorſum moueretur, eo corrupto nō amplius tali motu moueretur: cōtinuus autem & vnus motus eſt, quia id quod per ſe mouetur vnum eſt, ſcilicet terreum corpus, quod permanet in trāſmutatione: animal autem & cadauer per accidēs mouentur motu grauium: eodem modo & de cæteris eſt dicendum, quę materiam inſequuntur. Neque ob id fit migratio accidentiū de ſubiecto in ſubiectum, idem eſt ſubiectum eorum quæ remanēt, quamuis non ſimpliciter idem ſit: cum tranſmutatio ſecundum ſubſtantiam fiat: in qua generatur aliquod ſubiectum non ſimpliciter ſubiectum neque ex non ſubiecto ſimpliciter ſed ex ente, quatenus tamen non ens eſt. Sed amplius dubitabit quis: ſi hæc admittantur, ſubiectum
C accidentium, nō erit actu ſubſtantia, ſed potentia: materia enim quę remanet in generatione non eſt hoc aliquid ſecundum ſe. 1.Phy.tex. 69. At accidentia omnia in ſubiecto ſunt quod actu eſt hoc aliquid: Cætera nanque de ſubſtantia prædicantur, hæc verò de materia.7.Metaph. tex.8. Dicimus accidentia quæcunque materiam inſequuntur, inſequi illam nō quatenus potētia eſt, ſed quatenus actu: omnis enim materia vſque ad primam quæ omnino informis eſt, actum quendam habet priorem potentia, cuius eſſe alterum eſt ab eo quod potētia eſt: vt Aeris eſſe alterum eſt, à potentia quam habet ad ſtatuam: eſſe autem alterum ipſum ſubiectum ab eiuſdem potentia, oſtendit Ariſtoteles.3.Phyſ. tex.10. poſſe enim valere & poſſe ægrotare alterum eſt: nam ſi idem eſſet, idem quoque eſſet valere & ægrotare: Subiectum autem & id quod valet, & ægrotat, idem eſt & vnum. Quod igitur alibi dicitur, eandem eſſe potentiam contrariorum, ſignificat ſubiectum

idem eſſe tanquam genus, cuius eſſe alterum eſt à cōtrarietate: vnum D
enim numero eſt materia cum priuatione. 1. Phy. tex. 66. Sed alterum eſt eſſe. Materia igitur quatenus potentia eſt ſubſtantia, ſubijcitur formæ: quatenus autē ſubiectum quoddam eſt actu ſubijcitur accidentibus. Cum ergo dicitur accidentia quædam inſequi materiam, non accipiendum eſt, quatenus materia eſt, ſed quatenus ſubiectum: huiuſmodi autem ſubiectum non tranſmutatur in generatione & corruptione, ſed permanet cum ijs quæ illi accidunt.

Materiam primam corpus eſſe quatenus corpus. Quæſt. VII.

QVAERI ſolet de materia prima, vtrum actum aliquem habeat intranſmutabilem: Cum enim poteſtate ſit ſubſtantia & ens, 1. Phyſ. tex. 69. nullum actum uidetur ex ſe habere. Videntes autem quidam tres dimenſiones, quæ in omnibus ſunt E
corporibus, neque fieri neque corrumpi, quantumcunque tranſmutentur inter ſe corpora: putauerunt hanc in materia prima formam eſſe coæternam, per quam ipſa corpus eſſet: Alij autem animaduertentes tres dimenſiones quantitates eſſe: Corpus autem ipſum ſubſtantiam, veriti ſunt illas formam corporis conſtituere: idcirco aliam formam quam corporeitatis vocant, excogitarunt, quæ eſſet in genere ſubſtantiæ: dimenſiones autem illi ſuperuenire. Quoniam autem per hæc videbatur prima materia actu ſubſtantia eſſe & quanta: cum oppoſitum dicat Ariſtoteles. 7. Metaph. tex. 8. vbi inquit: Materiam eſſe, quæ per ſe ipſam non eſt neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud, quibus ens determinatur: putauerunt hanc difficultatē declinare, ſi ponerent corpus & dimenſiones quæ in materia ſunt, terminis carere, ſic enim fieri, vt eius eſſe ſit tantum potentia: interminatum enim & informe ſecundum ſe, terminos quoſcunque & for F
mas ſuſcipere eſt aptum. Alij autem in prima materia cōpoſitionem aliquam excogitari poſſe negauerunt, cum vltimum ſit in quod entia reſoluuntur. 1. Phy. tex. 82. idcirco neque formam aliquam neque affectionem illi ineſſe, cum per ſe informis ſit & inaffecta. Nullum igitur alium actum materiæ primæ eſſe putauerunt, quam ipſam potentiam. Potentiam autem hanc recipiendi formas indeterminatè eſſe ipſam materiam: determinatā enim potentiam ad hanc vel illam formam corrumpi præſente forma, indeterminationem autem ipſius nequaquam. Sed & hæc ſententia patitur difficultates: omnis enim potentia ſiue indeterminatio ſiue habilitas de aliquo ſubiecto dicuntur, relationem enim habent ad actum, ſiue terminationem, ſiue formas: omnis autem relatio ſubiectum requirit: magis igitur materia erit ipſum ſubiectum. Præterea materia pars eſt compoſiti, vt æs ęneæ

A ſtatuæ: 3. Phy. 66. at potentia in actum tranſit, non componitur cum actu, vt viſus in ſpeciem quæ videtur, & intellectus in id quod intelligitur: non ergò duæ eſſent naturæ in cõpoſitis, materia ſcilicet & forma, ſed forma tantum, vt ijs contingit, quæ ſine materia ſunt. Quod ſi dicatur materiam eſſe ſubiectum aliquod, cuius eſſe ſit poſſe tãtum, idem contingit, ipſum enim poſſe tranſit in eſſe, vt potentia in actum. Materia igitur tranſiret in formam, non componeretur cum forma: oportet ergò alterum eſſe ipſum ſubiectum potens, & eiuſdem potentiam. Quod ſi alterum: ſequeretur ipſa potentia, non enim ineſt in ratione ſubiecti: quid ſubiectum fuerit? aut enim ens aut non ens. Si concedatur non ens, generatio erit ex nihilo, quod impoſsibile eſt: & non ens permaneret cum ente, materia enim permanet: Si verò admittatur ens eſſe, iterum aut actu aut potentia: ſi potentia, eadem reuertitur quæſtio, vtrum ſcilicet potentiæ ſubijciatur aliquid aliud an B non: Aut igitur ratio procedet in infinitum: aut primum ſubiectum actu eſt: ſi enim potentia, non eſſet compoſitio ex materia & forma, ſed materia tranſiret in formã, vt potentia in actum. In eundem ſcopulum incidunt, qui formam corporeitatis ponũt, fatẽtur enim ſimiliter eam formã indeterminationem quandã eſſe & flexibilitatem vt vocãt ad omnes formas: ſed amplius in eo peccant, quod huic formæ alterũ ſubiectum ſeu materiam ſubijcere eſt neceſſe, non enim forma eſt abſtracta: ante materiã igitur primam altera materia, de qua eadẽ quæri poſſunt, & eadem impoſsibilia admittunt. Nos igitur dicimus primam materiam vltimum eſſe ſubiectum in quod reſoluuntur tranſmutabilia quatenus tranſmutabilia ſunt: neque componi amplius ex actu & potentia, eſſet enim generabilis: eſſe autem partim actu, partim potentia: actu quidem quatenus ſubiectum quoddam eſt: potentia autem quatenus reſpicit perfectiones ad quas ordinatum eſt: earum C enim gratia eſt non per ſe ipſum. Cum igitur conſideratur potentia, informis & inaffecta eſt: idcirco neque quid, nec quanta, nec aliquod cæterorum entium, imo neque eorum negationes, vt vult Ariſt. 7. Metaph. tex. 8. nam & negationes per accidens ſunt. Cum autem conſideratur eius actus, abſolutũ quiddam eſt & ſubſtantia ſui generis, ideo ſubiectum potius quam materia. Conſideratio enim materiæ potentiam includit non actum: ſubiecti autem actum non potentiam. Eſt autem huiuſmodi actus quidam perfectior quidam imperfectior vt propinquior aut remotior eſt à fine: Corpus enim organicum propinquius eſt perfectioni quã ſimilare, & ſimilare quã Elementa: & hæc quam vltimum ſubiectũ. Quod autem ipſius materię aliquis actus debeat eſſe prior potentia patet. 9. Meta. tex. 14. vbi oſtenditur actũ potẽtia priorem eſſe generatione & tempore: quia eius quod fit aliquid factũ eſt, & eius quod aliquo modo mouetur, aliquid motum eſt: & qui

diſcit,aliquid ſcientiæ habet. Similiter ergò & quod ad ſubſtantiã ten D
dit,aliquid ſubſtantiæ habeat neceſſe eſt: huiuſmodi autẽ eſt ipſa ma-
teria non quatenus potentia eſt, ſed quatenus actu. Eſſe autem pri-
mam materiam hoc aliquid & ſubſtãtiam patet.9.Metaph. tex.12. vbi
prædicationem materiæ in compoſito obliquam & denominatiuam
eſſe ſcribit,extra compoſitum autem primitiuam & rectam vt cætera-
rum ſubſtantiarum: vt arca lignea non lignum: lignũ autem terreum
non terram. Quod ſi aliquid eſt primum,quod non ſecundum ali-
quid dicitur illius modi,hoc prima materia: vt puta ſi terra aerea, aer
verò non ignis ſed igneus, ignis prima materia eſt tanquã hoc aliquid
& ſubſtantia. Quemadmodum igitur prędicatio primitiua & recta
prior eſt obliqua & denominatiua, ſic actus primæ materiæ prior eſt
eiuſdem potentia. Et paulo mox: prædicationem obliquam indeter
minationem ſignificare teſtatur,idcirco materiæ cõuenire & affectio-
nibus quatenus de ſubſtantia prædicantur. ambo etenim indetermi- E
nata ſunt: Ipſum autem ſubiectum ſeu quatenus ſubijcitur affectio-
nibus,ſeu ſpeciei & formæ,determinatum quippiam eſſe oportet: in-
determinatio enim accidentiũ ad ſubiecti terminationem reducitur,
quæ ſubſtantia eſt: Materiæ autem ad ſubiectum formarum,quæ ſub-
ſtantia materialis eſt. Ex his igitur colligimus quamcunque materiam
ſeu primam ſeu poſtremam indeterminationem habere & potentiam
ad ſubſtantiam,aut reliqua prędicamenta: quædam enim potentia eſt
ſolum ad vbi, vt cœlum: quædam ſimpliciter ad ſubſtantiam, & quæ
ad illam ſubſtantiã ſequuntur,vt generabilia & corruptibilia. Sed an-
te illam indeterminationem actum quendam habere, ſecundũ quem
prædicatio recta de ipſa fiat: ideo ſubſtantiam eſſe & hoc aliquid:
Non eſſe autem idem huiuſmodi actum & eius potentiam ſeu inde-
terminationem: non enim eſt quemadmodum actus primus, qui idẽ
quodammodo eſt potentia ad actum ſecundum: nam hoc modo nõ F
eſſet cõpoſitio ex materia & forma, ſed tranſitio materiæ in formam:
actus enim ſecundus non cõponitur neque cum potentia neque cum
actu primo: ſed ſtatua ex figura & ære componitur: ſic autem & cæ-
terę ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles, non enim idem eſt æris
eſſe & potentia mobile.3.Phy.tex.9. nec idem caro & potẽtia manus:
nec aqua & potentia pupilla & de reliquis eodem modo. Sed in po-
ſterioribus generatione facile eſt videre quis actus eſt materiæ: no-
tum enim eſt quid caro,quid os,quid neruus: ſimiliter & horum ma-
teria,vt quid aqua,quid terra: ſed quid horũ materia, quæ prima eſt,
difficile eſt videre, indeterminationem enim habet ad omnia opera
naturæ: cæteræ autem materiæ indeterminationem tantum habent
ad quædam. Quis igitur actus & quæ perfectio primæ materiæ ſta-
tuenda ſit,hinc conſideretur. Cum autem ſit manifeſtum permanere
mate-

A materiam in vnaquaque tranſmutatione, ſi quid ſimpliciter permaneat in omni tranſmutatione, quod prædicationem habeat rectam non obliquam, dicendum eſt id eſſe primam materiam, ſeu primum ſubiectum & ſubſtantiam materialem. Demonſtratum autem eſt ab Ariſtotele. 3. cœ. tex. 29. id eſſe corpus vniuerſum: hoc enim ex potentia corpore, actu autem nullam habente magnitudinem fieri nequit: nam vacuum ſeparatum daretur. Significat autem per vniuerſum, ipſum ſimpliciter corpus, id eſt quatenus corpus eſt: fieri enim poteſt quoddam corpus ex quodam corpore vt aer ex aqua, & magnum ex paruo: ſimpliciter autem corpus impoſsibile eſt niſi ſecundum accidens vt ex animali animal: oporteret enim ex non corpore fieri. Prçterea ex reſolutione compoſitarum ſubſtantiarum patet corpus vltimum eſſe. 3. Metaph. tex. 17. vbi inquit: cætera omnia affectiones eſſe non ſubſtantias: corpus verò ſolum quod hæc patitur, permanet tan
B quam aliquod ens & aliqua exiſtens ſubſtantia: Quando autem paulo inferius dubitat: corpus non videri ſubſtantiam, quia dimenſiones, quibus corpus determinatur, vt longitudo, latitudo & profunditas non videntur eſſe ſubſtantiæ: inquit: fugiet profectò nos quid nam ſit ens, quæve entiũ ſubſtantia eſt: quaſi hæc vltima ſint, in quæ fiat reſolutio ex parte materiæ. Idem ſignificauit. 7. Metaph. tex. 8. vbi inquit. Enimuero ablata longitudine, latitudine, & profunditate, nihil videmus reliquũ, niſi ſi quid eſt, quod ab eis determinetur: id eſt corpus. Amplius ex natura continui idem colligitur. Si enim forma omnis ſecundum ſe indiuiſibilis eſt, ratione autem materiæ diuiditur vnumquodque, oportet materiam ſecundum ſe diuiſibilem eſſe. At diuiſio affectio eſt magnitudinis & multitudinis. 3. Phy. tex. 35. continui autem eſt diuidi in ſemper diuiſibilia. 6. Phy. tex. 3. neceſſe eſt igitur materiam continuum quid eſſe & magnitudinem: omnia enim
C phyſica corpora magnitudinem habent. Et 3. Phy. tex. 65. inquit: infinitũ eſſe perfectionis magnitudinis materiam, totum enim nõ ſecũdum ſe diuiſibile eſt, ſed ſecundum ipſum quantum, cuius affectio per ſe eſt infinitũ. Et 1. de gen. & cor. tex. 29. Neque punctos neque lineas ponendũ corporis materiã: illud autẽ cuius hæc vltima, materia erat, quã neque ſine affectione neque ſine forma poſsibile eſt eſſe. Itẽ oſtẽſum eſt alibi corpus ſupremũ quoddã genus eſſe ipſius ſubſtãtiæ: ſuprema autẽ genera nõ cõponuntur ex alijs: neque enim ſenſibilem neque intelligibilem materiã habent. 8. Metaph. tex. 16. ſed aut formę ſunt incõpoſitæ aut materia. Corpus autẽ formã eſſe impoſsibile eſt, hæc enim indiuiſibilis per ſe eſt, corporis autẽ natura per ſe diuiſibilis eſt: Materia igitur erit. Significauit autem Ariſt. 1. cœ. tex. 95. ipſum corpus materiã eſſe, cũ inquit. Totũ cœlum, id eſt ipſum vniuerſum, vnũ tantum eſſe non plura, quia vniuerſam materiã comprehendit:

eſſe autem hoc corpus naturale & ſenſibile: Et 1.cœ. tex.1. inquit: D ſcientiã de natura ferè plurimam verſari circa corpora & magnitudines, & horum affectiones & motus, & principia: per principia enim videtur ſignificare formas ipſas, per corpora autem & magnitudines; materiam ſiue ſubiectum: hoc enim eſt primum omniũ ſubiectum: Ex quibus illud etiam patet: eundem eſſe actum materiæ tum cœli tum generabiliũ & corruptibiliũ: vna enim eſt ratio corporis. 1.cœ. tex.2.& ſimiliter ingenitum & incorruptibile eſt corpus vniuerſum: Potentiam autem, quæ eſt ratio materiæ nõ eandem eſſe: Cœli enim materia potentia eſt ad vbi tantum: 8. Metaph. tex. 12. non quidem hoc modo vt potentia ſit ad motum, nam & hic ſimiliter æternus eſt, potentia autem omnis ſimul contradictionis eſt: idcirco poſſet aliquando non moueri cœlum: Sed eo modo tantum potentia, id eſt vnde & quo: hæc enim mutantur.9.Metaph.tex.17. Verum aduerſus ea quæ dicta ſunt, dubitatur. Nam primò non videtur corpus incompoſitum quid eſſe. Nam tres dimenſiones quibus conſtat corpus, ſubiectum aliquod requirunt: longitudo enim, latitudo & profunditas & tandem ipſum continuum non ſimpliciter dicuntur, ſed de altero. Si igitur hęc corporis ſubſtantiam conſtituunt, alterum erit corpus & corporis materia. Præterea, ſi omnis actus & omne eſſe ab eo pẽdet quod ſimpliciter eſt, & ſimpliciter actus, qualis eſt primus. 1.cœ. tex.100.corporis igitur actus ab eodem fluet: non enim corpus prima eſt ſubſtantia neque primum quid. Componi ergo oportet corporis naturam ex actu & poteſtate, ex actu ſcilicet, quatenus eum recipit ab altero actu, à quo pendet: ex poteſtate autem quatenus recipiens omne priuatum eſt: altera igitur erit corporis materia. Amplius in ratione corporis eſt ſuperficie terminari. 3.Phy. tex.40. ob id enim probatur infinitum corpus non dari. Si igitur materia corpus eſſet, non poſſet alios terminos recipere, niſi deſtruerentur proprij: at ſuppoſuimus materiam principium eſſe permanens. Vltimo dubitare licet, vt dubitat Ariſtoteles. 3.Metaph. tex.17. ſi enim corpus definitur longitudine latitudine & profunditate, hæc autem non ſunt ſubſtantiæ, ſed quantitates, vt etiam confirmatur.7.Metaphy.tex.8.corpus igitur non erit ſubſtantia, ergò neque materia, hæc enim ſupponitur ſubſtantia eſſe. Ad primam dubitationem dicimus, non eſſe neceſſarium tres dimenſiones alteri materiæ aduenire: nihil enim aliud eſt trina dimenſio quam natura corporea: hæc autem eſt primum ſubiectum omnium corporum naturalium. Quod autem dimenſiones & continuum omne de altero dicuntur, verum eſt, ſubiecta enim ſubſtantia eſt ſenſibilis, vt terra, ignis, cœlum: non tamen aliquam materiam perficiunt, ſed perficiuntur tantum: ſunt enim primi actus, qui corporibus naturalibus inſunt, & imperfectiſsimi. Propter hoc abſtra-

A abſtractione ſeparando à corporibus naturalibus, non ſunt ſubſtantię, vt Mathematici conſiderant: diſpoſitiones enim materiæ propter finẽ & ſubſtantiam ſunt, ſeparata autem à ſubſtantia, non amplius habent rationem ſubſtantiæ. Non igitur eſt mirum, fugere ipſam ſubſtantiã, cum reſoluimus in vltimas conditiones materiæ, vt notauit Ariſtoteles, in quem errorem incidebant antiqui, putantes ipſum ens & ſubſtantiam eſſe materiam: ideoq; corporum principia putauerunt eſſe omnium principia. At magis ſubſtantia eſt ipſa forma, huius enim gratia materia eſt. Quod autem corpus dicatur componi ex trina dimenſione, non ob id compoſitum quid eſt ex materia & forma: tres enim dimenſiones partes ſunt rationis: quæ licet inter ſe ordinem habeant vt materia ad formam, (ſimpliciſsima enim eſt longitudo, quæ ſecundum vnum diuiſibilis eſt: magis compoſita quodammodo latitudo diuiſibilis exiſtens ſecundum duo: adhuc magis profunditas diuiſi-
B bilis ſecundum tria, quæ eſt natura corporis) non tamen linea materia eſt ſuperficiei, neque ſuperficies corporis: componeretur enim continuum ex indiuiſibilibus, nam cõparatæ inter ſe magnitudines termini ſunt. Quamuis igitur dimenſiones de altero dicantur, non tamen alterum eſt corpus & corporis materia, niſi materiam appellemus ſubſtantiam compoſitam, in qua ſunt conditiones materiales. Ad alteram dubitationem dicimus, dependentiam entium à primo ente non ſupponere ex neceſsitate præexiſtentem potentiam: ſic enim proceſſus eſſet in infinitum: nam ante illam potẽtiam alter actus requireretur, in quo fundaretur potentia, ſi omnis potentia alicuius eſt: huiuſmodi autem actus aut erit independens, quod in natura nõ conceditur, multitudo enim principatuum non eſt bona. 12. Metaph. tex. vlt. Aut ſi & ipſe dependeat, non ſupponit alteram præexiſtentem potentiam, niſi detur proceſſus in infinitum. Primam ergò materiam ab illo actu pendere
C concedimus qui primus eſt, ab indiuiſibili ſcilicet diuiſibile, & ab vno multitudo: materiæ nanque diuiſio multitudinis eſt cauſa: non tamen ſequitur materiam componi ex actu & poteſtate. Idem dicendum de materia cœli, quæ ſubijcitur motui: licet enim actu ſit, non tamen eſt compoſita ex actu & potentia aliqua: & tandem nullum ſempiternum ex poteſtate conſtat: poteſtas enim omnis cum eadem ſit contradictionis, corruptionis eſt cauſa. 9. Meta. tex. 17. Ad tertiam dubitationẽ, quę ſupponit in ratione corporis eſſe terminatum ſuperficie, concedimus verũ eſſe de corpore actũ exiſtente ſeparato, vt etiam infert Ariſto. de numero: nullus enim eſt numerus infinitus actu ſeparatus nec in re, nec in intellectu: ſic neque corpus infinitum actu. Non tamen in ratione corporis ſimpliciter ineſt eſſe terminatum. Nam 1. cœ. tex. 2. dimenſiones definiuntur nõ terminis ſed diuiſione aut ſecundum vnum aut ſecundum duo aut omniquaque. Vt igitur materia non datur ſepara-

ta, ſic neque corpus interminatum reperitur ſeparatum : Ineſſe tamen concedit Ariſtoteles ipſum infinitum tanquam materiam perfectionis magnitudinis. 3. Phy. tex. 65. Quod enim ſecundum ſe non eſt terminatum, terminatur à ſpecie. Dicimus igitur corpus vt corpus eſſe ſubſtantiam materialem & actu exiſtentem & ſenſui notam, magnitudo enim eſt inter ſenſibilia communia : imo omniū notiſsimam : ſimpliciſsima enim eſt natura, de qua Mathematicæ ſcientiæ omnium euidentiſsimæ exiſtunt : Quamuis autem omne corpus terminatum ſit, in eius tamen ratione non ineſſe terminos : ob id enim terminari ab omnibus eſt aptum : neque tamen concedimus interminationem in ratione illius eſſe : nam quatenus actu eſt, non eſt priuatio de illius eſſentia, neque negatio. ſed accidit illi interminatio & non ens, quatenus potentia eſt non ad terminatum atque interminatum, ſed ad hūc & illum terminum : idcirco ſemper terminatum eſt, non enim habet potentiam ad interminationem aut infinitum : Ratione igitur interminationis & potentiæ, ſecundum quam materia dicitur, ignota eſt, quemadmodum ipſum infinitum, quia non ens non eſt ſcibile : ratione autem actus, qui interminationem præcedit, notiſsima eſt ipſa materia : etiam ſine terminis conſiderata : non enim ob id conſideratur interminatio, cum ex ratione auferuntur termini : quemadmodum Mathematici qnamuis ſine motu conſiderant, non tamen immobilitatem contemplantur, eſſent enim mendaces : cum nullum ſit corpus immobile. Vltima dubitatio ſoluitur per eà quæ alibi de ſubſtantiarum differentijs ſtatuimus ex Ariſtotele 8. Metaph. tex. 5. Sumuntur enim ex omnibus generibus prædicamentorum. Quantitas igitur conceditur accidens eſſe alicui, albedo enim & omnis forma per accidens quanta eſt. Corpus autem eſt per ſe quantum & ſubſtantia : non tamen vt ſeparata quædam natura, ſed in ipſis corporibus naturalibus. At iterum dubitabit quis, ſi materia eſt ſecundum ſe quanta, non erit priuata ſpecie quantitatis, ponitur tamen materia ſecundum ſe neque quid, neque quanta & reliqua : Reſpondemus intelligi hoc de quanto, quatenus terminos habet, vt tricubito, quadricubito, & ſimilibus, hæc enim ſunt ſpecies quanti, ad quas materia in potentia eſt : Quod autem omne ens negetur ab illa, cum tamen ſit corpus, intelligendum eſt quatenus fiunt omnia quæ fiunt per ſe, non ex ente, ſed ex non ente : Et ſi enim ex ente fiant, id eſt ſubiecto quodam actu exiſtente, non tamen ex eo vt ens eſt, ſed vt non ens, fiunt : hoc autem eſt eſſe materiæ potentia ſcilicet non actu ens.

A

Generationem omnem eſſe in tempore. *Quæſt. VIII.*

QVAMVIS apertiſsima ſit demonſtratio Ariſtotelis. 6.Phyſ. tex.55. probans omnem mutationem in tempore eſſe: & priuatim tex.59. quæ demonſtrata ſunt accommodentur generationi & corruptioni. Tamen oppoſitum opinãtur multi eximij philoſophi, aſſerentes non ſolum generationem ſimplicem, ſed etiam alterationes quaſdam, vt illuminationem, coagulationem, & alia huiuſmodi in inſtanti fieri. Mouentur autem propter dictum Ariſtotelis. 1.Phy, tex.21. vbi traſmutationes vocat momentaneas, quaſi in momento fiant & non in tempore. Videamus igitur prius quo pacto demonſtretur ab Ariſtotele omnem mutationem in tempore eſſe. Accipit autem: ſi mutetur aliquid ex A. in B. vt ex non ente in ens: aut
B ex non homine in hominem: quando mutatum eſt, non eſſe amplius in A. ſed in B. eſt enim homo & ens id quod mutatum eſt: Si igitur in inſtanti hæc mutatio eſt, vt nullum cadat tempus medium, aut ſimul erit in A. & in B. id eſt in eodem inſtanti erit & non erit: aut contigua erunt inſtantia, quod vniuerſaliter de omnibus indiuiſibilibus impoſſibilibus impoſsibile eſſe oſtenſum eſt. 6.Phy. tex.2. Ex quibus infert, omne quod mutatum eſt, mutari prius: & quod mutatur, eius aliquid prius mutatum eſſe, nec dari primum: diuiditur enim mutatio ad diuiſionem temporis in ſemper diuiſibilia, vt in quolibet inſtanti intermedio ſit aliquid mutatum eſſe, qui finis ſit mutationis præcedentis: Hoc autem inducit non ſolum in mutatione quæ fit ſuper magnitudinem continuam: ſed etiam & in non continuis, vt in contrarijs & contradictione: vt in generatione & corruptione. Quod enim factũ eſt, fiebat prius: & quod fit, factum aliqua ex parte: & ipſi corrumpi eſt
C corruptum eſſe prius, & ipſi corrupto prius eſt ipſum corrumpi, quia omnis magnitudo & omne tempus ſemper diuiſibilia ſunt: in tẽpore autẽ omnis mutatio fit, & non mutatur niſi magnitudo. 6.Phy.tex.32. Sed aduerſus hæc magnæ ſunt dubitationes. Nam primò conceduntur ab Ariſtotele, multa fieri tota ſimul. 8.Phy.tex.23. vt lapidum ſciſſio, quæ aliquando fit, vbi plantarum quarundam radices creuerint, non enim ſciſsionis partes ſucceſsiuè fiunt, ſecundum incrementum innaſcentium, ſed aliquando totum ſimul diſrumpitur. Similiter habet lapidis excauatio, quæ à pluuiarum guttis cadentibus tandem oritur, non enim ſingulis guttis pars excauationis tribuitur, ſed aliquando totum ſimul abſcedit. Et in alteratione, inquit: non enim ſi partibile eſt in infinitum id quod alteratur, ob id & alteratio, ſed ſimul vniuerſa fit ſæpe, ſicut congelatio. Generationem autem ſimplicem hoc modo ſe habere teſtatus eſt. 1.Phy.tex.23. vbi in generatione ſim-

pli̇ci & alteratione momentanea non eſſe principiũ rei teſtatur, totum D enim ſimul fit. Præterea ſi contradictionis non eſt medium: generatio autem mutatio eſt ſecundum contradictionem. 5.Phy. tex.7. non erit in aliquo tempore generatio, eſſet enim medium inter eſſe & non eſſe. Accipiantur enim termini mutationis ens & non ens, ſi cadit tempus medium, in eo neque erit neque non erit: Nam ſi in toto medio tempore verum ſit alterum dicere, vt nō ens, nulla erit mutatio ſecundum ſubſtantiam, quod enim ſimiliter ſe habet in aliquo tempore, nō mutatur ſed quieſcit, 6.Phy.tex.87. aut igitur aliud tempus ſuccedere oportet, in quo fiat eius mutatio, de quo eadem reuertetur quæſtio, vtrum ſcilicet eo tempore ſit aut non ſit: & ſic nunquam ad finem venietur, niſi in tempore intermedio neutra pars cōtradictionis vera ſit: aut ſi hoc impoſsibile eſt, in non tempore erit mutatio. Amplius cum formæ ſint indiuiſibiles tanquam termini, non cōtingit partim eſſe in termino à quo & partim in termino ad quem, haberent enim partes. E In tempore igitur medio ſi ſunt in eo ex quo, mutatio nulla fit, ſi in eo ad quod, facta erit mutatio antequã fiat. Non contingit igitur in tempore mutari ſubſtantiam, & tandem nullum indiuiſibile. In inſtanti ergo erit horum mutatio. Quidam putantes has rationes cōcludere, nituntur Ariſtotelis demonſtrationem aufugere dicentes omnem generationem fieri ſecundum præcedentem alterationem, tempus igitur intercedere non ratione mutationis ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum præuiã alterationem, cuius finis introductio eſt formæ in inſtanti. Sed tamen eodem modo licet quærere de forma, vtrum in eodem inſtanti introducatur & introducta ſit, an alio: ſi enim in eodem, ſimul erit in cōtradictione, dum enim fit aliquid, non eſt: eſt autē cum factum eſt, ſi in alio, aut intercedit tempus, aut inſtantia ſe tangent. Præterea finis alterationis eſt affectio manente eadem ſubſtantia. 1.de gen.& cor.tex.23. non poteſt ergo ſimul in fine alterationis eſſe & ge- F nerationis: cum enim alterata eſt aqua, nōdum aer eſt: oportet igitur generationem ſuccedere, quam in tempore eſſe demonſtratum eſt. Reſpondendum eſt igitur ad dubitationes: quarum prima non concludit: ſi aliquid totum ſimul fiat, in inſtanti fieri: Manifeſtant autem hoc verba Ariſtotelis. 1.Phy. tex.23. vbi Meliſsi rationem redarguens inquit: Inconueniens eſt, omnis eſſe principium rei & non temporis, & generationis non ſimplicis ſolum, ſed & alterationis, tanquam non momentanea facta mutatione: Vult enim in generatione ſimplici & in alteratione momentanea, id eſt quæ tota ſimul fit (hoc enim ſignificat verbum ἀθρόως) principium quidem rei non eſſe, omnes enim partes ſimul mutantur, ſcilicet in eodem tempore, non vna prius altera: ſed principium eſſe tēporis, omnis enim mutatio in tempore fit. Ideo generationis & alterationis eſt principiũ, licet plerũque rei nō ſit principium.

A cipium. Malè igitur Meliſſus ſupponebat omne quod factum eſt habere principium magnitudinis: vnde inferebat, quod non factum eſt, infinitum eſſe quia rei non haberet principium: Benè autem ſuppoſuiſſet de principio temporis: omne enim quod factum eſt, habet principium temporis & generationis: non tamen ex hoc inferre potuiſſet, quod non factum eſt, infinitum eſſe, ſed temporis principium non habere, id eſt æternum eſſe. Putabat igitur principium dici tantum de magnitudine, cũ dicatur etiam de tempore, & generatione ſimplici & alteratione, & tandem de omni motu & mutatione. Sed hæc nõ ſunt præſentis ſpeculationis. Adhuc verò inſtabit quis. Si tempus diuiditur ad diuiſionem motus: motus autem ad diuiſionem magnitudinis quę mouetur, propter hanc enim omnia alia diuiſibilia ſunt, & motus & tempus & ſpecies in qua eſt motus. 6. Phy. tex. 39. magnitudine igitur tota ſimul alterata aut alio motu tranſmutata, indiuiſibilia B omnia erunt: totum enim ſimul mutari ſignificat, non prius vnã partem quã alteram: ſi autem prius & poſterius non inſunt in magnitudine, nec in motu, nec in tẽpore inerunt. 4. Phy. tex. 104. Idcirco probatũ eſt. 6. Phy. tex. 87. id quod impers eſt mutari non poſſe: dũ enim mutatur, aut erit in termino à quò aut in termino ad quem: aut aliquid ipſius in hoc, aliquid in illo. Eſſe igitur in termino à quo per aliquod tempus, eſt non mutari: eſſe autem in termino ad quem, eſt mutatum eſſe partim autem eſſe in hoc partim in illo, eſt diuiſibile eſſe. Eadem demonſtratio accommodari poteſt ei quod totum ſimul mutatur: ſi enim dum mutatur eſt in termino à quo & ſecundum totum & ſecundum partes, non mutatur. 6. Phy. tex. 32. Si in termino ad quem, mutatum eſt: Si aliquid illius in hoc, aliquid autem in illo, non ergo totũ ſimul eſt in termino ad quem, ſed prius aliquæ partes. Aut igitur non contingit mutari aliquid totum ſimul, aut id erit in tempore. Non C erit vnde ſumatur prius & poſterius in tempore, ſi magnitudinis aliquid non prius in termino fuerit quam totum. Reſponderet quiſpiã diuiſionem motus & temporis in illis eſſe ratione diuiſionis ſpeciei, in quam fit motus: vt ſi calidum magis & minus dicitur, quod mouetur ad hanc ſpeciem, prius inferiorem caliditatis gradum attingit quã ſuperiorem, vt in magnitudine prius per dimidium quam per totum fit tranſitus: ſimiliter forte dicendum de coagulatione: quamuis enim omnes partes ſimul coagulentur, non tamen ſimul perfecta & imperfecta coagulatio facta eſt. Sed hæc reſpõſio forte ſatisfaciet in ijs, quæ dicuntur magis & minus, quorũ ſunt media: At in contradictione & in ijs quorum non ſunt media, minimè. vt in ſciſsione lapidis: non enim inter diuiſionem & vnitatem, ſeu vnum & multa cadit medium. Si igitur ſciſsio tota ſimul fit, non diuidi poteſt hæc mutatio in partes neque ratione magnitudinis, vtpote cuius non prius vna pars quam

altera

altera ſcindatur, neque ſpeciei, quia non patitur intenſionem ac remiſsionem. Præterea ſi qualitatis diuiſio & cuiuſcunque ſpeciei per accidens eſt ſcilicet ſecundum diuiſionem magnitudinis. 6. Phyſico. tex.37. vt alibi explicatum eſt a nobis de intenſione & remiſsione: ablata igitur diuiſione magnitudinis, reliqua omnia indiuiſibilia erũt. Dicendum eſt igitur, quemadmodum alibi explicauimus, non poſſe omni ex parte aliquid totum ſimul mutari: nam ſequerentur impoſſibilia quæ dicta ſunt. Cum enim omnis motus & mutatio ſucceſsionẽ quandam habeat, neceſſe eſt illam ſecundum partes mobilis fieri ſiue in ijs, quæ per ſe diuiſibilia ſunt, vt magnitudo, ſiue in ijs quæ ſecundum accidens: vt qualitates & formæ. Cum autem non vnica tantum ſit corporis dimenſio, ſed plures: contingit aliquid ſecundum quaſdam dimenſiones totum ſimul mutari, ſecundum omnes autem impoſsibile eſt: nulla enim eſſet ſucceſsio partium: quo autem modo id contingat, abunde explicauimus alio loco. Circa ſciſsionem vero lapidis, quæ omnino ſine vlla partium ſucceſsione videtur tota ſimul fieri: notandum eſt: Cum ſuperficiei duæ ſint dimenſiones, longitudo ſcilicet & latitudo, ſecundum quas fit ſciſsio, ſecundum vnam quidem dimenſionem contingere totam ſimul fieri, vt ſecundum longitudinem, ſecundum alteram autem nequaquam, ſed ſucceſsiue. Nam ſi ſecundum ambas tota ſimul fiat, ſequetur aut dari vacuum, aut motum quendam eſſe ſecundum locum in non tempore. Cum enim ſciſſionis locus repleri aliquo corpore debeat, ſimul autem circa medium & circa extrema ingredi aer ambiens nequeat, cum aliunde non pateat ingreſſus quam ab extremis ſciſsionis, interim circa medium ſciſſionis locum admittetur vacuum: aut aer externus ſimul erit in extremo ſciſsionis & medio. Si igitur vtrumque impoſsibile eſt, impoſsibile eſt quoque ſciſsionem ſimul fieri circa extrema & circa medium: Sed prius oportet ab ea parte ſcindi, vnde ingredi aer poteſt, vt circa partes exteriores, deinde ſucceſsionẽ fieri ad reliquas: At propter velocitatem huius motus, tempus inſenſibile eſt. Dicitur autem fieri tota ſimul, tum ſciſsio, tum lapidis excauatio: tum alteratio: aut quia non diuiditur, ſecundum quaſcunque mobilis partes, aut non ſecundum mouentis partitionem. Erat altera dubitatio circa mutationem in contradictione: ſi enim & ipſa in tempore fiat, videtur admitti medium inter ens & non ens. Dicimus igitur omnem mutationem in contradictione. aliquo modo eſſe mutationem in contrarijs. Patet autem hoc in omni generatione: Nam ex non albo album fieri, eſt ex nigro aut medijs album fieri: & in generatione ſimplici inducit Ariſto. 1. Phyſi. tex. 63. vbi inquit: Fieri quæcunque fiunt ſimpliciter alia quidem transfiguratione, alia verò appoſitione: alia ſubtractione, alia compoſitione, alia tandem alteratione: quæ omnia circa ſubiectam aliquam

materiam

A materiam aut motus quidam ſunt, aut non ſine motu fiunt: hæc enim alteratio eſt, reliqua autem aut per alterationem aut per motum localem conſiſtunt: ſunt enim fines, aut vna cum finibus fiunt: omnis autem motus eſt inter contraria. Colligitur etiam ex.7.Phy.tex.15.vbi figuras, formas & habitus, & eorum acceptiones remotioneſque teſtatur non quidem alterationes eſſe, ſed fieri, cum quædam alterantur. At dubitatio illa remanet. Si generationis terminus eſt ſubſtantia, altetionis autem & motus localis, aut augmentationis, diminutioniſque, affectio, vel vbi, vel quantitas certa manente eodē ſubiecto: finis motus non erit adeptio ſubſtantiæ: ſuccedere igitur oportet generationem, quæ non amplius alteratione fiet aut alio motu: An nullum eſt tempus, in quo generatio fit ſine motu? Subiectum enim vtriuſque numero vnum eſt, ratione duo: Quatenus enim materia eſt & potentia ſubſtantia & non ens actu, ſubijcitur generationi: quatenus verò actu

B ſubiectum eſt quoddam (oſtenſum enim eſt potentiæ vbique actum ſubijci) ſubijcitur alterationi & motui. Sic igitur fit vt cum fine alterationis ſimul finis ſit generationis: neque tamen generatio alteratio eſt: generatur enim homo: alteratur ſperma ſeu potius materia ſpermatis quatenus actu aliquid eſt, veluti humor aut ſanguis: & fit domus, cōponuntur autem lapides: ſimul autem perfecta eſt compoſitio parietum & tecti, ac domus facta eſt: & in cæteris eodem modo. Non autem dicitur alterari domus cum clauditur parietibus, aut tectum imponitur, nec homo alterari, cum accipit finem 7. Metaph.tex.16. Fit enim homo ex non homine, alterata ſubſtantia quadam materiali, non ipſo homine neque non homine: & quod accidit huic materiæ, vt cōpoſitio lapidibus domui eſt ſubſtantia, ineſt enim in eius ratione: & caliditas materiæ quidem ſanguinis accidit, ſanguini autem nequaquam, nam pars eſt ſubſtantiæ ſanguinis.2.de Part.ani.cap.3. Si igitur

C alteratio materiæ eſt generatio ſubſtantiæ, finis alterationis erit & generationis finis, idem numero exiſtens, ſed ratione diuerſus: Subiectum enim & materia idem numero ſunt: & alteratio ac generatio: ſubſtantia & accidens: & tandē demonſtratio & definitio vt exactius alibi eſt à nobis explicatum. Sed antequam ad vlteriora tendamus, ſoluenda eſt difficultas circa materiam primam. Si enim ſubiectum alterationis ponatur: aut & ipſa genita erit, aut generatio non præcedit alterationem. Eſſe autem ingenitum ipſum primum omnium ſubiectū oſtenſum eſt. 1.Phyſi.tex.82. Generationem autem alterationem præcedere teſtatur Ariſtoteles.8.Phyſi.tex.57. Si ergo materia prima eſſet alterabilis, genita prius eſſet. Similis eſt argumentatio. 1. cœ. tex.21. Quæ enim alterantur omnia habere videmus augmentationem & diminutionem, hæc autem non ſine generatione & corruptione fiunt: ex quibus probat cœlum inalterabile eſſe, quia ingenitum. Oppoſitū

tamen colligimus.8.Phyſic.tex.55. vbi raritatem & denſitatem inquit D
eſſe principia omnium paſsionum, vt grauis & leuis, calidi & frigidi, & cæterarum, ſecundum quas contrarietates elementorum generationem & corruptionem poſuimus: Amplius raritatem & denſitatem congregationem eſſe ac diſgregationem, ſecũdum quas generatio eſt & corruptio: Quæ autem congregantur & diſgregantur, mutari ſecundum locum neceſſe eſt: Ex quibus patet non ſolum alterationem priorem eſſe generatione, rarefactio enim & condenſatio alterationes ſunt, ſed etiam motum localem omnium primum eſſe. Materia igitur prima non ſolum generationis erit ſubiectum, ſed & alterationis ac motus localis. Colligitur etiam ex 1.Meteo.cap.3.vbi inquit: Corpus quod ſub circulatione ſuperna continetur, veluti materia quædam exiſtens potentia calida frigida, humida & ſicca, fit talis & eſt à motu & immobilitate. Si enim corpus huiuſmodi prima materia eſt, congregari & diſgregari poteſt à motu cęli, & calefieri & frigefieri, & cæteras E
affectiones pati, ſecundum quas alteratio quidem eſt materiæ, generatio autem compoſitarum ſubſtantiarum. Quod igitur dictum eſt. 8. Phyſi.tex.57. & 1.cę.tex. 21. Generationem priorem eſſe alteratione & augmentatione, hoc modo intelligendum eſt. Cum enim duplex ſit alterationis ſubiectum, ſcilicet materia & compoſita ſubſtantia, vt quando ex aqua aer fit, calefieri dicitur tum aqua, tum aeris materia: Cum præterea non detur materia ſeparata, alteratio quæcunque tribuitur compoſitæ ſubſtantiæ: Cum ergò omnis ſubſtantia compoſita genita ſit, præcedit generatio alterationem in eodem: Propterea igitur cœlum inalterabile eſt, quia ingenitum: accipitur enim alteratio quæ perficit ſubſtantiam quæque eadem ſubiecto aqua calefacta, aqua adhuc eſt: in generatione autẽ mutatur ſubſtantia. Accepta autẽ alteratione vt competit materiæ id eſt ſubiecto quatenus actu ſubſtantia quædam eſt eadẽ in aqua & aere, ſimul alteratio eſt materiæ per- F
manentis, & generatio ſubſtantiæ compoſitæ. Hoc autem modo alteratio & motus ſecundum rationem præcedunt generationem ſubſtantiæ: quia actus potentiam præcedit. Cum igitur generationis ſubiectum potentia ſolum ſit: alterationis autem & motus actu: hi generationem quodammodo præcedunt. Quomodo igitur generatio alteratione fiat: & quomodo eadem ſubiecto ſit alteratio & generatio ratione autem diuerſa, explicatum eſt. Ex quibus illud inferre licet, mutationem in contradictione eſſe mutationem quandam in contrarijs, alteratio enim omnis & motus inter contraria eſt: Ideo & principia quodammodo ſunt contraria, quodammodo non contraria: propter ſubiectam enim materiam hæc contingunt. 1.Phyſico. tex.53. Accepta enim materia tanquam potentia, priuatio negationem ſignificat, quo modo mutatio fit in contradictione, & ſubſtantiæ eſt generatio: non

enim

A enim ſubſtantia contraria eſt ſubſtantiæ: Si autem accipiatur vt ſubiectum quoddam & ſubſtantia, ſubijcitur contrarijs, ſecundum quæ alteratio eſt. Si igitur motus omnis in tempore eſt, ergo & generatio omnis in tempore: vt enim partibilis eſt alteratio, ſic & generatio: idcirco eius quod fit, aliquid factum eſt, & quod factum eſt fiebat prius: & quemadmodum tota alteratio toti generationi reſpondet, ſic generationis partes partibus alterationis. Quãuis autem inter contraria dentur media, non tamen cogimur inter ens & non ens medium aliquod dare. Patet id in mutatione eorum, quorum ſunt media, vt ſi ex nigro fiat album, ſimiliter enim ex non albo album fiet, quæ generatio quædam eſt, & mutatio ſecundum contradictionem. Simile igitur eſt ac ſi dicamus finem motus ex motu fieri, aut domum ex ædificatione, & punctum ex linea: quid enim medium eſt inter finem & id cuius eſt finis? medium enim ſemper cadit inter duos fines, non inter finem &
B continuum. Forma ergo, & ſubſtantia ſiue ens finis eſt generationis, in toto autem tempore ante finem eſt non ens: neque datur vltimum quoddam inſtans in quo ſit non ens, tempus enim ſemper cadit inter duo inſtantia, in quo neque eſſet neque non eſſet, quod fieri nequit: aut ſi nullum fuerit tempus, in eodem ſimul erit & non erit: aut tandem inſtantia ſe tangent: quę omnia impoſsibilia eſſe oſtenduntur. 8.Phy.tex.69. Quod autem dicebatur, ſi in toto tempore eſt non ens, non fieri mutationem: verum quidem eſſet, ſi in fine ſimiliter eſſet non ens: licet autem ante ipſum ſemper ſit non ens, mutatur tamen, & in omnibus ſignis aliquid eſt factum vt oſtenſum eſt ſuperius. Simpliciter igitur non mutatur ante vltimam perfectionem, ſed ſecundum aliquid eſt mutatum. Sed dubitatur, ſi vltimum generationis eſt ens cum prius non eſſet, & motus omnis deſinit in quietem, & quies in motum, & mutatio in permanentiam & è conuerſo: finis vniuſcu-
C iuſque principium erit alterius: ſic autem continuum quid erit motus cum quiete, & non ens cum ente: copulantur enim ad vnum terminum communem, qui vnius finis eſt & alterius principium. At contrariorum quomodo extrema erunt vnum? fieri enim nequit. 8. Phy. tex.72. An tempus quidem continuum eſt, illa autem quæ à tempore continentur, conſequenter ſunt? Accidit enim quemadmodum ſi in aliquo continuo corpore ſuperficiei dimidium album ſit, alterum nigrum: Quamuis enim corporis ſuperficies continua ſit, non tamen continuum eſt album cum nigro: eſt enim terminus, qui colores actu diuidit vnus ſubiecto exiſtens duo ratione: corpus autem non eſt diuiſum actu. Sic temporis ipſum nunc copulat quidem temporis partes, vt continuum ſit totum: res autem quæ non eiuſdem ſpeciei diuidit. Sed in eo differt à diuiſione continui cuius partes permanent, vt lineæ & ſuperficiei: Nam in his diuiſionis terminus vtriuſque fi-

nis dicitur & vtriuſque principium. In ijs autem quorum partes non D permanent, finis eſt tantum præteriti, & principium ſolum futuri, nõ è conuerſo. Ideo temporis inſtans, quamuis ratione duo ſit, tribuitur tamen rei poſteriori, vt in eo primum verum ſit dicere eſſe album: non autem non album, quamuis non albi ſit vltimum. 8. Phyſi. tex. 69. finis enim motus non eſt aliquid ipſius motus: & finis quietis non eſt aliquid ipſius quietis: & finis non entis non eſt aliquid ipſius non entis, ſed aliquid rei poſterioris. Ratio autem diuerſitatis eſt, quoniam diuiſio eorum quæ in tempore ſunt, eſt in ea quæ nõ permanent, ideo ſemper poſterioris eſt; quia ad poſteriora fit mutatio non ad præterita: Nam & in ijs quorum partes permanent, dicitur verbi gratia album non ad album deſinere, ſed ad nigrum: & nigrum non ad nigrum, ſed ad album terminari. In ijs autem quæ non permanent, priora deſinunt ad poſteriora: & poſteriora etiam terminari ad priora dicerentur, ſi ad priora eſſet mutatio. Neque ſequitur continuam eſſe quietem cum motu, aut ens cum non ente: termino enim vtimur pro duobus in actu: Non enim idem eſt eſſe fini vtriuſque, neque vtriuſque principio, licet idem finis vnius ſit, atque alterius principium. Ad vltimam dubitationem concedimus, indiuiſibilia, vt formas non eſſe partim in termino à quo & partim in termino ad quem: quod enim per ſe mutatur, diuiſibile eſſe oportet: idcirco compoſitum tantum eſt quod fit. 7. Metaph. tex. 27. Species autem & forma neque fit neque corrumpitur: ſed huiuſmodi omnia ſunt & non ſunt ſine mutatione aliqua, veluti tactus. Quomodo enim termini mutationis ſint in termino à quo, aut ad quem? Solum enim id quod diuiſibile eſt, hæc patitur. Sed ſuboritur dubitatio: videntur enim quidam motus in motum tanquam in finem deſinere: vt viſus motus quidam eſt, alteratio enim 7. Phyſi. tex. 12. ſic & illuminatio. Eſſe autem huiuſmodi fines, patet, tactus enim quidam ſunt. Explicauit autem hoc Ariſtot. 9. Metaphy. F tex. 11. qui locus Græcè tantum legitur præteritus ab interprete. Inquit enim quaſdam actiones fines eſſe: quæ à cæteris motionibus in eo differunt, quod in illis verum eſt dicere, hoc modo: videt & vidit, intelligit & intellexit: perfecta enim eſt operatio finem habens in ſe ipſa non in altero. In motionibus autem non idem eſt dicere: iter facit, & iter peregit: ædificat & ædificauit: non enim perfectio eſt in operatione, ſed in opere: At non ſimul opus eſt & operatio: ædificatio & domus: cum enim ædificatur, non eſt adhuc domus. In illis autem ſimul videt & vidit. Motus igitur erit aliquis terminorum, iſq; non in tẽpore, temporis enim non idem eſt præteritum & præſens. Idẽ apparet circa intellectum: intelligit enim quæ indiuiſibilia ſunt ſpecie in indiuiſibili tempore. 3. de an. tex. 24. Dicendũ eſt huiuſmodi operationes, quæ fines ſunt, non differre à reliquis terminis, ſunt enim &

non

A non ſunt ſine mutatione: Quatenus autem aliquid eſt quod hæc patitur, alterationes eſſe, & in tempore fieri, vt cæteros motus. Ex potentia enim non fit tranſitus ad actum ſine tempore. Idcirco illuminationem hoc modo in tempore fieri eſt neceſſe, & viſionem, atque intellectionem, & tactum. Quod autem in his dicitur, verum eſſe ſimul videre & vidiſſe, non ſignificat ſimul eſſe præteritum & præſens & in nõ tempore eſſe: ſed perfectam operationem eſſe in principio in medio & fine: ipſa enim finis eſt. Non contingit autem aliquid in non tempore eſſe: non enim in eodem inſtanti in quo eſt, corruptum eſt: ſi ergò in tempore corrumpitur, aut fit: in tempore quoque eſt: 8. Phyſi. tex. 65. Nec igitur tangere, nec videre, nec intelligere, nec vllum aliorum agere aut eſſe contingit in non tempore. Tempus enim eſt non ſolum dum ex præcedenti potentia in actum tranſeunt, ſed etiam dum facta permanent: videre autem intelligere, & alia huiuſmodi cum fines quidam ſint alterius motus, aſsimilantur permanentiæ non motioni: idcirco in ipſis verum eſt dicere videt & vidit: permanentia enim ipſius eſſe ſimilis exiſtit in toto tempore: eſſe autem in motu eſt ſemper diſsimile eſſe. Quod autem de intellectu dicitur, in indiuiſibili tempore intelligere: non ſignificat aliquod tempus indiuiſibile eſſe, ipſum enim inſtans, id eſt temporis diuiſio, tempus non eſt, vt neque punctus linea: Sed ſignificat totum ſimul intelligere ea, quæ ſpecie indiuiſibilia ſunt: id eſt in quo tempore vna pars, in eodem reliquæ partes intelliguntur, vt de illuminatione dicitur: non enim vna pars perſpicui prius illuminatur quam altera, ſed in eodem tempore omnes partes illuminantur, hoc autem eſt in tempore indiuiduo. Quomodo igitur omnis motus & generatio ſimplex & corruptio, & tandem omnis mutatio, ſeu in contraditione, ſeu in contrariis, etiam ea quæ tota ſimul fit, & momentanea appellatur, in tempore ſint manifeſtum eſt.

B

ANDREAE CAESALPINI ARETINI, QVÆSTIONVM PERIPATETICARVM, LIBER QVINTVS.

Quæcunque ex ſemine fiunt, eadem fieri poſſe ſine ſemine. Quæſt. I.

ANTEQVAM huius ſententiæ rationem explicem, illud præfari libet. Cum in hac diſputatione oſtenſurus ſim ex principijs Ariſtotelis omnia animalia etiã hominem oriri poſſe ex putri materia: hoc modo accipi velim. Nam de homine, qui anima rationali immortaliq; præditus eſt, fatuum eſſet credere, eiuſmodi animam ex putredine ortam eſſe: imo neque reliquorũ animas ab huiuſmodi principio ortum ducere putamus. Putredo enim in caliditate quadam conſiſtit, quæ materiam concoquit ac diſponit, vt partes quælibet ex ſicco & humido certa quadam menſura temperentur: virtus autem organica & ſubſtantiæ ratio aliunde principium ducit, ab eo ſcilicet, quod actu obtinet talem formam & ſubſtantiam 2. de gen. ani. cap. 1. Ex putredine igitur oriri poſſe cenſemus talem caliditatem, qualis eſt in ſemine, quæ coctione partes ipſas ex humido & ſicco conſtituat. Præterea cum alia ſit prima omnium animalium & cæterorum entium creatio, quæ à primo ente in principio effluxit: alia eorundem ſucceſsio: dicimus ortum ex putredine ſimilem eſſe ei, qui fit ex ſemine, ad ſucceſsionem ſcilicet inſtitutum, non ad primam ſpecierum dependentiam atque productionem: Niſi enim hæc præceſsiſſet, nequicquam neque ex ſemine neque ex putredine ortum eſſet. Quod ſi aliquando meminerim primam perfectorum animalium generationem ex verme fieri, ſic intelligimus primam, quia in tẽpore infinito, quod ſupponitur à Peripateticis, deficientibus in aliquo tempore omnibus ſingularibus alicuius ſpeciei, primum aliquod ex putredine oriri poteſt, ex cuius ſemine propagetur ſpecies, vt quibuſdam contingit ex putredine tantum propagari. Quibus ita conſtitutis, iam diſputationem aggrediamur. Receptum eſt vulgò ad generationem animalium,

A quibus data eſt virtus generandi ſibi ſimile, vt homini & quæcunque perfecta ſunt, duo agetia eſſe neceſſaria: vnum ſcilicet quod eiuſdem ſpeciei ſit, alterum autem ipſum Solem: niſi autem duo iſta concurrant, non fieri eorum generationem. Collegerunt autem hanc ſententiam ex 2.Phy. tex.26. vbi inquit: homo enim hominem generat & Sol: Sed quam longè recedat à ſententia Ariſtotelis & veritate, hinc fiet manifeſtum. Nam primum eius loci expoſitio legitur. 2.de gen. Anim.cap.3. vbi inquit: In ſemine omnium calorem ineſſe, qui facit vt fœcunda ſint ſemina: hunc autem non ignem eſſe neque ex igne, ſed proportione reſpondere elemento ſtellarum: ignis enim nullum animal generat, ſed Solis calor, & animalium non modo qui in ſemine continetur, ſed etiam ſi quid excrementi ſit, principium habet vitale: & quæ ſequuntur. Si igitur animalium calor ideo fœcundus eſt, quia reſpondet ei qui à Sole fit: oportet vtrunque ſeparatim fœcundum
B eſſe: non enim teneret argumẽtatio de igne: quem negat animalibus ineſſe, quia ignis nullum animal gignit. Similiter igitur de Sole poſſemus inferre: eius caliditatem non eſſe autorem illius, quæ in ſeminibus eſt aut animalibus, niſi ipſe per ſe fœcũdus eſſet, quemadmodũ ipſa ſemina. Præterea dicto inferiori, fruſtra additur id quod ſuperius eſt, vt dicto homine fruſtra apponitur animal, cõtinetur enim in illo: Sic cum dicitur: homo hominem gignit, fruſtra apponitur Sol: ſi hominis calor includit Solis calorem. Separatim igitur hæc intelligenda ſunt, vt hominẽ homo gignat, & Sol ſine hominis auxilio. Et 3.de gen. Anim.cap.10. concedit poſsibilem eſſe ſpontinam hominum & cæterorum animalium generationem ex verme: hoc enim modo fieri, nõ ex ouo, ſi quando primum terrigenæ oriebantur, vt aliqui dicunt. Et 7.Metaph.tex.22.& 31.teſtatur in natura eadem quæ ex ſemine fiunt, caſu fieri poſſe, vt in artibus. At verò & ratione idem eſt manifeſtum.
C Cum enim materia, quæ infra cœlum continetur, potentia exiſtens calida frigida & cętera quę has qualitates ſequuntur, actu fiat & ſit, propter cœli motum: 1.Meteo.cap.3. à motu igitur cœli omnis perfectio ortum ducit. Si igitur cœlum aliquando inciperet moueri, omnes perfectiones in materia gigneret ſolo motu, nulla enim pręexiſteret in ea actu ſubſtantia, à qua fieret generatio. Quod ſi per motum cœli aliquę ſpecies non producerentur in actum: ipſum cœlum non contineret omnes perfectiones generabilium. Præterea quod ingenitum eſt & incorruptibile, non poteſt pendere ab eo quod modo eſt modo non eſt: At ſpecies ęternę ſunt, generantur autem & corrumpuntur ipſa ſingularia: Non ergo à ſingularibus pendere poſsit ſpecierum ęternitas. Contingere enim poſsit omnes canes qui nunc ſunt corrumpi, aut morbo, aut hominum pręcepto in omnibus regionibus: corrupta igitur erit ſpecies, ſi alius modus generandi non fuerit, quam

ex ſemine parentum : in tempore enim infinito ſequenti non erit, D
quod ſemper eſſe poterat, quod impoſsibile eſt 1. cœ. tex. 134. Amplius in plantis videmus ex putredine multas oriri, quæ ſemen fœcundum ferant, vt patet in terris nuper effoſsis, vbi nullum ſemen conditum extiterit: Quod enim ſemen in profundis terrę per multa ſecula reconditis conſeruari poſsit? Præcipuè autem in ſterquilinijs per putredinem conuerſis in terram, vbi ad lucem venerint, breuiſsimo tempore Blitum oriri videmus & vrticam, & alias multas plantas, quarum ſemina non minus fœcunda ſunt quam cæterarū. In animalibus quoque ſi quis non abhorreat materiæ immunditiem, idem facile inuenerit. Vnuſquiſque enim lecti cimices ex putredine oriri ſcit, eaſdem autem & coire deprehendet, & oua parere, ex quibus aliæ oriantur: idem in pediculorum ortu reperiet. Quamquam id negare Ariſtoteles videtur. 5. de Hiſt. Anim. cap. 1. Nam lendes pediculorum: & vermiculos muſcarum ex coitu natos nullum animal procreare, ſed E
ſordes tantum perſiſtere aſſerit: hoc enim verum eſſe vnuſquiſque deprehendet: ſi ea maneant derelicta extra locum generationi commodum: Quædam enim egent calore quodam fouente, quædam & alimento familiari. Lendes igitur humano calore fœcundi ſunt: & vermiculi muſcarum iuxta carnes morticinas optimè proueniunt, & ad perfectam magnitudinem creſcunt ſi ſuppetat alimentum. Piſces quoque fluminum & lacuum aliquando ſponte ortos eſſe neceſſe eſt, cum huiuſmodi aquarum congregationes nō ſemper extiterint: eorum autem oua multa fertilitate creſcunt. Aſſerunt & mures in nauibus eodem modo oriri, quorum tamen fœtus numeroſiſsimi ſpectantur. Si igitur in quibuſdam natura hoc facit, ergò in omnibus: Phyſicum enim eſt ſimiliter ſe habere in omnibus. 8. Phy. tex. 63. Sed aduerſatur ijs quæ dicta ſunt, quod ſcribitur. 1. de gen. Anim. cap. 1. vult enim ea quæ oriuntur ex putri materia, non generare ſibi ſimilia, ſed F
alterum genus, vt nonnulla in genere inſectorum faciunt. Probat autem ea ratione. Nam ſi orta ex putri animalia gignerent ſibi ſimilia, ortus quoque parentum ſimilis eſſet, non ex putri: ſic enim in cæteris videmus. Si diſsimilia, neceſſe eſt huiuſmodi generationem deſinere, nam aliàs multiplicarentur ſpecies in infinitum: Quod enim genitum eſt, alterius ſpeciei ſemper eſt: Idcirco huiuſmodi vltra tertiam prolem non generant amplius. 3. de gen. Anim. cap. 8. Ex his igitur nulla eorum quæ ex ſemine oriuntur, oriri poſſe ſine ſemine videtur. Num igitur putandum eſt Ariſtotelem negaſſe ea quæ manifeſtiſsima ſunt? Quamuis enim de omnibus non eſt manifeſtum: de quibuſdam tamen clariſsimum eſt ſponte oriri poſſe, quæ ex coitu parentum oriri ſolent. Si quis autem ea neget eiuſdem ſpeciei eſſe, admittet infinitatem ſpecierum, cum non deſinat eorum generatio. Vel etiam

ſi eadem

A ſi eadem nihil generent, non tollitur difficultas. Quæ enim ponuntur ab Ariſtotele generari ex putri, differunt ab ijs quæ ex coitu oriuntur & nomine & figuris & tandem natura: vt vermis à cæteris omnibus: quod ſi quid ab eo gignatur, vermis non eſt, ſed muſca aut papilio, aut huiuſmodi animal pennatum. tertio de generatione Animalium, cap. 8. hæc autem ex coitu aut nihil generant, aut vermem, in quo deſinit eorum triplex generatio. At ſi verum eſt mures ex putri materia oriri aut cimices: aut vrticam & Blitum, etiam ſi ſterilia admittantur, differre hæc oporteret à reliquis, vt cætera animalia & plantæ differunt, vel quia habeant aliquid vel nõ habeant, vel figuris, vel cæteris huiuſmodi: nec paruam eſſe differentiam oporteret: cum enim modus generandi diuerſiſsimus ſit, ſi hoc diuerſitatem naturarum facit, reliqua etiam multa diſsimilia præſtaret. At in ijs, quæ dicta ſunt nullam videmus eſſe differentiam: Vrtica enim ex B ſemine orta nihil videtur differre ab ea quæ ſponte: nec blitum: nec mercurialis: nec mures, nec cimices: nec cæterorum vllum. Sed concedit Ariſtoteles. 3. de gen. Anim. cap. 10. In genere eorum quæ teſta integuntur, quædam propagari inſtar ſobolis exeunte excremento quodam mucoſo ab eo quod primum ſponte ortum eſt: vt Mituli, Buccina, & Purpuræ: larga enim eorum copia naſcitur, cum primum aliquod conſtiterit, euenit autem vt vel ſponte hæc omnia oriantur. Quamuis igitur excrementum illud ſemen non ſit, ſed veluti ſoboles quę cępis adnaſcitur, gignit tamen ſimile ei à quo exiuit. Poteſt ergò id quod ſponte ortum eſt, gignere ſibi ſimile. Intelligenda eſt igitur, demonſtratio Ariſtotelis ſuperius poſita non vniuerſaliter, ſed in ijs tantum de quibus agit: agit autem de inſectis, quorum inquit aliqua ex coitu cognatorum animalium gignuntur, quorum exempla ponuntur. 1. de gen. Ani. cap. 16. vt Locuſtæ, Cicadæ, Phalangia, C Veſpæ, Formicæ: Alia verò coeunt, & generant diſsimile id eſt vermem: ipſa autem gignuntur non ex animalibus, ſed ex putredine, vt Pulices, Muſcæ, Cantharides: Alia neque ex animalibus fiunt neque coeunt, vt Culices, Vermes. De duobus igitur huius diuiſionis membris affertur demonſtratio: vtraque enim ex putredine oriuntur ſolum. Quamuis autem inſectis accommodetur demonſtratio, in vniuerſum tamen affertur de omnibus ijs, quæ alium modum generandi non habent quam per putredinem. Sunt enim & in genere teſtatorum Oſtreæ, quæ ex putredine ſolum oriri compertæ ſunt: vt experimento patuit apud Rhodum inſulam, quæ antea quidem nullas ferebat Oſtreas: poſtea verò quam Claſsis applicuiſſet, & fictilia in mari eſſent proiecta, tempore cæno obducto in ipſis oſtreæ ſunt inuentæ. Nauigijs quoque ex putreſcente ſpuma ſæpe adnaſcuntur. Nihil autem partis genitalis ab ijs emitti quondam Chij experti ſunt, qui cum

ex Pyrrha Lesbi inſulæ Oſtreas viuas portaſſent, & in loca quędam D reciproci maris dimiſiſſent, plurimum quidem incremento corporis profecerunt, non tamen plures fuere temporis ſpacio, vt tradit Ariſtoteles. 3. de gen. Anim. cap. 10. Sunt & in genere ſanguineo Anguillæ, & Mugilum quoddam genus & aliorum fluuiatilium, quorum ortus ex verme eſt: nullam autem prolem ex ſe procreare poſſunt, & omnino neque mares neque fœminæ ſunt. 4. de Hiſt. cap. 11. De his igitur omnibus & huiuſmodi intelligenda eſt demõſtratio Ariſtotelis. Nam ſi hæc gignunt ſibi ſimilia, & ipſa gigni potuiſſent à ſibi ſimilibus, vt in cæteris videmus: at ſuppoſuimus per putredinem ſolum generari: Si verò diſsimilia, deſinere aliquando generationem oportet, ne ſpecies in infinitum creſcant. Non tollit igitur hęc demõſtratio eſſe quædam quæ vtroque modo generari poſsint: non enim ob id diuerſæ ſpeciei fuerint, quę diuerſo modo generantur, vt in plantis. Quædam enim ſunt, quæ & ſemine proueniunt, & auulſione vt vitis: Quædam E ſobole & ſemine, vt Cæpa: Quædam omnibus modis vt Gramen. Quid igitur prohibet eadem quoque ex putredine fieri? Patet autem in generatione ignis. Fieri enim poteſt & à motu & ab alio igne, non tamen diuerſus eſt ſpecie. Nam qui à motu factus eſt, alium generare poteſt, & ille alium, & in infinitum. Similiter igitur calor animalis qui in vniuerſo eſt ex cœli motu per quem conſiſtunt ea quæ ex putri materia fiunt, tertio de gener. Animalium, cap. 10. poſtquam comprehenſus in materia eſt, cur non alium gignere ſibi ſimilem poſsit, & ille alium, & ſic deinceps. Iure autem optimo fit, vt ea quæ ex putredine tantum fiunt, differant ſpecie ab ijs quæ ſibi ſimilia gignere poſſunt: Differunt enim animæ inter ſe nobilitate & ignobilitate eius corporis, in quo caliditas illa comprehenditur. ſecundo de generatione Animalium, cap. 3. Quod autem ſibi ſimile gignere nequit, imperfectius eſſe quam illud quod poteſt, exiſtimandum eſt. Quanto enim F maior eſt virtus, tanto amplius diffunditur: imbecillior autem citius deficit. Idcirco huiuſmodi inter imperfectiſsima animalia reponuntur, quæ nullam prolem gignere poſſunt: Paulo autem perfectiora, quæ gignunt quidem, ſed non ſimile ſibi: vt Muſcæ, quæ vermem gignunt: qui poſtea nihil generat. Et meritò hæc propter imperfectionem principium habent imperfectiſsimum: omnia enim ex verme fiunt tertio de gene. Anim. cap. 8. Eſt autem vermis veluti ouum imperfectum: primo enim mollis eſt dum incrementum ſuſcipit, tandem autem indureſcit eorum putamen ad ſimilitudinem oui, & immobile redditur cum prius moueretur ad alimentum, quo diſrupto egreditur animal in ſuo genere perfectum tertia generatione. Quod autem vermis prius moueatur & alimentum ſumat, quam ouum fiat, eius cauſa eſt, quod natura præ ſua imperfe-

ctione

A ctione quaſi maturat antequam tempeſtiuum ſit: Non tamen omnis vermis aliunde ſumit alimentum, vt Erucæ: ſed quidam in ſeipſis habent nutrimentum, vt ij ex quibus apes generantur. Differt præterea vermis ab ouo: nam ouum dicitur, ex cuius parte fit conceptus, vermis autem, ex quo toto fit animal. Ex quibus illud etiã patet, primam perfectorum animalium generationem aut ex verme fieri aut ex ouo: cum in ſe ipſis habere oporteat vnde incrementum fiat, aliunde enim affluere nequit, vt fœtui accidit ex parente: Rationi autem conſentaneum eſt magis vt ex verme quàm ex ouo: nullum enim ſponte ortum videmus ex ouo fieri ſed ex verme: ouum enim non niſi ab animali fit. Præterea ab eo quod imperfectius eſt incipere oportet, antequam perfectius aliquid fiat, huiuſmodi autem eſt natura vermis. Sed dubitatur. Si perfecta animalia ex putredine fierent, aliquando viſa eſſet huiuſmodi generatio: nemo autem id teſtatur, prȩterquam de

B quibuſdam imperfectioribus. Præterea fruſtra videtur alius modus generandi, cum ſuppetat facilior via ex ſemine parentum: ſupponitur enim ſpecies æterna, & mundus æternus. Amplius impoſsibilis videtur generatio ſubſtantiarum ex putredine: proprium enim ſubſtantiȩ eſt, quod neceſſe eſt præexiſtere ſemper aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quȩ facit, vtputa animal, ſi animal fit: quale verò & quantum non eſt neceſſe niſi potentia ſolum. 7. Metaph. tex. 32. Si igitur neceſſe eſt ſubſtantiam ab vniuoco fieri, nulla ſubſtantia fiet ex putredine. Ad primum dicimus: verum quidem eſſe in regionibus, quas habitamus, nunquam viſam eſſe perfectorum animalium, vt hominis quadrupedum generationem ſpontinã: Cum enim hæc plurimum adepta ſint caloris innati, & corporis molem ampliſsimam, non breui tẽpore perficitur eorum generatio: nam quædam non niſi biennio perficiuntur in vtero parentis vt Elephas: quædam annum expoſtulant, vt Equus,

C & Bos: Quædam menſes decem aut nouem vt homo. quarto de gen. Anim. cap. 10. Idcirco ſi hȩc calore vteri tanto tempore foueri eſt neceſſe, non poſſunt extra Tropicos calore Solis perfici, recedente enim Sole ad alterum Tropicum, fit hyems & frigiditas, quæ inchoatos conceptus deuaſtare nata eſt: Quinimo putandum eſt neque ad inchoationem vermis ſufficere: veriſimile enim eſt longius eſſe tempus generationis ex putredine, quam ex ſemine: ſemen enim res inchoata eſt: ibi autem adhuc fieri oportet quod vicem gerat ſeminis. Perfici ergò nequeunt ſpontaneæ eorum generationes niſi in ea regione, in qua continuus eſt tepor, nec multa caloris & frigoris differentia: qualem dari intra Tropicos oſtenſum eſt à nobis aliàs, vbi etiam amæniſsima eſſe totius terræ loca comprobauimus. Qualis igitur apparet apud nos ranarum & quorundam ſimilium generatio: aduentante enim vere ex tepore Solis colligitur in aquis mucoſa quȩ-

dam ſubſtantia, in qua tanquam in vtero fit animalis conceptus: Sic D putandum eſt perfectiora animalia ſub zona torrida perpetuè fieri, alia quidem in aquis, alia autem in ſiccis: alia in humilioribus & calidioribus locis, alia in editioribus frigidioribusque pro diuerſa ſingulorum natura. Quod igitur nunquam viſa ſit perfectorum animalium generatio ex putri materia, in cauſa eſt, quia loca in quibus generari poſſunt, nō ſunt cæteris hominibus manifeſta propter cauſas alibi explicatas. Ad alteram dubitationem dicimus modum hunc generādi non ſuperfluum eſſe, imo neceſſarium: hoc enim modo æternitas ſpeciei ſeruatur magis quam ex prole parentum: cōtingit enim in aliquo tempore omnia ſingularia corrumpi: pater autem omnium Sol incorruptibilis eſt. Neque etiam ſuperflua eſt prolis generatio ex coitu: habitatio enim omnium terrarum non fieret, niſi quę primò genita ſunt à Sole ſuos fœtus geſtarent quocunque feruntur. Pręterea cum paucis in locis materia reperiatur diſpoſita ad perfectorum ſpontinam ge E nerationem, & ob id rarius eo modo generentur, defeciſſet natura, niſi vim prolificam illis tribuiſſet. Optimè autem videtur cōpenſaſſe: quæ enim facilè vbique oriri ſponte poſſunt, minus generant ſibi ſimile: cum enim paucis egeant, facilè creantur, cum autem minimum caloris vitalis adepta ſint, ob eiuſdem imperfectionem non gignunt ſibi ſimile: ſed aut moliuntur tantum, vermem gignentes, vt Muſcæ, in quo deſinit generatio: aut nihil omnino ex ſe generant, vt Oſtreę. Quæ autem maiorem operam ad eorum conſtitutionem requirunt, difficilius quidem creantur ſpontè, ſed virtutem generandi ex ſemine efficaciorem poſſident, vt accidit etiam Plantis. Quæ enim ex auulſione facilè proueniunt, vt plurimum difficilem habent propagationem ex ſemine, vt Ficus: contra quæ ſemen valdè fęcundum habent, difficile, aut nullo pacto ex auulſione proueniunt, vt Pinus. Porrò illud quoque conſentaneum videtur: hominum proles & reliquorum F animalium, quæ ab vno aliquo primo ortum duxerint, aliquando defecturas, & earum iuuentutes quaſdam eſſe ac ſenectutes, vt reliquorum omnium quæ à tempore menſurantur. Indicant autem hoc imperfectorum generationes. Cum enim ex putri materia orta fuerint, quædam nihil amplius generāt, vt vermes quidam: alia generant quidem, ſed genita ad perfectionem non perueniunt, vt Muſcarum vermiculi, non enim ex his aliæ muſcæ fiunt: ſed prius moriuntur quam ad perfectionem veniant: Alia ſuos fœtus perficiunt, vt tandem parenti ſimiles reddantur, vt apum & veſparum vermiculi: hi enim perficiuntur: Sic papiliones, qui ex erucis exeunt, ſuos fœtus ſub braſſicarum & aliarum plantarū folijs condunt, qui in alias erucas trāſeunt, ex quibus alij papiliones perficiuntur, ſed non ſæpius hæc iterantur propter imperfectionem. Simile quid accidit ijs, quæ non ſemel ſed

pluries

A pluries pariunt, vt apibus: Ex ijs enim quos Reges vocant, primo apes numeroſi fiunt, poſtea Reges pauci, qui & corpore maiores ſunt. Ex apibus autem Fuci naſcuntur Regibus ſimiles, ſed ſteriles & imperfe-cti, carent enim aculeo. 3. de gen. Ani. cap. 9. Quemadmodum igitur in huiuſmodi videmus aliquando naturam ſteriléſcere: putandum eſt idem accidere perfectioribus ſed in multo longiori tempore. Eadem enim eſt ratio in omnibus. Patet autem hoc vel in ipſis hominibus: multæ enim hominum progenies defecerunt, quæ autorum teſtimonio quondam aderant, vt Gigantum. Atteſtantur hoc & alterationes generis humani: imbecilliorem enim hominum naturam noſtris tem poribus eſſe quam antea non ſolum circa corporis robur ſed & circa vitæ ſpacia animaduertimus. Credendum enim eſt calorem cęleſtem in materia concluſum circa initia longè magis vegetum eſſe, quam procedente tempore: ob mixtionem enim materiæ debilitari opor-

B tet quanto magis diſtat à principio. Quemadmodum autem quædam deficiunt, ſic alias ſuſcitari diuerſis temporibus oportet: patet autem id in Aphrica: regio enim hæc torridam zonam continet: vnde ceſſit in prouerbium: Semper noui aliquid affert Aphrica: quamquam id multi tribuerint, diuerſorum animalium frequentiæ iuxta aquas, vnde ex diuerſorum coitu diuerſa orirentur, vt mulus ex equo & aſino: vt tradit Ariſtoteles. 2. de gen. Ani. cap. 5. Sed vltima dubitatio difficultatē facit non huic ſententiæ ſolum, quod omnia quæ ex coitū oriuntur, oriri poſsint ex putredine, ſed etiam oſtēdit nullam ſubſtantiam oriri poſſe ex putredine. Num igitur animalia ſpontè orta, negentur ſubſtantiæ eſſe? Nam ſi ſubſtantiæ ſunt, non erit proprium ſubſtantiarum præexiſtere aliam ſubſtantiam actu & vniuocam, quæ facit. Sol enim non eſt vniuocum cum ijs quæ ab eo fiunt. Neque hoc omni ſubſtātiæ conuenit, ſcilicet generare ſibi ſimile: lapis enim

C nō lapidem gignit, neque terra terrā, nec aqua aquam, nec aer aerem: ſed ſolus ignis videtur ignem facere, & id quod habet caliditatem animalem, idque ſi perfectum ſit, imperfecta enim animalia diximus non gignere ſibi ſimilia. Neque ſoli ſubſtantiæ ineſt, nam omnia contraria apta nata ſunt ſe inuicem expellere, & à ſe inuicem pati. De Senſu. c. 4. aptum enim natum eſt non ſolum calidum calefacere, ſed & frigidum frigefacere, & humidum humectare, & ſiccum ſiccare, & de cæteris eodem modo. Patet etiam 7. Metaph. tex. 32. commune eſſe in omnibus pręexiſtere ſpeciem quæ non fit: ſiue in ſubſtantia, ſiue in quanto, ſiue in cæteris prædicamentis: non enim fit rotunditas ſed æs rotundum. Quòd ſi dicamus actu præexiſtere ſpeciem in accidentibus quidem non eſſe neceſſarium, ſed potentia tantum: In ſubſtantia autem actu pręexiſtere oportere: incidemus in Ideas: ſpecies enim eorum, quæ ex putredine fiunt, cum non præexiſtant in ſingularibus, ſe-

paratæ erunt, ſi præexiſtere actu oporteat. Proprium ne igitur ſubſtantiæ illud fuerit, non quia omni conueniat, ſed quia ſoli? quemadmodum dicimus proprium hominis eſſe, muſicum, quia ſoli non tamen omni inſit. Quaſi ſufficiat quaſdam eſſe ſubſtantias, in quibus illud ſit neceſſarium, vt ſcilicet homo hominem gignat, & equus equũ, & alia huiuſmodi, quibus data eſt hæc facultas generandi ſibi ſimile: in reliquis autem non ſit neceſſarium efficiẽs præexiſtere eiuſdem ſpeciei, ſed ſatis ſit potentia ſolum in materia contineri. At ſi hoc modo dicamus, præterquam quod repugnat ijs quæ ſuperius demonſtrata ſunt, ſcilicet omnia quæ ex ſemine fiunt, fieri poſſe ſponte: repugnat quoque verbis Ariſtotelis loco citato: Nam ſimpliciter de ſubſtantia inquit neceſſarium eſſe ſemper præexiſtere aliam ſubſtantiam actu exiſtentem & vniuocam: non igitur poſſunt hæc accommodari quibuſdam ſolum. Præterea fieri nequit vt materia & quodcunque potentia conſtat, ad actũ tendat, niſi præcedat aliquis actus qui faciat. 9. Metaph. tex. 13. aliquid ergo huiuſmodi etiam in ijs ſubſtantijs præcedere oportet, quæ fiunt ſponte. Non ſequitur autem ob id, in accidentibus quoque præexiſtere actu oportere aliquid ſimile: inſequuntur enim ipſam ſubſtantiam: idcirco ſufficit eius præſentia, quod actu facit ſubſtantiam, quod enim illam tribuit, ea quoque tribuit, quæ illam conſequuntur. In generatione autem ſubſtantiæ hoc non contingit. Quod enim ſimpliciter fit, non inſequitur alterius ſubſtantiæ generationem, eſſet enim accidens, & non ſimpliciter fieret. Oportet ergò in omni ſubſtantia, cum fit, præexiſtere alteram ſubſtantiam actu quæ facit ex eo quod potentia eſt actu ſubſtantiam. At verò inſuper oportet eiuſdem ſpeciei eſſe actum qui facit: quomodo enim muſicus domum faciat, aut ædificator ſanitatem? Quod igitur ex potentia animali actu animal facit, animal eſſe oportet: & quod hoc animal ut hominem, hominem eſſe neceſse eſt qui facit: ſic enim fiunt, quæcunque natura fiunt. 7. Metaph. tex. 22. Ex dictis igitur patet, omni & ſoli ſubſtantiæ conuenire, vt neceſſe ſit actu præexiſtere alteram ſubſtantiam eiuſdem ſpeciei, quæ ex eo quod eſt potentia actu faciat. Quomodo igitur aufugiemus incommoda, vt non admittamus ſpecies eorum, quæ fiunt ſponte ſeparatas eſſe à ſenſibilibus? neque negemus huiuſmodi ſubſtantias eſſe? Dicendum eſt igitur in his quoque, vt in cæteris, quæ alicuius gratia fiunt, principium eſſe ipſam ſpeciem & ipſum quid eſt: Hoc autem non eſſe ſeparatum à ſenſibilibus, vt apud eos, qui Ideas ponunt. Non enim prodeſſet ad generationem ſingularium. 7. Metaphyſic. tex. 28. Non tamen in omnibus ſimiliter manifeſtum eſt idem ſpecie eſſe id quod facit. Accidit autem hoc propter duas cauſas. Primum quidem, quia id quod facit, aliquid aliud eſt præter id quod fit: non tamen faceret,

A ret, niſi in eo includeretur aut tota ratio eius quod fit, aut talis pas, ad quam tota ratio inſequi poſſet: vt Polycletus non efficeret ſtatuam, niſi in eo includeretur ſtatuæ ratio: eam igitur efficit non quatenus Polycletus eſt, aut homo, ſed quatenus artem habet condendi ſtatuas, hæc autem ratio eſt eius quod fit. Et lapis attritu ignem facit, non tamen ignis eſt nec ipſe nec attritio: continetur tamen in attritione caliditas, quæ aut eſt tota ratio ignis, aut pars talis, ad quam inſequi ignis ratio poteſt. Exemplum tradit Ariſtoteles de ſanitate, quæ cum ſit humorum æquatio in calido & frigido, à caliditate fit, quia pars aliqua eius eſt: ipſa autem caliditas ab ea fit caliditate quæ eſt in motu. 7. Metaph. tex. 23. & 30. Alterum autem quod in cauſa eſt vt non ſemper vniuocum videatur ipſum efficiens, eſt: quod natura conſtantia ſunt, quæcunque ab aliquo principio, quod in ſe ipſis eſt, continuè mota perueniunt ad aliquem finem. 2. Phyſ. tex. 84. Cum igitur in materia B fuerit aliqua pars rei, quæ talis fuerit, vt à ſeipſa moueatur: quemadmodum accidit ſeminibus, quæ accepto motu ab eo vnde orta ſunt, eo abiuncto adhuc mouentur ſponte, donec ad finem generationis perueniant: ob id non videtur vniuocum eſſe efficiens cum eo quod efficitur, ſemen namque non eſt homo aut animal: Sed in eo aliqua pars eſt eius quod fit. Moueri autem multa poſſe ex parte facta explicatum eſt. 7. Metaph. tex. 29. & 2. de gen. Anim. cap. 1. vbi ſemen aſſimilat Machinis quibuſdam ſponte motis. Partium enim cum prima ab aliquo extrinſeco principium motus acceperit, altera actu efficitur, etiam abiuncto eo, quod primo mouit. Ex his igitur manifeſtum eſt, non eſſe neceſſarium in agente omnia ineſſe quæ in materia fiunt, ſed ſatis eſt quædam, quæ poſtquã in materia facta fuerint, apta nata ſunt reliqua quodammodo efficere. Hoc enim in cauſa eſt, vt quædam arte fiant & caſu: atque in natura quædam ex ſemine parentum & ſpon C te. 7. Metaph. tex. 31. Vniuocum igitur aliquo pacto agens eſſe neceſſe eſt, nec oportet vbique ſic eſſe, vt cũ homo hominẽ gignit. Ex quibus patet ſolutio eorum quæ dubitabantur. Quando enim ex putri materia animalia fiunt aut plantæ, præexiſtere ſemper oportet actu caliditatem quandã non igneã, ſed cœleſtem in putri materia comprehenſam, non quatenus putredo fit, ſed cõcoctio quædam: aut illi proportione reſpondentem, qualis in ſeminibus eſt: neque adhuc ſatis eſt quãcunque caliditatẽ animalẽ præexiſtere, ſed oportet vniuſcuiuſque ſpeciei eſſe propriam. Omnia autem hæc in ipſo cœli motu præcipuè Solis & Lunæ ſunt primò, ſecundariò autem in iis quæ genita ab illo fuerint: Cœli enim motus cæteros omnes præcedit. 8. Phy. tex. 77. & propter ipſum reliqua ſunt omnia. 1. Meteo. cap. 3. Idcirco non eſt timendum ne aliqua ſpecies vnquam deficiat, quamuis omnia ſingularia contingat aliquando corrupta eſſe: remanet enim in agente

æterno

æterno virtus æterna omnium ſpecierum. Sed amplius dubitare contingit; non enim ſufficit caliditas ad conſtitutionem animalium: nam ratio qua caro eſt aut os, aut manus & reliquę partes, non à caliditate & frigiditate efficitur, ſed à motu proficiſcente ab eo quod actu eſt tale quale potentia eſt id quod gignitur. 2. de gen. Anim. cap. 1. oportet igitur præcedere animam actu: eius enim officium eſt generare tale quale ipſum eſt. 2. de Ani. tex. 49. At in ijs quæ ſponte oriuntur, quomodo ſingulorum animæ præcedent actu? aut enim in ambiente erunt animæ: aut dabuntur animæ ſine corpore & ſpecies ſine materia. Eſſe autem in ambiente animam refellit Ariſtoteles. 1. de Anim. tex. 87. & 3. de Ani. tex. 66. An duo ſunt agentia omnium generationes? vnum quidem mouens motum, alterum autem immobile? 2. de gen. & cor. tex. 60. Primum igitur mouens immobile omnium perfectiones tribuit: caliditas autem ex motu cœli facta inſtrumentum eſt: Spiritu enim tanquam inſtrumento communi vtitur natura, 5. de gen. Anim. cap. 9. & 2. eiuſdem, cap. 4. diſtinguuntur animalium partes ſpiritu, caliditate autem operatur concoctionem. 2. de Anim. tex. 50. Eſſe autem ſpiritum corpus calidum & humidum oſtenditur. 3. de gen. Anim. cap. 10. fit enim incaleſcentibus humoribus corporeis veluti bulla ſpumoſa, hunc autem ſpiritum habere ipſum calorem cęleſtem, & differre nobilitate & ignobilitate, vt etiam animæ differunt, declaratum eſt. 2. de gen. Ani. cap. 3. Quemadmodum igitur in motu Solis continẽtur omnes differentiæ huius caliditatis & ſpiritus: ſic in primo mouente ſunt quodammodo omnium formæ. Sed quomodo id contingit abſque Ideis, explicatum eſt alibi à nobis. Concludimus igitur ab his principijs, ab intelligentia quidem tanquam primo mouente, à cœlo autem tanquam inſtrumento: omnia quæ hic ſunt oriri primò, ſecundariò autem à ſe inuicem in ijs quæ perfectiorem naturam adepta ſunt. Propter quid autem Ariſtoteles teſtetur ſolum de quibuſdã fieri eadem ex ſemine & ſine ſemine. 7. Metaph. tex. 23. non auferit autem de omnibus id aſſerere, ſed innuere tantum. 3. de gen. Ani. c. 10. non eſt noſtrum diuinare.

D E F

Fœminam non ſolum materiam tribuere conceptui: ſed & formam, Marem autem formam ſolum. *Quæſt. II.*

CVm ſit eiuſdem ſpeciei mas & fœmina: vterque autem excrementum quoddam vltimi alimenti gignat: videretur vterque ex ſe generare poſſe ſine vtriuſque coitu: animam enim vterque obtinet eandem ſpecie, & excrementum illud quod eſt generationis principium. Huius igitur gratia concedit Ariſtoteles. 2. de gen. Ani. cap. 4. fœminas quaſdam ex ſe generare poſſe ſine maris admix-

A admixtione: vt videtur in ijs, quos Rubelliones vocant in genere piſcium: mas enim nullus in eo genere viſus eſt, ſed omnes fœminæ fętu plenæ reperiuntur. In ijs autem in quibus mas diſtinctus ęſt à fœmina, & ſi non perfectè fœmina ex ſe generet, mas enim fruſtra eſſet, aliquem tamen conceptum ſine maris coitu parere eſt manifeſtum. Patet id in auibus, quæ oua ſubuentanea pariunt: non enim putandum eſt ea omnino anima carere, cum augeantur, vt reliqua animata. Idcirco animam vegetatiuam ſolum ipſis ineſſe concedit: Senſualem autem qua animal eſt nequaquam, ſed hanc ex maris genitura accedere. Maris enim & fœminæ diſtinctio eſt animalium tantum, non plantarum. Vegetatiuum autem ſolum organa ſenſuum gignere nequit. Sed propter quid ſenſualem animam & reliquas perfectiones fœmina non tribuit, cum & ipſa habeat actu eaſdem animę perfectiones, quas habet mas? Vult igitur Ariſtoteles. 2. de gen. Anim. cap. 1. in quibus B fieri potuit diſtinctum eſſe vtrunque ſexum, vt id quod præſtantius eſt ſepararetur à deteriori, præſtantius autem eſt agens patiente, & forma quàm materia, ſecundum quæ mas dicitur & fęmina: quod in animalibus progreſsiuis omnibus factum eſſe teſtatur. 1. de gen. Anim. cap. vltimo, quia præter officium generandi, adepta ſunt alterum nobilius, uim ſcilicet cognoſcendi. Ob id in plantis naturam minimè ſeiunxiſſe marem à fœmina, quia præter ſeminis generationem aliud non præſtant: oportuit igitur in illis perpetuo coniunctas eſſe vtraſque naturas, vt in animalibus tunc ſolum, cum officio generationis incumbunt. Idcirco plantas non genituram effundere, ſed conceptum inchoatum: ac veluti ouum perfectum. Quæ cum ita habeant, fœminæ officium eſt materiam præſtare, maris autem uim agendi ſolum eatenus, quatenus fęmina deficit in hac facultate: oſtenſum enim eſt aliquam perfectionem tribui à fœmina: non poſſe autem ex ſe omnino C perficere, vbi diſtinctus eſt mas. Ratio autem exigit maris genituram nullam partem materiæ tribuere conceptui: eſſet enim iam cõceptus quidam, cum facultatem animalem habeat & materiam, ut in fœminis ouum eſt ſine maris coitu. Quod ſi hoc eſſet, non particulatim emitteretur, ſed totum ſimul: diuiſio enim conceptum deſtrueret. Præterea cur miſceri duas materias oporteat maris ſcilicet & fœminę? ſi enim uirtus vtriuſque in alteram agat, in materiam maris perfectiorem aget imperfectior virtus fœminæ: hoc autem modo non ad perfectionem tendet generatio ſed ad imperfectionem. Si autem ſingulæ virtutes in ſuam materiam agant, non vnum fiet animal ſed duo, vnum ſcilicet ex ſemine maris, alterum ex materia fœminæ. Sufficit igitur vna materia fœminæ & unum agens quod eſt in ſemine maris, vt vnum ab illis fiat. Manifeſtum autem præbet indicium, quod notauit Ariſtoteles in ouis ſubuentaneis: ſi enim certo quodam tempo

re ſuperueniat ſemen maris, redduntur fœcunda: & in piſcibus poſtquam fœmina oua eiecerit, mas ſemen aſpergit: ſic enim fœcunda fieri. 1. de gen. Anim. cap. 19. Quod ſi mas præberet materiam oporteret aduenire ante ouorum conceptum, non poſtea. Amplius ex natura ſeminis: ſi enim ex eius materia conſtituerentur aliquæ partes, coagulari oporteret: non enim ſine coagulatione ſimilaria oriuntur, vt os, neruus, cartilago, vena: at ſeminis natura neque à calido neque à frigido coagulatur: à frigore enim humeſcit & aqueum fit: à calido autem aqua non coagulatur: oportuiſſet autem à calido coagulari, vt oui ſubſtantiam videmus facere: relinquitur igitur eius ſubſtantiam plenam ſpiritus eſſe in quo calidum vitale continetur, aqueam verò ipſius ſubſtantiam ſpiritus gratia coniunctam: efficitur enim humore incaleſcente veluti bulla. Argumento quoque eſt inſectorum coitus: ex mare enim ſolus vapor & ſubſtantia calidi innati ſine humore aliquo videtur in fœminam recipi, cum mas non aliquod membrum inſerat in fœminam: ſed contra fœmina vuluam inſerat in meatum maris: qui coitus non breui tempore, vt cæteris ſemen emittentibus, accidit, ſed per multum diei ſpacium peragitur: alterari enim cõceptus ſuos inchoatos tactu maris oportet. De materia autem fœminæ ex qua primus fit conceptus, dubitatio eſt: Cum enim quædam vt mulieres ſemen emittant in coitu perinde ac mares (teſtes enim inſunt & ſeminis vaſa vt viris, licet omnia intro condita) ſi nihil fruſtra à natura fit, in generatione præſtabit hæc ſubſtantia aut materiam, aut vim agentem: vult autem Ariſtoteles neutrum efficere. 1. de gen. Anim. c. 18. concipiũt enim mulieres etiam ſine illa ſeminis profuſione: Præterea fruſtra fieret huiuſmodi emiſsio extra, cum retineri materiam oporteat: ideo retrahi intus iterum debeat. 2. de gen. Ani. cap. 4. Præſtare tamen vtilitatem quandam ad ſeminis maris directionem & voluptatem. Sed amplius cum hæc materia ex locis ſeminalibus eiaculetur quemadmodum viris, eius naturam oportet eſſe geniture ſimilem, & ſpiritum continere, vt illa: non enim eiaculatio fit ſine ſpiritu. Materia igitur conceptus eſſe nequit, non enim coagulatur: ſed potius vim agendi, vt ſemen maris videatur poſsidere: At propter imperfectionem ſexus inualidum eſſe neceſſe eſt, vt etiam quod à pueris emittitur. Non autem ob id fruſtra conceſſum eſt, trahit enim natura ad alios vſus: vt etiam mamillæ in viris videntur eſſe: non enim lactis gratia, vt mulieribus datæ ſunt. Alterum igitur excrementum fœminis ineſſe oportet, quæ materia ſit conceptus: huiuſmodi autẽ eſſe quod in perfectioribus animalibus veluti mulieribus menſtruum vocatur. Subſtantia enim hæc coagulabilis eſt, vt ſanguinis & lactis. Ex puriſſima autem huius ſecretionis parte formari animal agente ſeminis virtute, vt ſolet coagulum in lacte; ex reliquo autem poſtea augeri paulatim

A latim adueniente. Quæ diſtinctio in ouis eſt manifeſta: ex alba enim parte, quæ tenax eſt, formatur primo animal, ex lutea autem augetur deinceps. Sed in ijs quę pariunt oua, oportuit totam materiam ſecerni prius quam animal fieret: in viuiperis autem non fuit hoc neceſſarium: cum enim in vtero matris perficiatur fętus, materia ab eodem paulatim diſpenſari poteſt. Signum autem eſt menſtruorum materiam eſſe fętus materiam, quod quæcunque eo excremento carent, non concipiunt: & cum conceperint, ceſſant purgationes menſtruæ: tendit excrementum id in incremẽtum fœtus: idemque poſt partum tendit ad vbera pro lactis generatione: ideo & tunc quoque purgationes menſtruæ non adſunt quamdiu lactant. Sed medici hęc inceſſunt, aſſerentes primam animalis cõſtitutionem ex ſemine maris fieri; Semen verò mulieris nutrimentum primum alteri eſſe: Ex vtriſque autem fieri partes albas, quas ſeminales vocāt; Ideo copulari in coitu B vtrumque ſemen fęmineo circumamplectente maris genituram. Ex ſanguine deinde menſtruo partes carneas oriri, eodemque nutriri fœtum. Venerunt autem in hanc ſententiam, quia maris genituram ab vtero auidè trahi & retineri vident, non expelli neque euaneſcere conuerſum in flatum vt voluit Ariſtoteles. 2. de gen. Anim. cap. 3. Notauit enim Hippocrates ancillam quandam ſaltatricem, cum concepiſſe ſe animaduertiſſet, dimotione corporis & ſaltu vehementiori poſt ſex dies effeciſſe, vt genitura quā vterus retinuerat, excideret: erat autem perinde ac ſi quis crudi oui exterius putamen detraheret, vt per interiorem membranulam interior humiditas perluceret. Si igitur ſemen in tam breui tempore membrana clauditur, eius humiditatem in fœtus conſtitutionem venire neceſſe eſt. Præterea ſanguinem menſtruū materiam ineptam eſſe oſtendunt ad primam partium cõſtitutionem, cum nec intẽdi & duci queat ob craſsitiem, neque retinere formas & C meatus à ſpiritu factos, ob tenuem humiditatem minimè tenacem: omnia autem commoda in genituræ humiditate ineſſe, lentorē enim habere & naturam maximè ſequacem & albam. Amplius circa occurſum genituræ ad ſanguinem menſtruum dubitant. Si enim collecto in vteri ventre menſtruo occurrat genitura, generationem ex concreto ſanguine fieri concedetur, concreſcit enim in grumos omnis ſanguis vbi extra venas extiterit. Si autem in vaſorum orificijs exiſtenti occurrerit, nec membrana claudi materia fętus poterit, neque vnum corpus effici. Hęc ſunt pręcipua quibus Ariſtotelis ſententiam labefactant. Sed & amplius aduerſus eundem dubitatur. Videtur enim ſemen maris ex neceſsitate partē eſſe eius quod generatur, nec extrinſecū quid. Nam ſi extrinſecū quid eſſet: actu iam haberet formā, quemadmodū omne efficiēs: at potētia eſſe cõceditur. 2. de gen. An. c. 1. vbi inquit; Sed habeat ne ſemen animam nec ne, ratio eadem ac de partibus eſt;

nec

nec enim anima vlla eſſe poteſt in alio niſi in eo cuius eſt: neque pars D
vlla eſſe poteſt quod particeps animæ non eſt niſi æquiuocæ vt mortui oculus: Semen igitur & habere animam & eſſe potentia palam eſt. Si ergo potentia animatum eſt ipſum ſemen, non actu: perfici ipſum oportet non perficere: materia igitur erit & pars eius quod efficitur, non efficiens. Similis eſt argumentatio Ariſtotelis. 2. de gen. Anim. cap. 1. de partibus quæ non ſimul generantur, non enim prima poſteriorem facit, vt Cor reliquas: oporteret enim in corde eſſe reliquarum partium formas, quoniam tum in artibus tum in natura efficitur id quod potentia eſt ab eo quod actu eſt. Idem igitur de ſemine dicendum, cum potentia ſit non actu, effici animatum corpus non efficere. Præterea ſi omne quod mouetur motum aliquid eſt, & omne quod generatur, aliquid genitum eſt. 6. Phyſic. tex. 54. in ſemine quoque aliquid huiuſmodi eſſe oportet: motus enim qui ineſt efficit quodammodo, vt ædificatio ædes. 2. de gen. An. cap. 1. ſi igitur motus eſt E
in ſemine, quem ſcilicet accepit à generante, huiuſmodi autem generatio eſt, quæ eſt in re genita. 9. Metaph. tex. 16. ædificatio enim eſt in eo quod ædificatur, & ſimul eſt & fit cum domo: ſemen aliquid eſſe rei genitæ oportet. Videtur autem & ipſe Ariſtoteles concedere primam conſtitutionem partium ex ſemine fieri. Nam 2. de gen. Anim. cap. 4. dubitans vnde primum alimentũ ſubierit, ex quo fiat cor, quam partem primò oriri vult, inquit: non omne alimentum extrinſecus aduenire, ſed protinus, vt in plantarum ſeminibus ineſt aliquid tale primum, quod lacteum vocatur: ſic in animalium materia excrementum eſſe conſtitutionis alimentum. Et inferius: de oſsium conſtitutione loquens, inquit: oſſa igitur in prima partium conſtitutione gignuntur ex ſeminali excremento: Cum verò animal augetur, incrementum ex alimento capiunt naturali quo partes principales augentur: eius tamen alimenti ſunt reliquiæ & excrementa. Itẽ paulo mox: F
Nerui etiam eodem modo quo oſſa inſtituuntur, & ex eodem videlicet ex ſeminali excremento ac nutrimento: Sed vngues, pili, Cornua & alia huiuſmodi ex cibo gignuntur aductitio & auctiuo, quem tum à fœmina tum deforis ſibi acquirũt. Idem colligere licet. 3. eiuſdem, cap. 7. vbi inquit: ſemen piſcium abſumi à natura potius ad augenda oua, quàm ad primam conſtitutionem: Si igitur quod auget nutrimentum eſt, & ſemen nutrimentum fuerit. Non ſolum ergo agentis vicem præſtabit, ſed etiam materiæ. Sed pro ſolutione eorum quæ dicta ſunt, animaduertendum eſt ſubtiliſsimum naturę artificium in animalibus gignendis ab Ariſtotele inuentum ex multorum animalium non ſolius hominis diſſectione vt ferè medici faciũt: huiuſmodi eſſe. Cum omnis animæ virtus corpus aliud participet, idque diuinius quã quatuor elementa, quem ſpiritum vocauit calidum & humidum à calore

A lore cœleſti genitum non ab igne, continuo nutrimento affluente opus fuit, Quoniam autem idem numero animal calorem hunc con ſeruare nequit, ſed neceſſe eſt aliquando marceſcere, generatione alterius quod idem ſpecie eſſet, æternitatem ſibi parauit. Sed uideamus propter quid in eodem animali calor nutriri continuè nequeat, hoc enim faciet ad eorum quæ dicenda ſunt intelligentiam. Nam dubitare licet, ſi vitæ principium ignis quidam eſt, ignis autem ſuppetente materia nunquam deficit: propter quid non æterno tempore viuit animal? Sunt enim quidam ignes perennes, vt in Veſuuio, & Circulo lacteo, vt vult Ariſtoteles. An quia in omni igne fiunt excrementa? Si igitur hæc expelli ſemper contingeret etiam daretur ſempiterna nutritio: ab illis autem ſuffocatio quædam fit caloris, & imbecillitas, vt trahere amplius alimentum nequeat. Flammæ igitur externæ expellere poſſunt excrementa, vt cineres ac fuligines quia in aperto ſunt: at B animalium ignis inſtrumentis concluſus, non ſemper poteſt, nec omnia, præcipuè autem ea quæ craſſa ſunt, cineri reſpondentia. Quamobrem per ætates redditur ſiccius animalis corpus, quamuis continue humido affluente nutriatur, quoniam fluere id totum quod aduenit impoſsibile eſt, ſed ſolum pars tenuior & exhalabilis abſcedit, relinquitur autem id quod craſsius eſt, vnde ſiccitas corporis & ſenectus comparatur. Quædam igitur animalia hanc ſiccitatem ac ſenectam exuunt ſtatis temporibus, veluti mutato indumento, vt erucarum genus & ſerpentes. Similis ratio eſt in Plantis, cum ſobole erumpente reiuueneſcunt: virtus enim animæ derelicto veteri caudice, viget in nouello. Sed quoniam id minus eſt perpetuum, nec ubique eo modo licet ſiccitatem cõmutare, alium modum perpetuitatis natura molita eſt. Nam quò ignis æternè vigeret, ac nunquam à ſiccitate corporis atque excrementis extingueretur, ex humidiori alimento, quod in C fonte caloris vim hanc igneam conceperit, ſeparauit ſemen, quod proiectum in locum, vnde alimentum commodum ſuſcipere poſſet, tanquam noua facula alterius ignis eſſet principium. Factum eſt autem, vt in quibuſdam vnà cum igne materia etiam ſubeſſet commoda ad inſtrumenta animæ paranda: in his igitur, conceptus quidam in parente oritur, qualia ſunt plantarum ſemina, & quorundam animalium oua. In alijs autem in quibus mas diſtinctus eſt à fœmina, quæque naturam magis articulatam poſsident: fœmina materiam, Mas ſpiritum in quo vitalis calor continetur ad fœtum efformandum impartiuntur. Idcirco nunquam in vaſis repertum eſt maris ſemen in conceptum aliquem cogi, licet in quibuſdam eodem modo formata ſint maris & fœminæ vaſa, vt in piſcibus. Fœminarum enim materia in oua diſtribuitur ſine maris auxilio: Maris autem ſemen continuum permanet ſemper lactis modo modicè inſpiſſati: & fœtus multitudo pro ouorum multi-

multitudine oritur non genituræ. Ratio autem eſt,quia vbi multum D
ſpiritus gigni oportuit, non potuit natura ſimul materiam admiſcere,
ſed quantum potuit eam ſeparauit, ne vnum alteri fuiſſet impedimen
to: quemadmodum etiam accidit in cæteris partibus: ouorum enim
quædam diſtinctum habent luteum ab albo, vt in auibus,quò alimen
tum primæ conſtitutionis diſtingueretur ab actiuo: in piſcibus autem
& lacertis hęc non diſtinxit,quia frigidiora ſunt & imperfectiora. Si-
militer & cæteræ partes in his minus articulatæ viſuntur, quia in prin-
cipijs minor eſt diſtinctio. Cum autem ſpiritus corpore egeat in quo
contineatur,quæ eſt ſeminis corpulentia humida, non potuit hæc ea-
dem materia eſſe partium animalis. Cum enim concludi hunc inſtru
mentis oporteret, neceſſe fuit intrinſecus non extrinſecus agendo ar-
tificis more membra efformare. Quod ſi ſpiritus intra ſeminis corpu
lentiam canales ſibi pararet ac ventres, more figuli,qui flatu ſuo vitrũ
igne emollitum inflat & ducit vt libet: cauitates tantum internas effe- F
ciſſet,extrinſecus autẽ indiuiſa & indiſtincta eſſent omnia inſtar ſpon
giæ cuiuſdam,aut ligni variè à teredinibus perforati. At non ſic vide-
mus viſcera condita eſſe,& venas,& neruos & inteſtina, & ventres re-
liquos: non ſolum enim intra,cauitates certas habent, ſed & extrinſe-
cus terminis certis ac figuris clauduntur. Vnicus ergò modus fuit re-
liquus, vt ſcilicet ſpiritus qui in ſemine eſt, eius corpulentia vteretur,
tanquam receptaculo prius quidem ipſius ſpiritus, deinde autẽ ipſius
primi alimenti propter caliditatem eodem confluentis. Primò enim
veluti lineas quaſdam in ſeminis corpulentia ducit, vt pictores face-
re ſolent, qui prius deſignant, quam colores addant, quo exemplo
vſus eſt Ariſtoteles. 2.de gen.Anim. cap.4. Deinde verò in loca deſi-
gnata alimentum vi caloris attractum ſimiliter configurat intrinſecus
quidem ſeipſo,extrinſecus autẽ figura iam in ſemine deſignata: Cum
primum autem alimentum hoc concreuerit, ſeminis corpulentia per- F
acto munere,cuius gratia data erat, ab eodem calore diſſoluitur & in-
ſenſibiliter euaneſcit: eius enim natura humida exiſtens à calore pau
latim in vapores extenuatur: atque inter cætera excremẽta expellitur
à natura. Quemadmodum apud fuſores metalli fieri ſolet: Formas
enim quaſdam ex luto prius confingunt, in quas poſtquam metalli li-
quor permeauerit,atque concreuerit,lutum omne & alienam ſubſtan
tiam auferunt. Sic natura vtitur humore cõtento in ſemine,ſubſtan-
tia enim eſt dilatabilis ac permeabilis, & talem habet conſiſtentiam,
vt primum alimentum continere queat, donec coaguletur, ipſum au-
tem nequaquam indureſcat: ſic enim impedimento fuiſſet, cum ne-
quiuiſſet diſſolui. Propterea ſemen inſtrumentum generationis appel
latur, 1.de gen.Ani.cap.vlt. Inſtrumẽta enim non ingrediuntur opus:
ſed media ſunt,per quæ ab agente communicetur actus in materia.In

quibus

A quibus igitur ſeminis corpulentia maximè ſeparari potuit, perfectiora orta ſunt animalia, diſtinctionem organorum optimam habentia: in quibus autē ea continetur, minus diſtincta apparent, vt plantarum corpora, & animalium ſanguine carentium. Simile autem quid videtur eſſe in Mola appellata in perfectioribus animalibus, indiſtincta enim eſt carnis ſubſtantia. His hoc modo conſtitutis facilè ſoluentur dubitationes. Quod enim medici notarunt ſemen maris, non expelli, ſed primis diebus membrana claudi, verum eſt: non tamen ex hoc inferre poſſunt id quod intra membranam cōprehenſum eſt omne tranſire in ſubſtantiam animalis: per hanc enim membranam materia fœtus ex vaſis vteri ad ipſam deſinentibus diſpenſatur intro, vt in adultis patet: atque intra eandem aſſeruantur excrementa, donec fœtus in lucem exeat. Nam cum tres ſint membranæ fœtum inuoluentes, extrema veluti ex venis & arterijs eſt contexta, quæ ſunt veluti radices,
B quibus fętus ex vtero haurit alimentum. Si igitur radices prius oriri oportet, vt apparet in Plantis: hanc membranam prius fieri eſt neceſſe, vnde ſubeat alimentum: ex quibus patet non eſſe primum alimentum ipſam genituram, neque ſemen fœminæ, quod in coitu emitti ſolet: oporteret enim alias eſſe radices, quæ in huiuſmodi ſubſtantias eſſent implantatæ, at nullæ aliæ apparent, quam quæ in membrana diſſeminatæ ſunt ad vteri oſcula deſinentes: per umbilicum enim tranſeunt in ventrem fœtus. At dubitabit quis circa harum radicum ortum vtrum principium ducant ab vteri oſculis, an à ſemine. Dicimus nō poſſe ab oſculis incipere, fiunt enim per attractionem alimenti, non per expulſionem: principium autē attractionis in ſemine eſt, vbi calor ineſt vitalis. Quemadmodum igitur coagulum lacti inſperſum in vnum quid confluens, reliquas lactis partes craſsiores ſecum ducit, & ab humore ſeparat, vndè oritur coagulatio: ſic calor, qui in
C ſemine continetur & ſpiritus in vnum concurrens principium eſt attractionis materiæ, quæ in venis vteri continetur, qua cōcreta reliquus humor corpulentus excernitur: Circunducuntur autem membranæ partim ex neceſsitate, reſiccata parte terrena quæ extima fuerit, vt in pulte refrigerata contingit, partim alicuius gratia, vt à ſuperflua menſtruorum humiditate quæ in coagulatione ſeparatur, fœtum abiungerent: oportet enim animal in ſicco eſſe non in humido. 2. de gener. Anim. cap. 4. Patet igitur ex qua materia oriantur membranæ fętum inuoluentes: quomodo autem eæ tres fiant, hinc conſideretur. Facto igitur cōcurſu ſpiritus in vnum principium, vbi cor cōſtituendus eſt, aut id quod cordis proportionem gerat, vndequaque tāquam ad centrum confluere materiam oportet primam ex menſtruorum ſinceriſſima ſubſtantia, ex qua viſcera & venæ conſtituantur. Ingrediente autem hac materia per canales in ſemine à ſpiritu factos venę conſti-

P tuuntur,

tuuntur, quæ veluti radices ſunt fœtus, quà autem in vnum concurrũt D conſtituitur cor primo, deinde reliqua viſcera. Quamuis autem abſoluto animali venæ, quæ vmbilicales appellantur, non deſinant in cor: ſed vena quidem in venam cauam iuxta hepar: duæ autem arteriæ in aortæ ſectionem ad crura tendentem, nõ officit ijs quæ diximus, quoniam creſcente corde & reliquis ex corde ductibus, paulatim inſertio prima radicum abiungitur à corde. Quod & in ſeminibus plantarum ſpectare licet: poſtquam enim radices egerint in terram, ipſa ſemina vnà cum corde attolluntur ſæpe ſupra terram vnde germinant. Accidit præterea concurſum illum radicum multarum, qui ab initio in cor fiebãt, creſcente fœtu iuxta vmbilicum fieri, tanquam manu quadam appræhendente. Idcirco membrana horum vaſorum plexum continens extima facta eſt, quam Græci Corion vocãt: reliquæ autem duæ ex finibus ipſius fœtus ortum ducunt non ex principio. Quæ enim Corio ſubiecta eſt, quam Greci Allantoiden, id eſt inteſtinalem vocant, in vmbilico continua eſt cum peritonæo appellato quaſi illius propago quædam: Intima autem omnium duriſsima, quæ Ammios Græcè dicitur, totum fœtum circumplectens in eodem vmbilico continua eſt cum ipſius fœtus cute extima. Pulcherrimo autem artificio hæc facta ſunt: vt enim inter Peritonæum & cutem tota animalis corpulentia continetur: ſic inter Ammion & Inteſtinalem cõtinetur humiditas ſuperflua, quæ in coagulatione partium ſeparatur à fœtu ad ſimilitudinem ſudoris. In membranis igitur ſunt omnia quodammodo quæ in fœtu continentur, ſed inuerſo modo: Vt enim extima reſpondet intimis viſceribus: ſic intima cuti extimæ. Media autem partim extima partim intima. Nam peritonæum & quæ peritonæo reſpondet in thorace & capite, extima pars eſt viſcerum, intima autem ad cutem: Quæ autẽ illi reſpondet inteſtinalis interior eſt ad corion, exterior autem ad Ammion. Sed hæc uberius dicta ſunt, quam eſſet F præſentis propoſiti. Patet igitur ex dictis quamuis genitura intra membranam claudatur, materiam tamen fœtus non intra eſſe, in ijs quę pariunt animal, ſed extrinſecus paulatim diſpenſari per venas, quæ in extima membrana ſunt diſpoſitę. Corpulentia autem ſeminis poſtquam prima fœtus materia coagulationem adepta eſt, ſi quæ in flatum non fuerit extenuata, excerni vnà cum humiditate menſtrui in eam capacitatem quæ relinquitur inter inteſtinalem & Ammion. At in ijs quę pariunt ouum, quoniam repoſita continetur in ouo duplex materia, duplex etiam vmbilicus ſpectatur, vnus qui ad externam mẽbranam tendit, alter ad internam quæ luteum ambit: proportione autem reſpondent hic quidem venæ quæ alimentum fert auctiuum, alter verò arteriæ quæ primum ac nutritiuum fert alimentum: quorum vnus ad ſiniſtrum cordis vẽtriculum tendit, alter verò ad dextrum. Hæc igitur in vi-

A in viuiperis vnico vmbilico feruntur, quoniam ex eodem loco ſcilicet ex vtero vtraque materia diſpenſatur: In quadrupedibus autem ouiperis & piſcibus, vnicus eſt vmbilicus, quoniam oui ſubſtantia vnicolor eſt mixtam habens vtranque naturam alimenti: ideo in illis non reperitur duplex venarũ genus vt in cæteris ſanguineis, ſed vnicum ex vtraque natura conſtans. Ad alteram dubitationem, quæ oſtendit ſanguinem menſtruum materiam ineptam eſſe ad primam partium conſtitutionem, quia & craſsior ſit, & minimè tenax, nec alba: cõcedimus totum illum ſanguinem, qualis excerni ſolet per purgationes menſtruas, non eſſe primam materiam animalium, ſed eius partem, quam ſeligit natura trahens per arterias ex vteri arterijs: in his enim continetur concoctum ſyncerißimum primumque alimentum, ex quo nobilißima quæque partium conſtituatur: ex cuius excremento oſſa & neruos fieri teſtatus eſt Ariſtoteles. 2. de gen. Ani. cap. 4. Quod autem

B putent partes albas ex alba ſubſtantia fieri ex neceſsitate, rubeas ex rubea, nulla ratio eſt: cum enim tranſmutatio fiat alimẽti ſecundũ ſubſtantiam, quid prohibet etiam fieri ſecundum accidentia? At partes rubeas non ex rubeo fieri patet in ouorum cõceptu, in ortu enim pulli oritur ſanguis ex non ſanguine tum ex albo tum ex luteo. Præterea quid impedit, quominus ex materia menſtrui excrementi quamuis rubea ſeligatur pars alba? ineſſe enim albedinem ſub rubedine omni ſanguini patet per eius ablutionem, præcipuè ſi ex muliere mittatur ſanguis in aquam calidam, nam non multo poſt, rubedine abluta, coit ſubſtantia alba ac pituitoſa: Eſſe autem primam materiam animalium, pituitam in menſtruo excremento contentam, aperuit Ariſtoteles. 1. de gen. Anim. cap. 18. pituitę enim alimenti vtilis excrementum eſt, ideo alere poteſt. Non ergò ex ſanguine creatur animal, ſed ex ſanguinis excremento, quod enim in corde matris perfici nequiuit, perfi-

C citur in corde fętus. Quod autem circa occurſum genituræ ad excrementum menſtruum arguunt, patet ſolutio ex dictis: non enim occurrit menſtruo in cauitate vteri exiſtenti, ſed ei quod in vteri venis continetur: membrana autem clauditur non materia fętus in viuiperis, ſed genitura: quo autem pacto intro primum alimentum attrahatur, explicatum eſt ſuperius. Dubitationes autem quę ex dictis Ariſtotelis colligebantur, ex ſequentibus patebunt. Ad primam igitur concedimus ſemen non habere actu formam, & potentia eſſe, & perfici oportere: calor enim & ſpiritus qui in ſemine eſt, potentia animatus eſt, fit autem actu adueniente alimento. Non enim adhuc nutritur antequam excremento menſtruorum occurrerit. Non tamen hinc ſequitur materiam eſſe animalis: non enim ſua corpulentia potentia eſt: impoſsibile enim eſt ex ea materia gigni animal, quod poteſtate continet ſemen: ſed ſua facultate & virtute quæ in calore con-

 ſiſtit.

ſiſtit. Significauit hoc Ariſtoteles primo de generatione Animalium, D
cap. 19. vbi inquit: Itaque ſemen manus aut faciei, aut totius animalis, eſt manus indefinita, aut facies, aut totum animal indefinitum. & quale quodcunque illorum eſt actu, tale ſemen potentia eſt, aut corpulentia ſua, aut facultate, ſiue virtute, quam in ſe ipſo contineat: id enim nondum ex iis quæ expoſuimus patet, & quæ ſequuntur. Cum ergò oſtenderit inferius materiam à fœmina haberi, animam autem & formam à mare, potentia ſeminis actiua eſt non paſsiua: agit enim in menſtruum: At paſsiua quoque dici poteſt, quatenus motum hunc à generante accepit: neque adhuc ſimilis eſt generāti, apta tamen eſt illi ſimilis fieri, etiam ſi amplius generans non tangat. Idcirco non ab hac parte fiunt reliqua, cum non ſit actu, ſed ab eodem generante omnia fiunt vnum poſt alterum, vt in machinis ſponte motis apparet. Nam à caliditate cordis caliditas fit in ſemine, non tamen ſtatim actu animata, ſed quæ nutriri ſimiliter poſsit: menſtruo autem aduenien- E
te actu animatum fit, primo cor, poſtea reliquæ partes. Quodammodo igitur materia ad actum ducit, vt etiam illud quod remouet impedimenta: idem in ſeminibus plantarum ſpectatur, nam priuſquam humor ex terra adueniat, non germinant. Ad alteram dubitationem, quæ oſtendit ſemen aliquid eſſe rei quæ generatur, quia motus & generatio in re genita eſt, cōcedimus verum eſſe; caliditas enim eius, quæ eſt pars præcipua animalis, & anima quam habet potentia, remanet: non tamen ſequitur eius corpulentiam remanere. Diceret verò quiſpiam aliquod corpus neceſſario remanere: Spiritus enim corpus eſt ſecundo de generatione Animalium, cap. 3. caliditas autem animalis non ſine ſpiritu eſt. Reſpondemus ſpiritum in continua eſſe generatione, vt ignem: fit enim ex humore incaleſcente: ex menſtruo igitur alter illi ſimilis generatur, vnde continuatur eadem caliditas in alia atque alia materia, quemadmodum flumen, idem enim numero eſt, F
licet aliæ atque aliæ ſint fluminis aquæ. Non tamen idem numero eſt animal cum generante, quoniam ſeiunctum eſt ab illo, neque continuum: quemadmodum neque vnus eſt numero motus qui per quietem intermiſſus eſt: quinto Phyſic. tex. 38. Caliditas igitur quæ in ſemine vnà cum virtutibus animæ remanet eadem numero in eo quod generatur, & aliqua pars eſt rei genitæ. Quod autem dicitur primum alimentum extrinſecus non venire, ſed eſſe aliquid primum, vt in plantarum ſeminibus: intelligitur de eo quod iam in vtero præſto eſt, ex quo & genitura fit, id quod propriè ſemen appellatur. 1. de gen. Anim. cap. 18. vt ſunt ſemina plantarum. Eodem modo dicendum eſt de materia oſsium & neruorum & reliquarum huiuſmodi partium, quæ ex ſemine dicuntur fieri: non enim ex genitura vlla fiunt, ſed ex primo alimento nutritiuo: Quod autem oua piſcium

à ſemine

A à ſemine maris augeantur, nullum eſt abſurdum : ouum enim perfe-
ctum ex vtroque corpore conſtare oportet. Nihil autem refert ſiue
primū colligatur materia fœminæ, deinde ſuperueniat materia maris,
vt illis contingit quæ oua pariunt : ſiue primus conceptus ex genitura
fiat, cui adueniat materia fœminæ, vt accidit iis quæ pariunt animal.
Non tamē ob id ſequitur animal ex genituræ corpore fieri aut augeri.
Manifeſta igitur eſt ſentētia propoſita: marem formā ſolum tribuere:
Fœminam autem vniuerſam materiam, formā verò vſque ad aliquid.

Cor non ſolum arteriarum, ſed & venarum ac neruorum eſſe principium. Quæſt. III.

SI vna eſt numero animalis vnius anima atque impartibilis,
vt oſtenditur 1. de Anim. tex. 90. Aut vnum eſſe oportet
B totum animalis corpus: aut eius aliquam partem principem
vnam, vnde cæteris vita communicetur. Eſſe autem vnam numero
animam vniuſcuiuſque, atque impartibilem ex eo colligit Ariſtoteles.
Nam ſi plures eſſent eius partes loco diſtinctæ, aliquid aliud eſſe opor
teret, quod vnam ipſam animam faceret : ſi enim non vna eſſet ani-
ma, neque vnum eſſet ipſum animal : illud autem quod vnitatem
præſtat in vnoquoque forma eſt, non materia : hæc igitur anima erit
non partes loco ſeparabiles. Præterea eo ſigno manifeſtum eſt non
eſſe loco ſeparabiles animæ partes : Plantæ enim diuiſæ viuunt & ani-
malia quædam in genere inſectorum, in eadem igitur parte inſunt fa-
cultates omnes, vt vegetatiuum, ſenſitiuum, motiuum & cætera hu-
iuſmodi. mouetur enim & ſentit vtraque pars : vtraque igitur & ap-
petit & triſtatur, aut gaudet, & imaginatur. 2. de Anim. tex. 20. Vt igi-
tur in iis quorum ſectiones ſeparatæ viuunt, non diuiditur anima ſe-
C cundum partes, vt vna ſentiat, altera appetat, aut moueatur, ſed
vtriuſque particulæ anima eiuſdem ſpeciei eſt cum totius anima, 1. de
Anim. tex. 94. Sic quorum partes diuiſæ pereunt, vt eorum quæ ſan-
guine prædita ſunt, anima & actu & potentia vna eſt. 3. de Part. Ani.
cap. 5. Aut enim vtræque partes ſimul moriuntur diuiſæ, aut altera
tantū perit, vt ea quæ diſiungitur à parte principe. Manifeſtum etiam
eſt ex natura partium animæ: Cum enim vegetatiuum ſeparetur à ſen
ſu & reliquis, vt patet in plantis : reliquæ autem à vegetatiuo nequa-
quam : ſi hæ ſeparatæ eſſent loco, ſenſus eſſet aliquando ſine vegeta-
tiuo : Ablato enim principio animæ vegetatiuæ, vt hepate, in qua par-
te Plato ſedem eius animæ ponebat, non continuo moritur animal :
at impoſsibile eſt ſenſum eſſe ſine anima vegetatiua : quodcunque
enim viuit, hanc habet à principio vſque ad finem. tertio de Anim.
tex. 59. Atteſtatur id quod nullum videmus ſenſu præditum quod

non indigeat alimento: vt enim reperiuntur plantæ quæ nutriuntur D & non ſentiunt: ſic aliqua eſſent in natura, quæ ſentirent & non nutrirentur: idem dicendum eſt de cæteris animæ partibus: ſuperiores enim ac perfectiores inſeparabiles ſunt ab inferioribus imperfectioribusque: quoniam eæ veluti materia earum ſunt in ijs quæ generabilia ſunt. Si igitur animæ partes hoc modo ſe habent inter ſe, vnum eſſe oportet omnium principium non plura: idque aut totum corpus indiſtinctè, vt videtur in ijs quæ modicam habent organorum diſtinctionem, vt plantæ, & inſecta quęcunque diuiſa viuunt: aut corporis aliquam particulam vt ijs accidit, quæ perfectiora ſunt: Eſſe autem huiuſmodi Cor in ijs quæ ſanguine prædita ſunt, patet. Nam hoc primum oritur cernitur enim palpitare ſtatim in prima fœtus generatione.3.de Part. Anim. cap.4. Vltimum autem interit, quaſi eo non exiſtente, reliquę partes non ſint, niſi vt manus mortua, aut oculus mortuus: viuunt enim omnes quatenus adnatæ ſunt Cordi. Præterea ſolum aut quam maximè nullum vitium patitur: hepatis enim & cerebri vulnera non ſemper lethalia ſunt: Cordis autem ſolius vel minima ſciſsio lethalis eſt. Indicat & animi deliquium, & ſyncope cor principium eſſe omnium totius corporis operationum, in eo enim affectu, omnes ſimul operationes collabuntur, cum propria ſit cordis affectio. E Id non contingit neque in conuulſione, neque Paralyſi, neque Epilepia, nec tandem in ipſa Apoplexia, in qua totius corporis ſenſus & motus aufertur: Non enim ex ijs cordis pulſatio aufertur ex neceſsitate. Quod autem propriam cordis operationem aufert, omnes aufert. Argumentum etiam ſumit Ariſtoteles ex ſitu: nam in medio eſt, qui locus eſt commodiſsimus vt omnibus partibus vitam impartiatur. Amplius ex vi caloris, vbi enim eſt principium caloris, neceſſe eſt reliquarum virtutū eſſe principium, omnis enim animæ virtus in calore conſiſtit. Si igitur ex corde reliquæ partes hunc conſequuntur, operationes igitur omnes ab eodem poſsident. Nullum autem eſſe in animalium partibus alium calorem actu ſecundum naturam, quam eum qui influit à corde, alio loco oſtendimus. Si autem ignis operatio propria F eſt nutritio, tamdiu enim viget, quamdiu alimentum trahit: Cor erit prima pars quæ nutritur, eſt enim caliditatis fons. Ob id concluditur in libello de Reſpiratione cap.4. in quo loco primo corporis & in qua loci parte principium caloris eſt, ibi neceſſario primā nutritiuam animam eſſe: Ideo in conceptu hæc prima pars cernitur ſanguinolenta. 2. de gen. Anim. cap.4 Sanguis enim eſt vltimum alimentum, quod in corde primum apparet, & quo cæteræ partes nutriuntur augēturque. Si igitur nutritio & alimenti concoctio partis vegetatiuæ eſt, in corde erit primo hæc pars animæ: cæteræ autem partes calore à corde mutuato, hæ quidem alimenta pręparabunt, vt ventriculus, venæ, hepar:

A aliæ autem ſanguinem ipſum probè confectum in propriam naturam
conuertent, vt caro, os, neruus, & reliqua. Significant & paſsiones
quæ contingunt circa metum, fugit enim ſanguis ad cor tanquam ad
ſuum principium, nō ad hepar aut cerebrum. Quod ſi cor principium
eſt ſanguinis, venarnm quoque & arteriarum principium eſſe neceſſe
eſt: vaſa enim hæc ſanguini ſunt deſtinata. Vt igitur riuuli ex fonte
aquam hauriūt, ſic venæ & arteriæ ex corde. Oportet præterea omnes
continuas eſſe cum corde vt ſanguis contentus in ipſis eius calore con
ſeruetur, frigore enim congelatur, quod patitur vbicunque fuerit ex-
tra venas. 2. de Part. Anim. cap. 9. Patet autem ex diſſectione omnes ve
nas ſoli cordi continuas eſſe. Nam quæ in pulmones tranſeunt ex cor
de, nulli alij viſceri ſunt continuæ: hæ enim deſinunt in Cordis ven-
triculos, nec vlterius tranſmeant: Vena caua & Arteria Aorta reliqua
viſcera excepto Corde, poſtquam adierint, tranſmeant vlterius, aut ſi
B quæ deſinunt, in capillamenta reſoluuntur, non in ventrem aliquem
transfundunt ſanguinem: nullibi enim continetur ſanguis in ventre
extra venas præter quàm in corde. 3. de Hiſt. Anim. cap. 3. & 3. de Part.
Anim. cap. 4. Indicant & membranæ veluti fores quædam oſtijs ve-
narum appoſitæ in corde quæ ingreſſui aut egreſſui patent: ibi eſſe
omnium venarum principium: ſunt enim hæc quaſi venarum capita,
fines autem earundem in capillamenta tenuiſsimè ſciſſa deſinunt. Eſſe
igitur Cor principium omnium venarum: (arteriæ enim ſub nomine
venarum intelliguntur Ariſtoteli) ex dictis patet. Sed & neruorum
quoque ortum ab eodem duci, hinc manifeſtum fiet. Nam primo vis
motiua, quæ neruis perficit ſuos motus, in corde eſt: ibidem enim &
appetitus ineſt, vnde eſt principium motus. 3. de Anim. tex. 48. Patet
autem in corde eſſe appetentiam, nam lætitia & triſtitia & ſpes cordis
motiones quædam ſunt, in quibus conſiſtit appetentia perſequendi
C aut declinandi quippiam. Ex quibus etiam eſt manifeſtum primum
ſenſorium Cor eſſe, coniuncta enim eſt cum omni ſenſu lætitia aut tri
ſtitia, quæ in corde primum eſſe animaduertuntur. Senſus enim in-
cipiunt ab exterioribus organis & deſinunt in cor, lætitia autem & tri-
ſtitia in corde incipiunt, & deſinunt in membra exteriora, motu ipſis
communicato. Significauit hoc Ariſtoteles 3. de Part. Ani. cap. 4. cum
inquit: Motus etiam lætitiæ & triſtitiæ, denique omnium ſenſuum,
hinc oriri, eodemque deſinere videntur. Si igitur vbi eſt facultas ibi
quoque inſtrumentum eſt, nerui autem inſtrumenta ſunt motus, in
corde principium neruorum eſſe oportet, vbi eſt principium faculta-
tis. Præterea experimento manifeſtum eſt: Cum enim vehementio-
rem aliquem motum perficere volumus, ſpiritum quem inſpiratione
accepimus, retinemus, ſine cuius retentione vires neruis immittere
non poſſumus, eo autem retento vires augentur. 2. de gen. Anim. c. 4.

P 4 & De

& De Somno: cap.2. At verò quid faceret huiuſmodi nixus circa D
cor, niſi continuus eſſet meatus à corde ad inſtrumenta motus, per quem ſpiritus multus intrómitteretur? Moueri autem neruos à ſpiritu exiſtente in corde oſtēdit Ariſtoteles in libello de Communi animalium motu. Manifeſtum id etiam eſt in inſectis, quæ dum mouentur, ſonum edunt, vt Culices, & aliquando Muſcæ: murmur enim qui in earum motu ſentitur, à ſpiritu fit iuxta ſeptum tranſuerſum eleuata & depreſſa membrana, vt teſtatur Ariſtoteles in libello de Reſpiratione, cap.4. Patet igitur motum incipere à corde in ijs quæ habent Cor, vel à proportionali aliqua cordi particula, in quibus cor deeſt. Innixus enim quidam iuxta eum locum requiritur ſemper à ſpiritu factus. Senſu quoque patet, copiam neruorum in corde eſſe: Solum enim inter viſcera carnem neruoſam & maximè robuſtam adeptum eſt, quod recta ratione factum eſſe ſcribit Ariſtoteles. 3. de Part. cap. 4. Cum enim hinc motus oriantur, qui intendendo ac remittendo fiunt, mi- E
niſterio tali & robore opus erat. Neruulos etiam multos ſuo ampliore ventriculo continet, & vena Aorta appellata neruoſa eſt, adeo vt eius poſtrema neruo omnino conſtent: Tenduntur enim modo neruorum, & nullo intus cauo diſtinguuntur. 3. de Hiſt. Anim. cap. 5. Ex dictis igitur apertum eſt, Cor principium eſſe non ſolum venarum omnium, ſed etiam neruorum. At hæc ſententia maximè omnium à Galeno eſt afflictata, nō rationibus ſolum ſed & conuicijs ſtimulante. Putauit enim Platonem inſequutus triplicem eſſe animæ principatum non ſolum facultatibus ſed & locis diſtinctum. Altricem igitur facultatem alimentum toti corpori miniſtrantem in hepate collocauit: idcirco hoc viſcus principium eſſe tum ſanguinis tum venarum: Senſitiuam autem cum reliquis potentijs ad cognitionem & motū ſpectantibus in cerebro ſitam eſſe voluit, quam animalem facultatē vocauit: idcirco cerebrum principium eſſe neruorum aſſeruit, quia ſenſus & F
motus per neruos perficiuntur. Quoniam autem nulla pars animæ relinquebatur quæ ab illis non eſſet comprehenſa, vt cordi aliquem principatum aſsignaret, vitalem facultatem excogitauit, cuius opus eſſet cordis pulſationem & arteriarum efficere: quaſi vita non ſit ipſa animæ præcipuè altricis operatio. Probat autem hepar eſſe venarum principium, non cor, ex ijs quæ apparent in diſſectione. Nam primo eius ſubſtantia ſimillima eſt ſanguini, idcirco ſanguinem gignere putandum eſt: Quod ſi ſanguinis eſt principium, etiam venarum eſſe dicendum eſt. Venas autem omnes oriri ex hepate ſic oſtendit. Nam ex eo egrediuntur duæ venæ, quarum vna non eſt alteri continua: ea ſcilicet quæ Porta iecoris appellatur, vnde fertur ex ventriculo & inteſtinis alimentum in Iecur: altera Caua appellatur, quæ ex Iecinore ſanguinem concoctum haurit, ac cæteris corporis partibus diſtribuit.

Cùm

A Cum igitur in hepate non coniungantur vtriuſque venæ orificia, dicendũ eſt in ipſo eſſe omnium venarum radicationẽ. Pręterea cum ex ventriculo & inteſtinis non feratur alimentum in venam Cauam, niſi prius tranſierit per Iecur, neceſſe eſt in eo aut præparationem aliquam fieri; vt poſtea perficiatur ab alio vt Corde: aut inibi perfici: ſed ipſum non præparare Cordi materiam eſt manifeſtum: non enim totam materiam præparatam illi tribuit, ſed partem. Vena enim caua ex hepate egrediens, ramum vnum deorſum diſtribuit ad partium ſubiectarum nutritionẽ, quaſi alimentum perfectè fuerit in eo coctum: alterum ſurſum, qui priuſquã in Cor ingrediatur, alios ramulos circunſtãtibus particulis impertitur, vt ſepto tranſuerſo, & pericardio: quod non fieret, niſi ſanguis in hepate præparatus vim alendi poſsideret. Hepar igitur vim altricem primò poſsidet. Inſuper, ſi in corde perficeretur ſanguis, altera eſſet vena, quæ coctum ſanguinem reciperet, B non per eandẽ regredi oporteret. At verò nec regredi ex Corde in venam ſignũ eſt: quia oſtio venæ cauæ tres membranulæ coaptatæ ſunt ita, vt concedatur ingreſſus ſanguini in cor, egreſſus autem nequaquã Amplius ex magnitudine venę Cauę: cũ enim circa fines venę in ramulos tenuiſsimos findantur, iuxta principia craſsiſsimas eſſe putandũ eſt. At iuxta hepar craſsiſsima eſt vena caua, ac infra ipſum maior quã ſupra ſpectatur vbi Cor adit, non igitur cor ſed hepar principium eſt venarũ. Adde quod videtur vena caua vna ex hepate ſurſum tendens ad iugulum, cordi applicata, non quemadmodũ arteria è corde egrediẽs in duos ramos ſtatim diuiſa. Teſtatur præterea multa animalia dextro cordis vẽtriculo carere nõ tamẽ hepate nec vena, quę deberet in Cordis partẽ dextrã ingredi: huiuſmodi autem eſſe quæ pulmone carent: non enim carere ob id corde, hepate, vena, & arteria. Hæc igitur & huiuſmodi ſunt, quibus Ariſtotelis placita impugnat circa venarũ & ſan-
C guinis principiũ. Circa neruorum autẽ originẽ inſultat vehemẽtius. Nam ex diſſectione certiſsimè oſtenditur neruos omnes partim ex cerebro partim ex ſpinali medulla deſcendere: Spinalem autem medullam veluti cerebri germen cum eo cõtinuã eſſe: Conſtare autẽ eos ex cerebri ſubſtãtia patet: quãto enim illi propinquiores fuerint, eo molliores viſuntur, & medullę magis ſimiles, quãto autẽ à principio diſceſſerint, eo fiũt duriores. Conſtãt præterea ex triplici ſubſtãtia quã à cerebro acceperũt, ineſt enim omnibus neruis internũ corpus medullæ reſpondens, & duæ mẽbranæ ambientes vna craſsior altera tenuior à duplici membrana cerebri ortum ducentes: quę omnia inſunt omnibus neruis tum ijs quæ à cerebro, tum ijs quæ à ſpinali medulla fluunt. Eorũ autẽ qui à cerebro deſcendunt, ramulus quidam tenuiſsimus ex ſexta cõiugatione ortus Cordi extrinſecus inſeritur vt cæteris viſceribus. Eſſe autẽ huiuſmodi ramulũ cæterorum neruorũ principium ſtul-

tum

tum eſt aſſerere. Præterea exprimento certiſsimo patet virtutem ner- D
uis tributam ex cerebro deſcendere non ex alijs partibus quas adeunt: quicunque enim neruus abſcindatur, aut uinculo deligetur ne uirtus vlterius tranſeat, ſtatim perit ſenſus & motus in ſubiectis partibus, in quibus neruus ille inſeritur, in ſuperioribus autem minimè. Idem accidit & ſpinali medullæ: ſi enim contingat ex luxatione uertebræ intercidi uirtutem ex cerebro deſcendentem, omnia ſubiecta corpora poſt eum locum neruos recipientia, motu & ſenſu deſtituuntur. Quæ autem ex ſuperioribus ſpinæ partibus neruos aſſumunt, nihil patiuntur. Ex cerebro igitur fluunt nerui omnes, & cum neruis ſentiendi ac mouendi uirtus. Quoniam autem omnium animæ facultatum eæ quæ ad ſenſum & cognitionem ſpectant, principes exiſtũt, idcirco inquit: vbi neruorum origo eſt ibi eſſe animæ principatum: huiuſmodi autē in cerebro eſſe ex ijs quæ dicta ſunt patet. Hæc ſunt præcipua, que Ariſtotelis ſententiam videntur funditus euertere. Sed tamen ſi rem dili- E
gentius perpendamus, admirabimur ſecretiſsima naturæ opera, ſimul & acutiſsimum Ariſtotelis ingenium, qui ea viderit, & ſcriptis mandauerit, quæ tantorum virorum oculi nequiuerunt animaduertere. Perinde enim eſt ac ſi quis artificioſam aliquam texturam contemplans quærat filorum ductus & replicationes cæteraſque compages, quæ vix eidem artifici qui conſtruxit, innoteſcant: idem nobis contingit circa animalium compoſitionem omnium quæ hic ſunt artificioſiſsimè conſtructam à natura. Videamus igitur prius duplicem venarum naturam Cauæ ſcilicet atque Aortæ, deinde neruorum artificium explicabimus. Scribit Ariſtoteles. 2. de gen. Anim. cap. 4. duplicem eſſe rationem alimenti, vnam nutriendi alteram augendi. Nutriens eſt, quod eſſe præbet toti & partibus: augens quod acceſsionem ad magnitudinem facit. Natura autem vtrunque alimentum & vtriuſque alimenti excrementa diſpenſat perinde atque paterfamilias prudens, F
qui in cura rei familiaris optimum cibum dat liberis, deteriorem ſeruis, viliſsimum ſocijs animalibus. Cum igitur duo ſint genera alimenti, duo etiam genera venarum in ijs quæ perfectiora ſunt, conſtituit, ſtatim in prima generatione vtrunque alimentum ſecernens ut in illis ouis patet, in quibus alba & lutea ſubſtantia ſeiunctæ ſunt, & duo vaſa ad vtranque ſubſtantiam deſinentia. Edito autem in lucem fœtu, neque ſuppetente amplius vtroque alimenti genere præparato: ex eadē materia in ventrem ingeſta, utrunque ſibi præparat. Nam calore cordis ventri communicato per venas & arterias, primam coctionem molitur: deinde venis quæ per lactes eodem deriuantur quaſi radicibus vtens, & ad fontem caloris paulatim perducens, in itinere alteram coctionem præſtat, qua ſanguis fit non ille ſynceriſsimus, ſed qui alimētum auctiuum exhibere poſsit, nutritiuum autem nequaquam. Quod

autem

A autem in venis huiuſmodi fiat coctio, aperuit Ariſtoteles de Somno: cap. 3. vbi inquit: Deforis quidem alimenti ingredientis in ſuſceptiua loca, fit euaporatio ad venas, ibi verò permutatum in ſanguinem vertitur, & vadit ad principium. In corde autem vltimam fieri coctionem alimenti nutritiui patet ex ijs quæ in 1. de gen. Anim. cap. 18. habetur. Semen enim vltimi alimenti eſt excrementum: vtiliſsimum autem quod vltimum eſt, ex quo vnumquodque gignitur membrum. Si igitur vltima coctio in fonte caloris perficitur: alimentum quod dat eſſe vnicuique, in corde ſolum fit. Huic autem alterum genus venarum tributum eſt magnitudine quidem exilius, ſed præſtãtia longe maius, non ex vnica membrana conſtans, vt altera vena, ſed duplici eaque maximè neruoſa. Vtræque autem ex eodem principio fluunt ſcilicet corde, quia principium vnum eſſe melius eſt quam plura, & propter alias cauſas ſuperius dictas: ex dextro quidem eius ventriculo ampliſsimo B & calidiſsimo vena caua, ſanguinem enim continet craſsiorem, in quo calor intenſus eſt magis. Ex altero autem ventriculo qui medius eſt, ac minor, ſanguinem temperatiſsimum ac ſynceriſsimũ habente egreditur Aorta ex latere ſiniſtro. Tertium ventriculum omnium minimum ſe vidiſſe Ariſtoteles in maioribus animalibus, nam in minoribus ob exiguitatem, non eſt conſpicuus; hunc autem in ſiniſtra parte eſſe, ideo minimè omnium de caliditate participare. Medium igitur tanquam impar principium eſſe. Videre autem facile eſt hos tres ventriculos non ſolum in grandioribus animalibus, ſed & in auibus ipſis, ſi ſecundum cordis tsanſuerſum ſectionẽ moliamur incipiẽtes à baſi. Nam cordis particulas hoc modo amputantes, medinm ventriculum inſpiciemus recta à baſi ad mucronem vſque tendentem per mediam cordis regionem: A latere autem propè marginem alterum ſemicirculi modo circundantem, qui propè baſim quidem ſepto conſpicuo C dipartitur in duos quorum dexter maximus eſt, ſiniſter minimus, propè mucronem verò ambo in vnum cocunt. Sed quoniam hęc quoque à medicis impugnantur, alio loco commodius examinabimus. Soluamus igitur obiecta de Vena caua. Erat autem argumentum primum deſumptum ex ſimilitudine ſubſtantiæ. Eſt enim hepatis ſubſtantia veluti ſanguis concretus: reſpondemus hoc ſignum non magis ſignificare lecur ſanguinem gignere, quam ex ſanguine fieri vt reliqua viſcera: poſita ſunt enim omnia ad oſtia venarum, idcirco ſanguinolentam ſubſtantiam adepta ſunt omnia. At quo pacto oriri ſubſtantia venæ ex eo poſsit, explicare nequit, non enim ex membranoſa ſubſtantia conſtat, niſi quatenus venæ in eo ſunt diſperſæ, & quatenus à peritonæo tegitur. At cordis ſubſtantia longè magis eſt ſimilis tum ſanguini tum venis: nam & neruoſa eſt valdè & maximè ſanguinolenta. Alterum autem argumentum ex duarum venarũ in hepate concurſu,

quorum

quorum orificia nō committantur inuicem, aſſumit pro vero id quod apparet. Reſpondet enim huic Ariſtoteles. 3. de Hiſt. Anim. cap. 2. vbi inquit. Cauſam ignorationis circa principia venarum, eſſe occultationem earum partium & per difficilem inſpectionem: Nam in animalibus mortuis natura venarum principaliorum aboletur, propterea quod effluente ſanguine langueſcant, & collabantur, in viuis autem fieri non poteſt vt cernantur, cum intus occultentur. Itaque alij cum in cadaueribus diſſectis inſpicerent, ſumma principia cernere nequiuerunt: hactenus Ariſtoteles. In hunc igitur errorem incidit Galenus: Cum enim intuitu perſequi nequiret tenuiſsimarū venularum in hepate ductum, pronunciauit non eſſe, id quod ipſe videre non potuit. Cum enim vidiſſet ramos venæ portæ in concaua hepatis parte recta tendentes vſque ad extrema, & alios ſimiliter per gibbam eius partem ex vena caua diſcurrentes, inibique non eſſe continuos vnius ramos cum ramis alterius, iudicauit, nullibi continuos eſſe: quaſi in ea parte deſinerent, neque per mediam hepatis ſubſtantiam vario modo reciprocarentur: Patet autē id ſi hepatis particulam diutius lauemus, vt ſanguis concretus contabeſcat: relinquitur enim veluti retis cuiuſdam tenuiſsimæ contextus. Præterea qui fieri poteſt, vt ſanguis extra vaſa propria non concreſcat? aut quomodo iterum in vaſa aſſumetur? Alimentum enim ab initio ad finem ſemper in ventre quodam continetur: egreſſum autem aut putreſcit, aut particulæ agglutinatur. Impoſsibile igitur eſt in hepate ex venis egredi ſanguinem, vt iterum in venas reaſſumatur: cū præſertim hepatis corpulentia tenuiſsima membrana veſtiatur: quomodo enim hæc cōtinere humorem ſanguinem poſsit in tanto viſcere inſperſum? Venam igitur continuam eſſe oportet vſque ad cordis ventriculos, vt inde omnis virtus deſcendat: nec vllibi contingit diſiunctam eſſe, ſanguis enim calore cordis deſtitutus concreſcit, & tandem putreſcit. Tertium argumentum ex officio hepatis ſumptum eſt. Cum enim in venam cauam non poſsit tranſumi ſanguis, niſi prius per hepar tranſierit: putat in hepate perfici oportere: Concedit Ariſtoteles. 3. de Part. Anim. cap. 7. præter communem omnium viſcerum vſum, quæ exhibent venis in diuerſas corporis partes diductis, vt quaſi anchoris firmentur: priuatim hepar & lienem data eſſe propter coctionem alimenti: ſanguinea enim eorum natura calorifica eſt. Putandum eſt igitur non ſolum iuuare eam coctionem, quæ in vētriculo fit, fouet enim ventriculum Iecur circumamplectendo in dextris, lien verò in ſiniſtris: ſed etiam alteram, quam in venis ex ſententia Ariſtotelis fieri diximus. Datum autem tantum viſcus ad ſeparationem excrementi fellei, vt quidam putant, non eſt rationi conſonum. Omnibus enim ſanguineis hepar ineſt, maximè neceſſarium: non in omnibus fel reperitur, eo enim carent Delfinus & Ceruus, vt

teſtatur

A teſtatur Ariſtoteles. 4. de Part. Anim. cap. 2. In plurimis tamen reperitur, quia excrementum eſt eius viſceris: Vt igitur lien fęculentum ſanguinem trahit, ſic hepar bilioſum: Idcirco in hepate ſeparatur huiuſmodi excrementum aliquando in veſicam illi ſubiectam, vbi multum ineſt fellis, aliquando in venulas quaſdam, vbi parum eius ineſt, vt Camelo. Quod autem arguit præparationem ab hepate factam perficere ipſum ſanguinem, vt nutriri poſsit: concedimus illud genus nutrimenti factum eſſe, quod auctiuum appellari diximus ab Ariſtotele, non autem illud quod nutritiuum dicitur & dat eſſe: eam tamen præparationem non ſolum in hepate fieri, ſed in venis omnibus ſuperius ex Ariſtotele oſtendimus. Adiuuat igitur coctionem hepar ſua corpulentia venas circumplectendo, ſic enim conſeruat diutius calorem à corde fluentem, cuius beneficio omnis coctio perficitur. Ad quartum argumentum concedimus alteram venam à natura factam eſſe,
B quæ coctum ſanguinem nutritiuum recipiat: hæc enim Arteria eſt Aorta: non eſt autem neceſſe, vt regrediatur ex corde in venam Cauam, illa enim auctiuum alimentum continet, quod in ipſa met propter cordis continuationem perficitur. Ad quintum argumẽtum deſumptum ex craſsitudine venæ, dicimus non eſſe neceſſarium craſsiſſimam eſſe in principio: nam & in plantis, vnde ſumit argumentum, aliquando aliter accidit: vt vel radices craſsiores ſint, vt in rapo: vel caulis craſsior ſit poſt eius principium, vt in braſsica. Præterea ea ratione dicere poſſemus in capite eſſe principium venarum: ſinus enim ibi efficiuntur non minores, quam qui iuxta hepar & Cor ſpectantur. Adhæc cum ſæpe anatomicis adminiſtrationibus interfuiſſemus, non vidimus venæ partem iuxta Cor magnitudine ſuperari ab ea quæ iuxta hepar eſt, imo etiam ſuperare à multis eſt animaduerſum. Quod autem addit videri vnam venam ab hepate ad iugulum tranſeuntem iux
C ta Cor, non ex Corde exire: dicimus hoc longe magis circa hepar videri, vna enim apparet à iugulo ad inguina tranſmeans recta ipſum hepar, ramulis in ipſum dimiſsis. In corde autem vena ipſa circa medium ventriculum degenerat in ſubſtãtiam Cordis. 3. de Hiſt. Anim. cap. 3. Ad vltimam dubitationem de animalibus quæ carent dextro ventriculo cordis, reſponderet Ariſtoteles ea carere potius ſiniſtro, nam hic minor eſt, ideo ſæpè deliteſcit: Quomodocunque autem ſit, quibuſcunque duplex genus venarum datũ eſt, vtriuſque ingreſſum in Cor eſſe deprehenditur, non alterius tantum: Sed ut clarior hiſtoria habeatur, ſcire licet in Piſcibus Cor ex tribus corporibus conſtare tanquam vaſculis diſtinctis, inuicem tamen cohærentibus: quorum primum in inferiori ſede iuxta ſeptum trãſuerſum eſt admodum molle colore ſanguineo, cui vena ex Hepate iungitur, non vlterius prolapſa, vt in cæteris, ſed in eius cauitatem vel ſubſtantiam deliteſcens:

figura

figura eius ob mollitiem inſtabilis eſt. Alterum in medio huic coniunctum oſculo in eius cauitatem peruio, durius, colore minus rubente, ſubſtantia carnoſa, figura fermè trilatera & mucronata. vtraſque has partes vidimus adhuc palpitantes extincto animali, vt cordi cæterorum animalium contingere ſolet, cum vltimum moriatur. Tertium in ſuperiori parte album longe durius altero, quaſi neruea ſubſtantia conſtans rotundum, intus cauum oſculo peruio adnexum alteri, quod medium eſt: producitur ab hoc ſuperne vaſculum veluti arteria exanguis, quæ recta ad cerebrum tendit, indeque deorſum per externam ſpinæ longitudinem deſcendit inſtar ſpinalis medullæ: quemadmodum per internam vena producta eſt ſola abſque vlla Arterię ſocietate. Quæ enim in cæteris animalibus Aorta eſt, in piſcibus branchias habentibus fiſtula illa eſt de cordis extremo ad cerebrum tendens, & diſcurrens in totam externam ſpinam ſubſtantia neruoſa. Eius mentionem faciens Ariſtoteles. 2.de Hiſt.an.cap. 17. inquit. Cor piſcium D ſuum mucronem habet non ad pectus ſpectantem ſed ad os: extremũque inde pẽdens, qua Branchiæ dextræ & ſiniſtræ inter ſe coeunt. Sunt etiam meatus alij de corde ad branchias tendentes ſingulas, inter quas craſſa admodum & candida fiſtula eſt, quæ de cordis extremo oritur. Ex his patet, falſum eſſe Piſces carere dextro cordis ventriculo, vt putauit Galenus, ſiniſtrum tantum illis tribuens: Nam in his manifeſtius quàm in habentibus pulmonem tres cordis ventriculi ſpectantur inuicem diſtincti: qui enim in inferiori loco ab Hepate venam ſuſcipit, dextro reſpondet: qui verò huic coniunctus eſt, ſiniſtro, vt Galenus vocare ſolet, Ariſtoteles autem Medium appellat principaliſsimum, vnde exoritur Aorta in cæteris animalibus. Porrò tertius ventriculus in piſcibus peculiaris eſt: principium ſcilicet Arteriç quæ Aortæ reſpondet manifeſtiſsime in neruos deſinens: vt inſpicientibus hanc naturç fabricam nullus detur hæſitandi locus, quin Cor ſtatuatur tum venarum, tum neruorum principium. Pars enim eius media æque reſpicit inferiorem partem, in qua veluti ſanguinis lacuna ſpectatur, & ſuperiorem, in qua corpus eſt fiſtuloſum neruoſumque. Hæc autem minus diſtinctè in corde cæterorum animalium ſpectantur. Relinquitur vt artificioſam neruorum originem aperiamus. Mirum profectò eſſet Ariſtotelem latuiſſe craſsiſsimos neruos ex ſpina deſcendentes, nam qui ex capite prodeunt ob tenuitatem non adeo uenire in conſpectum ſolent, ſed ij qui ad brachia & crura tendunt, neminem latere poſſunt. Putandum ne igitur eſt acerrimum Ariſtotelis ingenium in re tam clara & omnibus manifeſta cæcutijſſe? Putamus autem ipſum conſulto quædam prætermiſiſſe, quia ex diſſectione non erant ſatis explorata, rem tamen ipſam innuiſſe tantum. Neruos igitur ex corde oriri conſtanter affirmauit, quia eius demonſtrationem

A tionem habuit: modum autē innuit ſolū, quia difficillima eius oſtenſio eſt ex diſſectione. Scribit igitur. 2. de Part. Ani. cap. 10. ideo ſenſus quoſdam poſitos eſſe iuxta cerebrum, non quia cerebrum ſentiat, aut ſit primum inſtrumentū ſenſus, ſed quia exquiſitiores ſenſus fiunt per partes, quæ ſanguinem habent ſynceriorem, Sanguinis enim calidioris agitatio officium ſentiendi intercipit atque refringit: Cerebrum autem ſua frigiditate temperiem illam ſanguini præſtare: Hoc autem eſt, quod ſuperius cap. 7. dicebat: naturam cerebrum molitam eſſe aduerſus ſedem & calorem cordis, vt mediocritas quædam fieret. Idcirco ab oculis meatus quidam ad venas circa cerebrum ſparſas tendunt: & inſtrumenta auditus in occiput penetrant, vt inde refrigeratum ſanguinem & à craſſa corpulentia ſecretum hauriant, ſic enim temperato ac ſyncero ſanguine nutriri contingit. Propter hoc autem circa cerebrum non paucæ ac magnæ, ſed tenues ac frequentes venæ
B ex caua & aorta ſparguntur: neque ſanguis copioſus & craſſus, ſed tenuis ſyncerusque tendit eodem. Ex dictis igitur idem videtur præſtare cerebri corpulentia ſanguini è corde prodeunti, quod hepar efficit priuſquam ſanguis in cor ſubeat: Quemadmodum enim hepar venulas in ipſo diſſeminatas ſuo tepore fouens ſanguinem in illis contentum concoquit: ſic cerebrum ſua frigiditate ſanguinem calidiſſimum è corde aſcendentem temperat: vtrobique autem tenuibus ac frequentibus venulis incluſus eſt ſanguis, vt alterari ab ambiente corpulentia facilius poſſit. Simile igitur eſt cerebrum inſtrumentis Chimiſtarum: hi enim cum ex vino aquam ardentem ſublimare volunt, fiſtulam tenuem & in ſpiræ modum recuruam aſcendentes vapores calidos recipientem vaſi coaptant, in quo aqua frigida contineatur: fit enim vt huius refrigerationis beneficio temperati ſpiritus minimè euaneſcant. Sic quoque cum ex ſanguine in corde feruente tenuiſſima
C pars ſublimetur, niſi fuiſſet locus refrigerationis, optima pars ſanguinis in auram euanuiſſet, nec admiranda naturæ opera perfeciſſet. Optima igitur ratione cerebri ſubſtantia frigida & humida in ſuperiori loco à natura condita eſt, quia caloris natura eſt ſurſum aſcendere: & quæ plurimum habent caloris ac ſanguinis, ijs plurimum quoque cerebri datum eſt, vt homini. Venulæ autem in cerebrum diſperſæ, ſi inibi deſinerent, nec ad organa ſenſuum ferrentur, inutiles fuiſſent, quomodo enim hæc ſanguinem ſyncerum ac temperatum haurirent? Nam ſi alia vaſa condita ſint, quæ diſperſum hunc ſanguinem colligant, idem incommodum oritur, quod in hepate contingebat. poſtquam enim ſanguis è venis egreſſus eſt, putreſcit. Præterea ſpirituoſus iſte ſanguis qui in venis cerebri colligitur, poſtquā ſemel egreſſum habuerit ex tunicis continentibus, reaſſumi nullo pacto poteſt, vt alijs vaſis iterum claudatur: natura enim ſpiritus eſt dilatari ac diffundi.

ſundi. Neceſſe igitur eſt continuas eſſe venulas è cerebro iterum egre D
dientes ad ſenſuum inſtrumenta, At nullum aliud corpus è cerebro egredi videmus præter neruos: nerui igitur venulæ illę fuerint mul tæ in vnum coeuntes non commũnem canalem, ſed corpus ex pluribus canalibus ac tenuiſsimis compoſitum: idcirco fiſsilis eſt neruus ſecundum longitudinem: nam venulæ in fibras rectas deſinunt neruos conſtituentes. Significauit autem apertiſsimè ad Ariſtoteles. 3. de Hiſt. Anim. cap. 3. vbi de venis loquens inquit. Aorta arctior eſt & vehementer neruoſa, deductaque longius hoc eſt ad caput, aut imas partes, in anguſtum admodum coarctatur, ac nerui naturam ex tuto accipit. Hęc Ariſtoteles. Quid poteſt hoc dicto clarius eſſe? nihil enim aliud eſt neruus quam extrema aortæ alia quidem in capite, id eſt in cerebro naturam nerui accipientia: alia autem circa imas partes, id eſt circa crura & articulos totius corporis. Vult enim tendines appellatos & articulorum ligamenta & membranas oſsium ex eadem E
aorta naſci eodem libro. cap. 5. vbi inquit: Vena aorta appellata neruoſa eſt, & quidem poſtrema eius neruo omnino cõſtant, quippe quę nullo intus cauo diſtinguantur, tendanturque modo neruorum, quà deſinunt applicata ad nodos oſsium lubricos, & quæ ſequuntur. Sententia igitur eſt Ariſtotelis ex aorta ad caput tendente oriri neruos cerebri, ex reliquis autem eiuſdem extremitatibus tendines & ligamenta, quæ etiam nerui nomine ſignificantur: Meatus igitur quos ſcribit Ariſtoteles ad oculos peruenire ex venulis quæ ſunt circa cerebrum, quid aliud ſunt, quam nerui appellati viſorij? Stultum autem eſt credere non ineſſe meatus, ſi quis amplum quẽdam canalem in ipſis non percipiat. Vt enim capillum perforatum eſſe ſcimus, nõ tamen viſui ob paruitatem meatus apparet. Sic neruos ex alijs ſignis fiſtuloſos eſſe cognoſcimus, viſui tamen non ſunt manifeſti meatus. Colligamus igi tur neruorum ductum. Ex corde egrediũtur venæ & arteriæ, quarum F
illæ quæ ad caput feruntur caluariam ingreſſæ partim in ventriculis cerebri plexus retis modo efficiunt: partim verò in mẽbrana duriore ſinus quoſdam communes ex vtraque vena conſtituunt, è quibus vaſa ſanguinis in tenuem membranam ſparguntur. Cerebrum autem extrinſecus quidem ab hac membrana, intrinſecus autem à plexu exiſtente in ventriculis tanquam ab altera membrana tenuiſsimas recipit venulas capillamenti modo, quæ cerebri ſubſtantiam ingreſſæ non amplius conſpicuæ ſunt, ſciſſo tamen cerebro ſanguinis ſubſtantia ex venulis minutiſsimè exſudare cernitur. Ex contactu igitur medullæ cerebri temperatur optimè ſanguis ille tenuiſsimus, ſimul & veluti tomento quodam vaſcula fulciuntur: Hæc autem iterum ex caluaria multa ſimul per foramina quædam egreſſa, ad inſtrumenta ſenſuum feruntur, ſpiritum ac veluti florem ſanguinis potius quam ſanguinem

feren-

A ferentia: eodem modo alij ex ſpinali medulla ad artus & crura & coſtas feruntur. Quomodo autem ſenſum efficiant, cum neque ſanguis, neque nerui, neque cerebrum ſentiant, ſed membra ſanguinem talem recipientia: & quomodo ad motus faciāt tum ij, qui ex cerebro, ac medulla ſpinali prodeunt, tum ij, qui ſtatim ex arterijs in tendines muſculorum tranſeunt, non eſt præſentis inſtituti. Non cogimur autem miraculo quodam propter pręſentiā ſpiritus in cerebro tanquam lumine fieri ſenſum, & motum in toto corpore, vt Galenus putat? Sed neruos intendi immiſſo ſpiritu corporeo implente, remitti autem eo euacuato cōſentit pulcherrimè huic fabricæ, vt in cæteris multis, quæ uel ab arte fiunt, apparent. Senſum autem fieri alterata particula à ſpiritu per neruos tranſmiſſo ex loco refrigerationis aſſerimus: præire autem oportere hanc alterationem, vt intromitti ex arterijs in tendinum principia ſpiritus multus poſsit, vt commodius alibi oſtēdemus.

B Soluamus igitur obiecta in oppoſitum adducta. Quod primò dicitur neruos omnes ex cerebro, & ſpinali medulla deſcendere, falſum eſt: tendines enim, & ligamenta nerui quidam ſunt, non tamen inde ortum ducunt. Qui autem à cerebro, & ſpinali medulla veniunt, non inibi oriuntur, vt patuit: ſed vlterius, ſcilicet in Corde eorū eſt principium vt reliquorum. Quemadmodum enim in hepate, licet ſenſui immanifeſtus ſit nexus venæ cauæ cū vena portæ, vna tamen continua vena eſt: ſic in cerebro cōtinuos eſſe canales venarum cum neruis oſtenſum eſt, quanquam ob vaſorum exiguitatem in diſſectione oſtendi ſatis nequeant. Quod autem arguitur ex ſubſtantiæ mollitie neruorum propè cerebrum exiſtentium, quaſi ex cerebri medulla conſtent, non ſufficiens eſt argumentum. Humor enim viſcoſus nerui fibras glutinans, propè cerebrum molliorem reddit neruum: Cerebri enim ſubſtantia ſimilis eſt. Hunc autem mucorem album, &

C glutinoſum circa neruos eſſe, vnde alitur & fit, ſcribit Ariſtoteles tertio de Hiſt. Anim. cap. 5. Oculi quoque propè cerebrum poſiti ſunt, quia aquea eſt illorum ſubſtantia. 2. de Part. Anim. cap. 10. Ob hanc igitur cauſam nerui propè cerebrum humidiores ſunt, ac molliores. De ramulo autem, qui ex ſexta coniugatione in Cor deſinit, nemo ſomniauerit principium eſſe neruorum, ſed illi inſeritur extrinſecus in membranam, vt etiam venas, & arterias natura eodem tranſmiſit, quia ex interno ſanguine nutriri ea pars non poterat. Neque hanc partem cordis principem eſſe ſtatuit Ariſtoteles, ſed internam, quæ ſpectat ventriculos. Experimenta verò à Galeno animaduerſa neruos abſcindendo, aut laqueo intercipiendo, nemo negauerit, non tamen ijs, quæ diximus, obſtant. Idem autem eueniret, ſi venæ omnes ad cerebrū tendentes in collo interciperentur, non enim amplius ex corde virtus influeret in neruos. Notauit hoc Ariſtoteles in libro de Somno,

cap.2.inquit enim: Quibus in collo venæ apprehenduntur, inſenſibiles fiunt. Non ſufficit autẽ arterias ſolum vt Galenus aliquando expertus eſt ſine noxa in collo conſtringere,nã ex venis in eadem loca transfertur virtus à corde,cum oſculorum ſit communio non ſolum in corde, ſed etiam per totum venarum atque arteriarum ductum. Similiter & concedimus ibi eſſe animæ principatum, vbi origo eſt neruorum, ſed hoc cerebrum eſſe, non dicet niſi is qui craſſè hæc contempletur. De principatu igitur animæ & membrorum corporis hæc dicta ſint. D

Reſpiratione non intromitti aliquem ſpiritum externum in Cor. Quæſt. IIII.

PVTAVIT Galenus reſpirationem propter duas cauſas datam eſſe animalibus: vnam vt calidi innati in corde fieret conſeruatio, quæ per reſpirationem duobus præſtatur, modica ſcilicet refrigeratione, quæ inſpiratione aeris frigidi habetur, & difflatione fuliginoſi excrementi, quæ expiratione fit: Alteram, vt ſpiritus animalis externo aere nutriretur, quod inſpiratione tantum fiat, ingrediente aere per meatus aſperæ arteriæ in arteriam venalem ex ſiniſtro cordis ventriculo in pulmones diſcurrentem: orificia enim vnius committi cum alterius orificijs, vt tranſitus aeris externi eſſet in Cor. Refellit autem hanc ſententiam Ariſtoteles in lib. de Reſpiratione, cap.2.vbi inquit: Sed tamen neque alimenti gratia exiſtimandum eſt fieri reſpirationem, tanquam ſpiritu alatur ignis qui intus eſt. Nam ſimiliter fieri oporteret in cæteris animalibus. At piſces non aerem ſed aquam trahunt. Præterea ex ſpiritu fieri nequit calidum, contra enim potius oritur ſpiritus incaleſcentibus humoribus, vt oſtenſum eſt. 3. de genera. Anim. cap.10. Calidum igitur & ſpiritus animalis non ex aere ſed ex alimento per uenas affluente ex ventriculo fit: vt ignis ex rebus combuſtibilibus. Amplius ſi daretur aeris ingreſſus in cordis ventriculos, eſſet etiam eius egreſſus: at hoc exiſtente quomodo non efflaret animal cum aere ſpiritum & animam? facilius enim eſt ſpiritum ex loco anguſto in apertum egredi, quam ex aperto in anguſtum & plenum compingi. Nec obſtarent membranæ oſtio appoſitæ, quæ opponuntur egreſſui: nam concedit idem Galenus egredi vnà cum aere expirato excrementa quædam fuliginoſa ob feruorem cordis orta: proptereà duas tantum membranulas huic oſtio datas non adamuſſim claudentes, cum cæteris tres ſint appoſitæ. At quæ ſeparatio ſpirituum, & quæ commixtio remanentis in corde aeris excogitari poteſt? Præter quam quod abſurdum eſt excrementa utiliſsimi alimenti à natura deſpici & expelli, cum eadem utatur E F

quoque

A quoque vilioribus. Accedit motuum repugnantia. Cum enim ſpiritus intromiſsio fiat per inſpirationem dilatato pulmone ac thorace: egreſſus autem fuliginoſi excrementi per expirationem eodem contracto: vult intromiſsionem fieri dilatato corde, expulſionem autem eodem conſtricto: Nam membranæ oſtio ſic appoſitæ ſunt vt corde dilatato aperiantur, contracto autem claudantur. Oportet igitur aut ſimul dilatari pulmonem & cor, ſimulque cõſtringi: aut intro miſsionem fieri ſpiritus dum expiramus: ſi enim contingat dilatari cor quando pulmo conſtringitur, & conſtringi dum dilatatur: expirantibus ingredietur aer in cor, & inſpirantibus egredietur: quæ fieri nequeunt, contrarij enim ſunt motus. Dicere autem ſimul dilatari cor & pulmonem, ac ſimul contrahi utraque, repugnat ijs quæ apparent: in nobis enim eſt modulari reſpirationẽ: cordis autẽ pulſatio non eſt in noſtra poteſtate. Præterea etiam inſtinctu naturæ reſpirantibus, rarior
B vt plurimũ apparet reſpiratio quam pulſus. Alterum incõmodum oritur circa pulſum arteriarum: Cum enim vaſorum in cor deſinentium, quædam intromittant contentam in ipſis ſubſtantiã, vt uena Caua in dextro ventriculo, & Arteria venalis in ſiniſtro: quædam educant, vt Arteria Aorta in ſiniſtro vẽtriculo, & uena arterialis pulmonẽ nutriẽs in dextro: omnibus autẽ membranulæ ſint appoſitæ ei officio delegatæ, vt oſcula intromittentia non educant, & educentia non intromittant: contingit corde contrahente ſe arterias dilatari, & dilatante conſtringi, non ſimul vt apparet. Dum enim dilatatur cor, claudi vult orificia educentium: vt ex corde non influat tunc ſubſtantiã in arterias: Contrahente autem ſe influere dehiſcentibus membranis. Si igitur ſimul dilatentur & contrahantur cum corde arteriæ, continget dilatari cum negabitur materia replens ex corde: & contrahi cum affluet ex eodem ſubſtantia: ſed hæc impoſsibilia eſſe manifeſtum eſt.
C Dicere autem diuerſo tempore pulſare cor & arterias, eſt negare ſenſum & quærere rationem. Teſtatur autem ſimul pulſare etiam Ariſtoteles in libello de vita & morte, cap.2. Circa arteriam quoque venalem ex pulmone ſpiritum introducentem contingit abſurditas. Cum enim illam pulſare dicat. 7. de Anatomicis adminiſtrationibus, quia ex ſiniſtro ventriculo oriatur, & ſpiritum contineat: ideoque arteriam vocari, cum tamen corpus non ſit arteriæ ſed venæ: continget dupliciter pulſare, ſcilicet ad motum cordis vt cæteræ arteriæ, & ad motum pulmonis, quia ſuſcipit ex aſpera arteria ſpiritum: dilatabitur igitur in inſpiratione & in expiratione conſtringetur: ſimul autem ex pulſu cordis non eodem tempore nec eadem velocitate pulſantis, ſæpe contrarios motus patietur. Oriuntur autem omnes iſtæ abſurditates, quia putauit dilatationem fieri à facultate, vt traheret à vena quidem caua ſanguinem, ab arteria autem venali ſpiritum: contractio-

nem autem vt expelleret excrementa quidem fuliginoſa in pulmonē, D ſpiritum autem in magnam arteriam: Ob id enim cogitur in cordis dilatatione arteriæ oſtium claudere, ne inde tranſumat: in contractione autem idem aperire, vt in ipſum expellat: Sed tamen diſſonat ratio in arteria venali, quamuis enim in contractione cordis eius membranæ conſtringantur, in ipſum tamen expelli vult fuliginoſa excrementa. Sed hæc ſententia inter cætera abſurda, illud quoque habet. Cum enim arteriæ ab eadem facultate tranſmiſſa à corde per tunicas, vt ipſe inquit, contrahantur & diſtendantur: ſimilem vſum vult præbere arteriarum pulſum in toto corpore, quem reſpiratio circa cor, vt ſcilicet in dilatatione aer externus ex finibus arteriarum aſſumatur, in contractione autem excrementa fuliginoſa per eadem loca excernatur, ideo enim dilatari vult arterias vt impleantur, vndequaque autem dilatatis neceſſe eſt vndique vbi oſcula fuerint ſubſtantiam haurire. Continget igitur arterias ipſas omnium conſenſu ex corde ortum ducentes, E vt inde vitalem ſpiritum in totum corpus diſtribuant, minimum quid ab eo recipere: longe enim plura ſunt reliqua arteriarum oſcula quamuis parua, per quæ impléri ipſas vult. Quod ſi plus ſit id quod ex corde aſſumitur, non erit data dilatatio propter caloris refrigerationem vt ipſe teſtatur, quod enim ex corde aſſumitur calidum eſſe neceſſe eſt: maior igitur erit calefactio & calidi attractio per dilatationem arteriarum, quam refrigeratio ex aeris externi aſſumptione. Amplius cuius gratia erit cordis pulſatio? non enim propter conſeruationem calidi, nam hoc habetur ex reſpiratione, vt idem fatetur: pulſationem autem eundem vſum præbere ſuperfluum videtur. Amplius ſi neceſſe eſt humorem calefactum & conuerſum in ſpiritum, ampliorem locum occupare: in corde quoque ob ſanguinis feruorem diſtenſionem fieri eſt neceſſe: fruſtra ergo quæritur alia facultas diſtendens: nam aut hæc facultas diſtendet dum ſpiritus ex F calore amplificatur, aut reſidente amplificatione. Si primum, non ergo cordis dilatatio data eſt ad attractionē materiæ, amplificatiọ enim ſpiritus locum implet: Si ſecundum, continget conſtringi cor, cum amplificatur ſpiritus: ſi enim dilatatur cor à facultate, cum reſidet amplificatio ſpiritus, præcedens ergo conſtrictio erat dum amplificabatur. Cum igitur hæc omnia abſurda ſint, dicendum eſt Ariſtotelis ſententiam veriorem eſſe: nulla enim ſequuntur abſurda: & differentiæ pulſuum, ac reliqua circa ipſum accidētia melius afferri poſſunt. Cum enim pulſatio cordis & arteriarum ſit accidens quoddam, quod ex neceſſitate inſequitur humoris in corde efferueſcentiam, qua ſanguinis generatio perficitur, vt in cæteris quæ igne elixantur accidit: lib. de vita & mor. cap. 2. intumeſcente corde neceſſe eſt ſimul omnes arterias dilatari, in quas deriuatur feruor, non enim repleri vna pars poteſt,

quin

A quin totum fiat maius: vbi non omni ex parte vaſa quę cõtinua ſunt, fuerint exinanita: Nam nullo intus exiſtente corpore non contingit ſimul repleri principium & extrema, cum motus non fiat in inſtanti: exiſtente autem per totos canales aliquo ſpiritu, ſimul ac in principio alius fuerit genitus, neceſſe eſt totum ſimul dilatari, vnum enim fit ſpiritus accedens cum toto: Cum ergo totum reddatur maius ſimul ac acceſſerit pars, non poteſt vna pars dilatari quin eodem tempore dilatetur totum: Eſt autem veluti totum quoddam arteriæ omnes cum corde, continuum enim eſt vas ſanguinis perfecti. Spiritu autem efflante in habitum corporis, & diſtributo ſanguine particulis, neceſſe eſt tumorem vaſorum deſidere, quæ eſt pulſus contractio. Continuè autem hoc fit, quia continua eſt partium nutritio, & continua ſanguinis generatio in corde. Eleuatio igitur ſpiritus à calore fit, non tamen temere ſed alicuius gratia: Nam ſine huiuſmodi amplificatione non
B fieret diſtributio alimenti in omnes partes. Significauit hoc Ariſtoteles. 2. de gen. Anim. cap. 4. vbi reprobat eorũ opinionem, qui partium conſtitutionem fieri volebant, quia ſuapte natura ſimile ferretur ad ſimile: ſequeretur enim omnes carnes in vnum confluxiſſe, & oſſa ſimiliter in vnum. Idcirco ſpiritu diſtingui partes oſtendit in generatione: eodem autem modo in augmentatione fieri. Motus igitur cõtinuus à corde in omnes corporis partes agitur, quia continua eſt ſpiritus generatio, qui ſua amplificatione diffundi celerrime in omnes partes aptus eſt, ſimul autem alimentum nutritiuum fert, & auctiuum ex venis elicit per oſculorum communionem, quam Græci Anaſtomoſim vocant: tandem verò ſpiritu in aerem ambientem difflante alimenti corpulentia remanet partim frigore partim calore coagulata. Ad difflationem autem ſpiritus & ſanguinis diſtributionem in partes, vaſa reſidere oportet, donec nouus ſpiritus iterum repleat ac di-
C ſtendat. Apparet autem magis hæc pulſatio in arterijs quam venis, quia ſpiritus per has fertur. Fatetur enim Ariſtoteles omnes venas pulſare in lib. de vita & morte. cap. 2. Hoc autem modo dicentibus non cogimur membranas vaſorum educentium claudere in cordis dilatatione, non enim dilatatur, vt attrahat: nec vllum imminet periculum ne tranſumptio fiat ex arterijs in cor: Motus enim fit ex venis in cor caliditate alimentum trahente, ſimul autem ex corde in arterias, quia hac ſolum patet iter propter membranarum poſitionem: idem enim motus vtraque oſcula aperit venæ ſcilicet in cor, cordis autem in arterias. Poſitæ autem ſunt hoc modo membranæ, ne vnquam contingeret contrarium motum fieri, quod accidere poſſet in vehementibus animi perturbationibus, aut alijs cauſis, à quibus ſanguinis retractio fit ad cor: obſiſtunt enim huic motui membranæ. Nam ſi hæ hoc modo conditæ non eſſent, ignis cordis vel leui cauſa extingueretur. Si

enim motus fieret contrarius, ſimile eſſet ac ſi flamma compingeretur D deorſum ad alimentum, quod cum minimè ſit præparatum, aut copioſius quam oportet, ignem ſuffocat. oportet enim alimentum paulatim præparari, & paulatim diſpenſari ad locum flammæ: Huiuſmodi locus cor eſt, in quo ſecundum naturam alimentum præparatum ardere poteſt, & fieri ſpiritus: Venæ alimentum ſuppeditant: Arteriæ flammæ ſpiritum recipiunt. Iure igitur arteriæ magnæ oſtium aduerſus motum ſpiritus in cor clauditur, ne eius copia ſuffocetur calor: Venæ autem oſtium aduerſus motũ ex corde obſiſtit, ne cordis flamma copia alimenti extinguatur. At dubitabit quis: ſi continua eſt alimenti ſuppeditatio, & flamma continua, continuus quoque erit eſfluxus ſpiritus per arterias: hoc autem exiſtente nunquam fiet cordis aut arteriarum contractio, nunquam enim deficit ſpiritus diſtendens, cũ eius ſit continua generatio. Huius forte occaſione putaret quis contractionem à facultate fieri expellendi gratia id quod replet. Sed ſi E hoc eſſet, deficiente virtute, vt in moribundis, non augeretur contractio: deficit autem paulatim pulſus diminuta dilatatione, & aucta contractione, niſi quid impediat, ut arteriæ duritics: nam mors efflando contingit, vt igitur in reſpiratione ultima eſt expiratio: De Reſp. cap. 2. ſic in pulſu vltima eſt contractio, tanquam derelinquente ſpiritu, non expulſo: quæ enim virtus eo tempore expellat? Dicendum eſt igitur contractionem fieri, quia non eſt continua generatio eorum quæ tota ſimul fiunt, quemadmodum neque augmentatio neque lapidis excauatio. 8 Phyſico. tex. 23. Huius verò cauſa eſt, quia in vnoquoque oportet aliquid eſſe primum, quod ideo generetur nõ quia aliqua pars generetur, nam aliàs nihil contingeret generari, cũ magnitudinis nulla ſit prima pars. oportet igitur aliquam magnitudinem totam ſimul mutari: hoc autem modo nequit continua eſſe mutatio, ſed vicibus interpolata una poſt alteram. Idem ergo accidere neceſſe eſt generationi ſpiritus in corde, & omni flammæ: continua F tamen dicitur hæc generatio, quia antequam una ſit perfecta, altera incipit, aliquando ſenſibili tempore intercedente inter vnius atque alterius perfectionem, vt in pulſu, aliquando nullo ſenſibili interpoſito tempore, vt in flammis externis, vna enim videtur flamma ſemper: depræhenditur tamen & hic aliquo pacto interpolatio ex tremula ipſarum natura: Hinc autem oriuntur differentiæ quæ apparent circa pulſum, vt aliquando celerior & amplior ſit contractio quam dilatio, vt accidit dormientibus, præcipuè ingeſto multo cibo: aliquãdo contra tardior & minor fiat contractio quam dilatatio, vt accidit ſenibus: vnde colligit Galenus conſtrictionem actionem eſſe arteriæ non ſpontaneum reditum in ſtatum naturalem, quoniam aliquando citra terminos proprios, aliquando vltra conſtringatur. Non eſt autem neceſſe

A ceſſe intenſionem ac remiſsionem contractionis actioni arteriæ tribuere: nam vt dilatatio maior & minor ad repletionem maiorem vel minorem ſequi poteſt, ſic conſtrictio ad maiorem vel minorem euacuationem: ſimiliter autem de celeritate ac tarditate. Nam pro diuerſitate materiæ, quæ in corde amplificatur in naturam ſpiritus, & pro diuerſitate caloris agentis omnia hæc contingere poſſunt, quanquam aliquando & locus ipſius effluxus aliquid præſtet. Vbi igitur euaporatio multa fit, vt in ſomno ob copiam alimenti & caloris, celerior fiet reciprocatio, tardior tamen erit motus dilatationis, quia materia ob multitudinem minus præparata eſt, non igitur ad integram amplitudinem diſtenditur, idque tardius ob eandem cauſam. Similis enim eſt uſtioni lignorum viridium, quorum breuior eſt flamma, & diuturnior generatio: aut ebullienti pulticulæ, cuius feruor non multum attollitur ob craſsitiem. Vbi verò paucum ſit quod euaporet &
B imbecillis caliditas, vt in ſenibus, tardius reuertetur altera dilatatio, tum quia non ſuppetit materia, tum ob caloris imbecillitatem: cito tamen abſoluetur, quia modica flamma & in ſicca materia cito erumpit. Non fieri autem integram conſtrictionem contingit aut propter arteriæ & reliquarum partium ſiccitatem, aut extremorum oſculorum aſtrictionem, vtrunque enim aptum natum eſt prohibere ſpiritus effluxum. Cum igitur paulatim effluat ſpiritus ob dictas cauſas, tarda eſt pulſus contractio, & aliquando non integra. Sed hæc non ſunt præſentis contemplationis. Reuertamur igitur ad reſpirationem quam dicebamus ex ſententia Ariſtotelis non nutritionem aliquam igni præſtare, neque etiam effluxum excrementorum, vt Galeno placuit: ſed refrigerationem tantum. Vt autem res clarior fiat, opportunum fuerit dubitandi modo agere. Dubitabit igitur quis: Si reſpiratio data eſt propter conſeruationem calidi in corde, defendendo ip-
C ſum ab ea corruptione, quæ per ſuffocationem fieri ſolet, in libro de Reſp. cap. 4. videtur neceſſarium ingredi aerem externum in Cor atque egredi. Nam ignis concluſus aliquo loco ut aerem non recipiat, ſuffocatur, vt patet exemplo poſito ab Ariſtotele in lib. de Iu. & Sen. cap. 3. Si enim carbones circunquaque & continuè obſtructi fuerint vocato ſuffocatorio, extinguuntur cito, ſi autem viciſsim quis frequēter operculum auferat, & apponat, manent igniti multo tempore. Similiter & occultatio ſub cinere ignem conſeruat: non enim prohibet reſpirare propter cineris raritatem, & ſimul reluctatur copia ſui caloris, ne ab externo frigore extinguatur. Idem igitur in reſpiratione animalium uideretur accidere. Præterea non uidetur aer ſua frigiditate ignem conſeruare, ſed ſua ſubſtantia. Quodcunque enim aliud corpus ignem tangat, extinguit, vt aqua aut terra: in ſolo autem aere uidetur uiuere, ſiue calidus ſiue frigidus fuerit: non

enim minus ardet ignis & perdurat ſub æſtatis feruore, quam ſub hyemis gelu eadem exiſtente materia. Indicant hoc perflati carbones, magis enim tunc exardeſcunt: nihil autem refert ſiue calidus ſiue frigidus fuerit aer qui inſufflatur: nam artifices metallorum in fundendo nullam differentiam in eo inueniunt, cum tamen in cæteris conditionibus multum intereſſe deprehendant. Quod igitur facit aeris inſufflatio? non enim ſua frigiditate antiperiſtaſim calidi efficit: nam eo magis aqua id præſtaret: at feruor ingens non per aquæ inſperſionem fit, ſed ſolum afflatu aeris cuiuſcunque. Requiritur igitur aeris ſubſtantia ad ignis tum conſeruationem, tum augmentum. Amplius concedere videtur Ariſtoteles ſpiritus ingreſſum in cor: Nam 1. de Hiſt. Ani. cap. 16. inquit: In grandioribus animalibus ſpiritum cor ipſum ſubire manifeſtum eſt, licet in nonnullis minutis minus conſtet. In oppoſitum verò faciunt, primò, quod piſces videmus non in aere nec per aerem ſuam cõſeruare caliditatem, aquam enim trahunt, cum pulmone careant. Deinde cum reſpiratio ſit inſufflationi ſimilis, deberet caliditatem cordis augere, non ſua frigiditate temperare, ignis enim perflatus magis ardet. Reſpóndet Galenus piſces quãuis in aqua degant, ex aqua tamen per branchias trahere aerem in ea contentum, quantus ſufficiat ad ſpiritus nutritionem: quam ſententiam multis rationibus explodit Ariſtoteles in lib. de Reſp. cap. 1. aduerſus Anaxagoram & Diogenem. Dicimus igitur ideo aerem neceſſarium eſſe ad externum ignem conſeruandum, nõ quia refrigeret, nec quia ſit ignis nutrimentum, ſed ob aliam cauſam. Cum enim ignis ſit continua permutatio humidi in ſiccum 2. Meteo. cap. 2. perſeuerat enim ſemper ſiens & fluens ſicut fluuius, quamuis propter velocitatem minimè appareat: de Iuuent. & ſen. cap. 3. impedito fluxu impeditur generatio, hæc autem eſt eius extinctio per marcorẽ facta, quę ſuffocatio dicitur. Impeditur autem huiuſmodi fluxus circumpoſito corpore craſſo, vt aqua aut etiam aere craſsiori humidiorique, vt aliquando in ſubterraneis foueis accidit, in quibus lucernæ flamma contineri nequit: celerior enim eſt ignis tranſmutatio, quam effluxus propter ambiẽtis craſſitiem. Contra autem vento perflante extinguitur flamma, quia citius effluit quam nouus ignis generetur, diuellitur enim continuitas effluxus ex celeri motu ambientis in flamma, non autem in carbone: accenditur enim magis carbo èx afflatu: quia ob corporis ſoliditatem non permittitur ab eo motu diuelli: ſed potius ablatis excrementis ſtipantibus vt cinere, adiuuatur effluxus. Exemplum ſumi licet ex clibanis, nam paruo relicto oſtiolo magnus ignis ardere nequit, non enim ſufficit ad effluxum ignis magni, quanto autem potentior eſt locus, eò liberius exardet: Simile quid carbonibus accidit. cum enim craſſa in eo igne gignantur excrementa, prohibetur ab illis effluxus, niſi afflatu

continuò

A continuò detrahantur. Hæc igitur eſt neceſsitas, propter quam nullus ignis ardere poteſt niſi in aere. At animalibus non propter hanc neceſsitatem data eſt reſpiratio. Oportuit enim ignem animalium effluere per arterias, vt opera naturę expleret, ſcilicet nutritionem vniuerſi corporis, augmentationem, ſenſum & motum, quæ minimè effeciſſet, ſi eius ignis effluxus pateret per locum reſpirationis. Concluſit igitur optimè natura æthercam faculam in cordis vẽtriculis, denſo circumpoſito corpore, cui ad effluxum parauit canales duplici tunica optimè munitos, ne prius efflaret, quam naturæ opera, quorum gratia data eſt, perfeciſſet. Quoniam autem animalium robur in mediocri quadam partium tenſione conſiſtit, ſi quidem extrema vaſorum oſcula ampliora fuiſſent, liberius quidem ignis efflueret, ſed vaſa laxa nimis forent: vt contingit ijs qui in balneo calido diutius morantes reſoluuntur. Si verò anguſtiora eſſent, tenſio quidem vaſorum fieret, ſed B ſuffocationis periculum immineret, cum non ſufficerent meatus ad ignis effluxum. Vt igitur ſufficiens maneret vaſorum tenſio, ignis autem interim non ſuffocaretur, remedium molita eſt natura, modica feruentis ſanguinis refrigeratione iuxta principium: quemadmodum ij faciunt, qui ollæ feruentis tumorem cohibent inſufflando, modica enim hac refrigeratione non impeditur coctio, ſed ſolum intumeſcentis humoris nimius faſtus. Hoc igitur efficiunt animalia pulmonem habentia aeris frigidi inſpiratione, calidi autem expiratione: Piſces autem branchias habentes per aquæ frigidę attractionem, & eiuſdem calefactæ redditionem. Sic enim ignis multus conſeruatur ad corporis tẽſionem & robur, neque ob oſculorum exiguitatem ſuffocatur, quia ob huiuſmodi ſanguinis refrigerationem circa principium, non permittitur feruere plus quam oportet. Indicant autem id quæ apparent in ſuffocatis: tenduntur enim maximè eorum venæ, & intumeſcit faC cies, & oculi prominent vehementer, quaſi feruore aucto ob impeditam principij refrigerationem, oſcula non ſufficiant ad effluxum, vnde tenſio oritur & ſuffocatio, & marcor vi factus. Idem aliquando in febribus contingit: cum enim non ſufficiat reſpiratio ad ignis geniti quantitatem, quamuis frequẽs fiat & magna, in ijs qui ſanguine abundant, tenſio fit totius corporis & plenitudo: miſsio igitur ſanguinis in illis à ſuffocatione ſimul & tenſione liberat. Quod autem non refrigeretur ignis cordis ex reſpiratione, ſed ſolum ſanguis feruens, patet: non enim cordis pulſatio variatur ex impedita reſpiratione: deberet autem augeri ſi reſpiratio ipſum cor refrigeraret, minui autem cum frigidioris aeris fit inſpiratio: at neutrum videtur. Præterea experimento illo patet, cor non egere refrigeratione: Nam ſi ſciſſo pericardio cor nudaueris cæteris partibus illæſis, in aere frigido aut frigida aſperſa, citiſsimè interit, calido autem loco diutius cõſeruatur. Quod optima ra-

ma ratione euenit: nam cor quaſi ignitus eſſe vult, vt coctionem ſanguinis, & ſpiritus generationem continuam efficiat: ideo refrigerantia lædunt: conſeruatur enim vnumquodque à ſimili & corrumpitur à contrario. Maximo igitur ingenio natura fabricata eſt pulmones in pedeſtribus, & Branchias in aquatilibus, vt ſanguinis feruorem moderaretur illæſo corde. Nam cordi ad tutelam pericardium membranam circunduxit tanquam eius capſulam: feruentem autem in eo ſanguinem ad pulmones aut Branchias deriuans iterumque cordi reſtituens, interim in tranſitu ex aeris frigidi aut aquæ contactu refrigerationem molita eſt. Idcirco pulmo per venam arterijs ſimilem ex dextro cordis ventriculo feruidum hauriēs ſanguinem, eumque per anaſtomoſim arteriæ venali reddens, quę in ſiniſtrum cordis ventriculum tendit, tranſmiſſo interim aere frigido per aſperæ arteriæ canales, qui iuxta arteriam venalem protenduntur, non tamen oſculis communicantes, vt putauit Galenus, ſolo tactu temperat. Huic ſanguinis circulationi ex dextro cordis vētriculo per pulmones in ſiniſtrum eiuſdem ventriculum optimè reſpondent ea quæ ex diſſectione apparēt. Nam duo ſunt vaſa in dextrum ventriculum definentia, duo etiam in ſiniſtrum: Duorum autem vnum intromittit tantum, alterum educit, membranis eo ingenio conſtitutis. Vas igitur intromittens vena eſt magna quidem in dextro, quæ Caua appellatur: parua autem in ſiniſtro ex pulmone introducens, cuius vnica eſt tunica vt cæterarum venarum. Vas autem educens arteria eſt magna quidem in ſiniſtro, quę aorta appellatur, parua autem in dextro, ad pulmones deriuans, cuius ſimiliter duæ ſunt tunicæ vt in cæteris arterijs. Putauerunt autem medici vſum hunc non videntes, commutata fuiſſe vaſa in pulmone, vt arteria quidem ſimilis eſſet venæ, vena autem ſimilis arteriæ: appellantes venas vaſa omnia quæ in dextrum ventriculum definunt: arterias autem quæ in ſiniſtrum: figmenta multa & abſurditates excogitantes, vt vſum inuenirent. Pulſat igitur in pulmone vas dextri ventriculi, hoc enim è corde recipit vt arteria magna, & ſimiliter fabricatum eſt eius corpus. Vas autem ſiniſtri ventriculi non pulſat, quia introducit tantum, & eius corpus ſimile eſt reliquis venis. Factum eſt autem vt huius oſtij membranæ duæ tantum eſſent, non tres, quia ex motu contrario non adeo imminebat periculum, imo iuuari aliquādo poterat, motu facto ad locum refrigerationis: Et merito huic vaſi protenduntur aſperæ arteriæ canales non alteri educenti: nam hoc ſimplicius exiſtens ex vnica eaque tenui tunica conſtitutum, refrigerari facilius poterat: præterea pulſationi alterius vaſis impedimento fuiſſet aſperæ arteriæ dilatatio & conſtrictio, ſi iuxta eſſent poſita: Pulchrè igitur condita ſunt omnia: Cum enim feruere oporteret in corde ſanguinē, vt fieret alimenti perfectio: primò quidem in dextro ventriculo, in

quo

A quo craſsior adhuc continetur ſanguis, deinde autem in ſiniſtro, vbi ſyncerior iam ſanguis eſt: partim per medium ſeptum, partim per medios pulmones refrigerationis gratia ex dextro in ſiniſtrum tranſmittitur: Interim autem pulmo abunde nutriri poteſt: totum autem eum ſanguinem abſumere, quem recipit, egreditur fines rationis: nō enim rara eſſet eius ſubſtantia & leuis, vt videtur, ſi tantam alimenti vim in ſui naturam conuerteret. Indicauit autem Ariſtoteles ſanguinem pulmonis cæteris partibus diſtribui. 2. de Part. Anima. cap. 7. vbi inquit: homini plurimum cerebri datum eſſe, quia locum cordis & pulmonis habet calidiſsimum & ſanguine refertiſsimum. Oſtendimus enim cerebrum refrigerationis gratia datum eſſe, non ut illas partes refrigeraret, ſed ſanguinem ex illis egredientem temperaret, vt ſenſibus inſeruire poſſet. Ob hanc verò cauſam fit aeris inſpiratio per nares iuxta cerebrum deſinentes, non ſolum olfactus gratia, ſed etiam vt venę per B collum aſcendentes ad cerebrum vſque, refrigerentur, protenduntur enim iuxta aſperam arteriam venæ cerebrum petentes. Ad dubitationes autem facilis eſt reſponſio: Ignis enim externus cum ſit exceſſus calidi, velociſsimam etiam habet generationem, idcirco & effluxum velociſsimum: ob id nō niſi in aperto aere ardere poteſt, omnia enim alia corpora propter craſsitiem fluxū impediunt, & ſuffocant. At ignis animalis cum ſit mitior, & in humidiori materia, in humoribus ipſis viuere poteſt, tardior enim eſt eius generatio quam flammæ: ideo ſenſibile eſt tempus inter vnius, & alterius generationem, in quo pulſus contractio eſt manifeſta: non impeditur igitur eius effluxus, quamuis aeri non ſit expoſitus. In reſpiratione igitur non ingredi ſubſtantiam aeris in cor ex dictis eſt manifeſtum. Ad locum Ariſtotelis. 1. de Hiſt. cap. 16. dicimus aliquem ingreſſum dari in Cor per tenuiſsima aſperæ arteriæ oſcula cum oſculis venæ ſiniſtri Cordis ventriculi communi- C cantia, vt notauit Galenus: vt in conatu magno retentio ſpiritus vires adderet tenſis hoc modo vaſis: aliàs non opus eſſe eius compreſsionis: ſine qua non datur ſpiritui ingreſſus in Cor: Videtur tamen Ariſtoteles loco citato admittere manifeſtum aeris ingreſſum in cor, meatu ſcilicet conſpicuo arteriæ in grandioribus animalibus: paulo enim ſuperius inquit: Cor etiam Arteriæ iungitur obeſis carthilagineis fibroſiſque vinculis, & quà adnectitur cauum eſt. Sed huius expoſitio legitur cap. 17. vbi inquit: Quin etiam ad Pulmonem meatus à Corde ducuntur peruij, ſinduntur que eodem quo Arteria modo in omnes Pulmonis partes: & meatus, qui eodem ab Arteria tendunt, ſequuntur: verum ij ſuperiorem obtinent ſitum, neque vllo communi foramine ad illos commeant, ſed ſua ipſi copulatione ſpiritum, quem Cordi tranſmittāt, recipiunt: pertinet enim alter ad cauum dextrum, alter ad ſiniſtrum: & quæ ſequuntur. Patet igitur tum Arteriam ipſam

ſam Cor ſubire, ſed venas Pulmonis aerem receptum ab Arteria in D
contactu Cordi per manifeſtos meatus communicare in grandioribus animalibus: manifeſti autem meatus ſunt tum vena arterialis tum arteria venalis à Galeno vocata: ſed hæc ſatis.

In reſpiratione principium vnde motus eſſe Cordis calorem. Quæſt. V.

QVAMVIS hæc quæſtio inter Peripateticos & medicos multum ſit exagitata, placet tamen quædam in medium afferre nequaquam inutilia medicis futura. Concedit quidem Galenus calorem Cordis cauſam eſſe reſpirationis, ſed vt finem tantum agnoſcit, non vt efficientem, ſtatuens ſolam efficientem cauſam motum voluntarium muſculorum Thoracis, qui per neruos à cerebro cõmunicatur: indicio eſſe vitia quædam Thoracis, quibus tollatur mo- E
tus voluntarius, vt aliquando in Apoplexia contingit: nam perit reſpiratio. Adducit & ſeruum quendam ob deſperationem ſponte abſque vi vlla ſuffocatũ ſola cohibita reſpiratione. Nam ſi Pulmonis motus eſſet naturalis, non eſſet in noſtra poteſtate cohibere huiuſmodi motum. Experimento quoque comprobat. Si enim aperiatur Thorax, vt aer ingredi per vulnus poſsit, immobilem permanere Pulmonem, vtpote qui ad dilatationem Thoracis conſequi nequeat, ſubingrediente aere in ſpatium inane. Integro enim Thorace neceſſe eſt eo dilatato pulmonem quoque dilatari, ne detur vacuum, qua ſola ratione moueri inquit pulmonem à Thorace. Si enim alius ineſſet motus Pulmoni, quam qui à Thorace fit, non deſineret aperto Thorace. Sed quantum hæc recedant à veritate, hinc fiet manifeſtum. Nam primum illud patet, naturam calidi humorem attollere in maiorem molem, vt patet in ollis feruentibus. Idcirco neceſſe eſt ſanguinem in F
corde feruentem non ſolum cor ipſum dilatare, vnde fit pulſus: ſed & Pulmonem vnde reſpiratio, continua in eum facta calentis ſanguinis deriuatione. Amplificato igitur Pulmone, neceſſe eſt aerem externũ intro labi in aſperas arterias, quæ inſpiratio vocatur: Inde refrigeratio & molis diminutio ſequitur, vt facit in ollis feruentibus aquæ frigidæ inſtillatio. Deſidente autem Pulmone neceſſe eſt aerem inſpiratum reddi, quæ expiratio vocatur. Eſt igitur calor cordis vnde principium motus reſpirationis. Hanc rationem tetigit Ariſtoteles in lib. de Vita & Morte, cap. vlt. vbi inquit. Reſpiratio autem fit augmentato calido, in quo principium nutritiuum: & paulo poſt. Neceſſe itaque amplius factum eleuare organum: & quæ ſequuntur. Experiri quoque poſsit vnuſquiſque ſpontinam Pulmonis eleuationem. Si enim quis poſt expirationem vniuerſi aeris ſtatim clauſo larynge reſpirationem
cohi-

A cohibeat, paulo poſt alium ſpiritum poterit expirare, qui interim in pulmone collectus eſt ex cordis calore. Patet quoque in conuulſionibus Epilepticis: Cum enim aliquando in perpetua totius corporis tenſione nullus fiat motus voluntarius, conuulſis ſcilicet omnibus muſculis, vt vix adhibita vi flecti poſsint: reſpiratio tamen perſiſtit, in qua tarda & inſenſibilis fit inſpiratio, ſolo ſcilicet motu naturali renitentibus muſculis: expiratio autem euidens & celer cum ſonitu, ac ſi vehementer exſuflarent, reuertentibus ſcilicet muſculis thoracis in conuulſiuam tenſionem. Quæ autem de Apoplexia adducuntur, tantũ abeſt, vt Galeni ſententiam probent, vt potius ei maximè aduerſentur. Si enim in Apoplexia deperditur in toto corpore ſenſus & motus voluntarius, affatim ſcilicet repletis principalibus cerebri vẽtriculis, qui fieri poteſt, vt in ſolis muſculis thoracis reſeruetur motus vllus volũtarius? Reſpirant tamen Apoplectici quamuis difficulter: omnes enim ſter-
B tunt. Num aufugere poſsimus dubitationem, vt Galenus facit? inquiens: neceſsitatem reſpirationis excitare neruorum vim ad agẽdũ. At ablato ſenſu, impoſsibile eſt remanere motum voluntarium: maiori enim virtute eget motus quam ſenſus. In apoplexia autem ablatus eſt ſenſus vt non ſentiant exceſſus, ſiue vras, ſiue pungas: quomodo igitur ſentient neceſsitatem reſpirandi? Quod ſi moueantur ſine ſenſu, motus ille non erit voluntarius, ſed naturalis. Idem videre licet in cæteris thoracis vitijs, in quibus pereat motus voluntarius: non enim ſtatim perit reſpiratio. Viſum enim eſt, percuſſa ſpina in principio, ablatum fuiſſe ſenſum & motum in toto corpore excepta facie, non tamen læſam fuiſſe reſpirationem, ſed vocem. Quamuis autem in ea putauerit Galenus læſionem fuiſſe ſub quarta vertebra ceruicis, ideo illæſis neruis, qui à quarta vertebra ad ſeptum tranſuerſum feruntur, non læſam fuiſſe reſpirationem: videre tamen licet in diſciſsionibus
C ſpinæ, quæ fieri ſolent in ipſo exortu dum boues mactantur, non ſtatim reſpirationem aboleri, licet ſtatim decidant: reddunt enim reciprocatis vicibus ipſum ſpiritum collabente thorace, qui in longis interuallis à pulmone attollitur. De ſuffocatione autem illa, quæ aliquando viſa eſſe traditur ob cohibitam ſponte reſpirationem, nequaquam colligere poſſumus reſpirationem ſolummodo à motu voluntario fieri. Nam vt excretio vrinæ aut fętus partim naturalis eſt, à facultate ſcilicet expultrice pendens: partim voluntarius, quatenus muſculi per neruos eum motum perficiunt: ſimili modo & reſpiratio ſe habere poteſt. Pulſus igitur cohiberi nequit à voluntate, quia fit à ſola natura. At vrinæ excretionẽ cohibere nihil prohibet, quia requiritur actio muſculorum. Verũ enimuero licet quidem aliquãtiſper vrinam cohibere & fętus excretionem: & tuſsim: omnino autem videtur impoſsibile vrgẽte motu naturali. Patet idem in reſpiratione: poſtquam

enim quis clauſo larynge aliquandiu reſpirationem prohibuerit, perferre diu non potens, cogetur tandem os aperire, & aerem externum haurire ac reddere: uincitur enim à motu naturali motus voluntatis: vt mirum ſit, quod de ſeruo illo barbaro traditum eſt, ad ſuffocationē vſque ſpiritum cohibuiſſe. Non enim ſufficit conſtantia voluntatis in ſpiritu cohibendo, ſed & uires ſunt neceſſariæ, quę reſiſtere poſsint motui contrario naturæ. Vltima ratio ex vulneribus Thoracis petita, quantum perſuadere poſsit, conſideretur. Illud profectò experimento compertum eſt: ſi aperiatur Thorax, vt pulmo in conſpectum veniat, immobilem reddi pulmonem, vt Galenus aſſerit: id verò contingit, quia ab aere ambiente refrigeratus nō permittitur attolli: nam ſine motu aliquo perpetuè fruitur aeris frigidi contactu, imo magis quam oportet refrigeratur, vt mors non per ſuffocationem ſequatur, ſed per extinctionem à frigore, & nimiam calidi expirationem. Hæc vero in vulneribus magnis contingunt. In paruis autem Thoracis perforationibus non tollitur reſpiratio, ſiue in vno latere, ſiue in vtroque Thorax ſit transfixus: nihilominus enim reſpirant, quamuis ſpiritus non per aſperam arteriam & nares reddatur, ſed per vulnus. Alioqui ſuffocarentur omnes, qui in eo ſtatu eſſent, ſi reſpiratio in vtroque latere tolleretur, aere in cauum Thoracis præueniente, quam pulmo Thoracem elatum inſequeretur. Si igitur non ſuffocantur, ſed reſpirant, vt patet attollentes ac deprimentes Thoracem: neceſſe eſt pulmonem attolli alia ratione quam quæ vacuo tribuitur.

Senſum nulli parti ineſſe, quæ ſanguine careat in animalibus ſanguineis. Quæſt. VI.

Estatvr id Ariſtoteles. 2. de Part. Anim. cap. 10. vbi inquit: Vis ſentiendi nec vlli exangui data eſt parti, neque ſanguinis propria eſt, ſed cuidam ex ijs quæ ſanguine proueniunt, delegata eſt. Quocirca pars nulla exanguis eorum quæ ſanguinem habent, ſentire poteſt: neque ipſe ſanguis, & quæ ſequuntur. Ratio autem eius eſt, quia anima ſentiens vna eſt actu & vnius partis primò. 3. de Part. Anim. cap. 5. Nam quomodo iudicaremus differentiam inter plures ſenſus? oportet enim vnum eſſe quod iudicat. 2. de Anim. tex. 146. & de Senſu: cap. vltimo. Si igitur hæc pars initium quoque ſanguinis eſt, inſeparabile enim eſt ſenſitiuum à vegetatiuo, vt alibi eſt oſtenſum: ſenſus primò inerit ei quod primò particeps eſt ſanguinis, quale cor eſſe probatum eſt: & reliquæ igitur partes ſine ſanguine minimè ſentient. Sed quoniam hæc ſententia multas patitur difficultates, præcipuè apud medicos aſſerentes vim ſentiēdi ſitam eſſe in neruis & cerebro, quæ Ariſtoteles carere ſenſu omnino teſtatur, quia

ſunt

A ſunt exanguia, non ab re fuerit oppoſitas rationes penſitare. Quod igitur nerui ſentiant, indicant vulnera neruis ac neruoſis partibus inflicta, maiores enim cruciatus exhibent, quam in alia quacunque parte. Idem probant diſtenſiones neruorum, quas maximus comitatur dolor. Præterea deligato neruo aliquo aut abſciſſo ſtatim aufertur ſenſus eius partis in quam ille inſeritur. Si igitur vbi plures ſunt nerui, ſenſus fit exquiſitior, & ijs ablatis aut interceptis, aufertur ſenſus, vim ſentiendi ſitam in ijs eſſe dicendum eſt. Quod autem in cerebro ſit princeps ſentiendi facultas, colligitur ex cerebri læſionibus. Eius enim vulnera magna ſenſum & motũ auferunt vniuerſi corporis. Deliria quoque & cæteræ animæ ſentientis atque Phantaſiæ deprauationes affecto cerebro contingunt: indicant autem ſanationes: nam remedijs capiti adhibitis ſanãtur: quorum nulla eſſent, niſi in cerebro eſſet prima ſentiendi facultas inde cæteris partibus per neruos communicata.

B Præterea videtur Ariſtoteles ignoraſſe primum inſtrumẽtum ſentiendi, cum de guſtu & tactu ſcribat in lib. de Senſu, cap. 2. eorum ſenſorium eſſe iuxta cor, in loco ſcilicet calidiſsimo oppoſito ipſi cerebro, iuxta quod cæteri ſenſus ponuntur, & 2. de Part. Anim. cap. 10. vbi inquit: Tangendi & guſtandi ſenſus ex corde apertè dependet: vnus ex reliquis medium tenet, id eſt olfactus: reliqui duo. id eſt auditus & viſus maximè in capite poſiti ſunt, propter ſenſoriorum naturam: & viſus omnibus in capite eſt: auditus verò & olfactus piſcium non videtur in capite eſſe, quia non apparent meatus aliqui, cum tamen audiant, & olfaciant. Ex his igitur videtur Ariſtoteles minimè nouiſſe neruos ex cerebro deſcẽdentes, & ad linguam perreptantes, & tandem ad totius corporis partes ſenſu præditas, quibus interceptis, ſenſus intercipiatur: non deberet enim id contingere in guſtu & tactu, cum eorum ſenſoria ex corde pendere dicat. Amplius ſi ſanguinis ca

C lidioris agitatio officium ſentiendi intercipit, vt idem teſtatur. 2. de Part. Anim. ca. 10. male tactus & guſtus iuxta locum calidiſsimum ponuntur præcipuè in homine, cui dati ſunt iſti duo ſenſus exquiſitiſsimi. 2. de Anima. tex. 94. & in lib. de ſenſu. cap. 4. Tanto autem minus cor poterit eſſe primum inſtrumentum ſenſus in homine præſertim qui locum cordis habet calidiſsimum. 2. de Part. anim. cap. 7. Comprobat idem, quod 7. Phy. tex. 2. teſtatur: ideo pueros non poſſe quid addiſcere & iudicare ſenſibus, perinde ac ſeniores, quia multa perturbatio circa ipſos fit & motus. Melius igitur videtur vim ſentiendi, & reliquas iudicatorias facultates in loco temperatiori ponere: cuiuſmodi cerebrum videtur eſſe. Ad hæc ratio probans in corde ſenſum eſſe, quia idem debeat eſſe principium ſanguinis, & ſenſus, non videtur neceſſaria. Si enim diuerſarum potentiarum diuerſa ſunt inſtrumenta: vt oculus ipſius viſus, & ambulationis pedes: impoſsibile eſt

vnicum

vnicum eſſe omnium potentiarũ inſtrumentum. Quamuis ergo concedatur cor principium eſſe omnium potentiarum,non tamen ipſum erit omnium inſtrumentum : nõ enim ex ſe ipſo agere omnia poteſt : hoc autem exiſtente poterit inſtrumetum ſenſus tum commune, tum proprium vniuſcuiuſque alterum à corde eſſe. Quod præterea infertur partes exangues non ſentire , quia primum ſenſitiuum , ſanguinis eſt principium, ſimiliter non videtur neceſſarium: nam idem oporteret ſequi circa potentiam nutritiuam.Si enim quod primum nutritur, ſanguineũ eſt,deberent quoque reliquæ partes omnes, quæ nutriuntur , ſanguineæ eſſe : multæ ſunt tamen exangues , quæ nutriuntur , vt oſſa , nerui. Sic igitur circa ſenſum nihil obſtabit, quin exàngues etiam ſentiant,cũ nutriantur. Hæ igitur ſunt dubitationes præcipuæ, quæ circa hanc ſententiam contingunt. Animaduertere autem oportet ſenſum duplici genere partium egere.2.de Part.anim. cap.primo. Cùm enim ſenſus fiat patiente particula ab exteriori ſenſibili , neceſſe fuit pro receptione ſingulorum generum ſenſibilium,corpus aliquod ſimplex eſſe, quod eiuſdem generis eſſet cum ſenſibilibus : hæc enim ſolum patiuntur inuicem, cum alterum potentia alterum actu fuerit: oportuit igitur perſpicuum aliquod corpus eſſe,quod afficeretur à coloribus,& potentia calidum frigidum,humidum,& ſiccum,& reliqua huiuſmodi,quod tactiles qualitates reciperet, & de reliquis eodẽ modo. Ob hanc verò cauſam ſenſus vnuſquiſque contingit per partes ſimilares : affectiones enim ſenſibiles omnes ſimilariũ ſunt corporum . Alterum verò genus partium datũ eſt ſenſibus, vt ſpecies ſenſibilium ſine materia reciperentur : hæc enim eſt propria ſenſus operatio.2.de Ani.tex.121. Nam inanimata omnia,quæ eiuſdem generis fuerint,patiuntur à ſenſibilibus , quia eorum corpus materia fit earum affectionum : nec minus pupilla oculi perſpicua exiſtens fit materia luminis , & colorum,quàm aqua externa , aut aliud quodcunque perſpicuum. Species autem colorum nõ colores, & ſpecies reliquarum qualitatum ſenſibilium non ipſas qualitates,non videtur poſſe recipere niſi virtus organica,quæ anima eſt. Actiones igitur ſenſuum,id eſt perceptiones ſenſibilium ſine materia,per partes inſtrumentales perficiuntur. Quæ cum hoc modo habeant , videndum eſt quo pacto Cor cõſtituatur ab Ariſtotele primàm vim ſentiendi habere, vtrum tanquam ſimilare qnoddam , an tanquam organicum . Videtur autem loco citato cor vtroque modo ponere, quia inquit , eius ſubſtantiam ſimplicem eſſe, vt omnia genera ſenſibilium poſsit recipere : ratione autem ſuæ figuræ organicum eſſe, vt mouere , & agere poſsit. At quomodo perſpicuam dicemus ſubſtantiam cordis, vt patiatur à coloribus,aut aeream vt à ſono? Præterea fruſtra videretur natura inſtrumenta particularia pro ſingulis ſenſibus recipiendis condidiſſe, ſi omnia hæc exiſterẽt in

vno

A vno corde. Eadem difficultas contingit circa ſenſoria particularia, cùm enim ea velit Ariſtoteles eſſe ſanguinea, quia cor huiuſmodi eſt: ſi quidē partes ſimilares intellexit, humor chryſtallinus oculi ſanguineus erit, & aer in aure implantatus: at non videtur. Nam eadem ratione & oſſa & cartilagines & nerui & medullæ & alia huiuſmodi ſanguinea dici poſſent, cum nutriantur omnia ſanguine. At hæc non appellat Ariſtoteles ſanguinolenta, ſed ea tantum, quę ſanguini ſimilem naturam adepta ſunt, vt viſcera & caro. 2. de Part. Anim. cap. 1. Præterea nulla neceſsitas eſt partes ſimilares, in quibus fit receptio ſenſibilium cum materia, ſanguineas eſſe: nam & inanimata idem patiuntur. Relinquitur igitur partes inſtrumentales ſenſuum ſanguineas eſſe oportere, vt recipere poſsint ſpecies ſine materia. Eadem autem ratio erit & de corde: vt ſcilicet ſit primum inſtrumentum ſenſus, quatenus diſsimilare eſt, non quatenus ſimilare. Quomodo igitur voluit

B Ariſtoteles ipſum ſimilare eſſe oportere, vt ſit capax omnium ſenſibilium? Vtrum hoc dictum eſt propter tactum, & guſtum? Horum enim inſtrumenta prima non ſunt, neque caro, neque lingua, vt eſt pupilla ipſius viſus, ſed aliquid interius. 2. de An. tex. 107. Caro autem & lingua vice medij ſunt, vt ſi oculo totus aer eſſet circumpoſitus, ex quo conſtaret oculi natura. 1. de Part. Ani. cap. 8. & 2. de Ani. tex. 116. primum autem horum ſenſuum inſtrumentum eſſe cor, cui circumpoſita caro eſt vice medij, ſignificauit Ariſtoteles. 2. de Part. Ani. cap. 10. cum inquit: Tangendi, & guſtandi ſenſum ex corde manifeſtè dependerę: & de Senſu, cap. 2. vbi inquit: iuxta cor eſſe ſenſorium guſtus & tactus: per ſenſorium intelligens non primum, ſed primo coniunctum, id eſt medium: oportet enim medium eſſe, iuxta primum organum, cuius eſt medium: vt diaphanum, iuxta oculum. Pręterea & ratione: Cùm enim ſapor nutritiui affectio quædam ſit, quatenus

C nutritiuum eſt: de Senſu, cap. 4. Si cor eſt id, quod primo nutritur, ipſum quoque alimenti affectiones primum percipere dicēdum eſt: ob id fortè in pluribus animalibus cor ad læuam partē inclinat, qua meatus cibi ex ore in ventriculū tendit, vt melius ciborum qualitates perciperet: & in Piſcibus ſtatim, iuxta linguam ſitum eſt ob eandem cauſam. De tactu autem eadem ratio: nutritur enim humido & ſicco, & calido & frigido. 2. de Ani. tex. 28. ideo & tactus appellatur alimenti ſenſus: ſapor autem, vt alimenti oblectamentum: Quaſi ſenſus calidi frigidi, humidi & ſicci ſimpliciter quidem tactus ſit: quatenus autem nutritiua ſunt, guſtus, qualis omnibus animalibus ineſt gratia alimenti. Omnia enim animalia tam ſanguinea, quàm exāguia habent eam partem, quæ ſapores ſentire poteſt. 2. de Part. Anim. cap. 17. Quatenus autem ſapor oblectamentum eſt eorum, quæ nutriunt, non eſt neceſſarius, ſed ad bene eſſe, vt cæteri ſenſus. 3. de Anim. tex 68. ideo

hic progreſsiuis tantum ineſt. Si igitur Cor inſtrumentum primum fuerit tactus & guſtus, vt oculus ipſius viſus: forte eorum gratia ſimilare fuerit, vt pati poſsit à tangibilibus qualitatibus. At Ariſtoteles ipſum primum ſenſitiuũ ideo ſimplex eſſe oportere inquit, vt ſit capax omnium ſenſibilium: non ſolum igitur receptiuum eſt tangibilium qualitatum, ſed & reliquarum omnium. Præterea fieri nequit, vt ſimul alteretur cum materia caro circumpoſita, & cor: non enim ſimul caleſit id, quod propinquum eſt calefacienti, & id quod eſt procul, ſed ſolum id verum eſt in illuminatione: de Senſu, cap.6. At ſenſus tactus fit ſimul, ac res tanguntur. 2. de Ani. tex. 109. dum ergo caro externa recipit cum materia, organum internum recipit ſine materia, quod & in cæteris ſenſibus contingit: quamuis enim ſonus prius perueniat ad medium, quàm ad extremũ, tamen ſimul ac peruenerit ad inſtrumentum, quod ſpeciem ſine materia ſuſcipere poſsit, ſenſum facit, & de cæteris eodem modo: Quæcunque enim ſine materia ſunt, ſunt & non ſunt ſine generatione, & corruptione, & ſine tempore. Non igitur eſt neceſſe organum internum recipere ſpecies cum materia, cum externum id præſtet. Tandem non videtur cor eſſe vltimum ſenſorium tactus: quodcunque enim ſenſile poſitum ſupra organum, non facit ſenſum. 2. de Anim. tex. 116. quo argumento probatur caro non eſſe ſenſorium, ſed medium, quia ſenſibile poſitum ſuper carnem ſenſum facit: ſi igitur cor ſentit ea, quæ ipſum tangunt, vt patet in vulneribus, & alijs affectionibus, à quibus dolor cordis oritur, non fuerit illud inſtrumẽtum tactus. Præterea cordis ſubſtantia ſimilaris caro eſt, hæc autem medium eſt tactiui, non vltimum inſtrumentum. At verò neque reliquorum ſenſibiliũ erit receptiua, oporteret enim ea tangendo ſentire. 2. de Ani. tex. 145. Quomodo igitur ſoluemus has difficultates? An receptio ſenſibilium ſine materia, non minus quam ea quæ fit cum materia, eget aliquo corpore ſimplici, in quo non qualitas materialis, ſed illius ſpecies recipiatur, vt anuli ſignum in cæra? Quod autem fuerit illud corpus aptum natum pati ab omnibus ſenſibilibus ſine materia? Profectò ſimpliciſsimum hoc eſſe oportet, vt quam maximè abiunctum ſit ab omnibus qualitatibus ſenſibilibus: ſic enim potentia exiſtens omnia, fuerit omnium receptiuum: huiuſmodi autem eſt natura ſpiritus animalis, corpus enim eſt maximè incorporeum in lib. de Communi animalium motu: & proximum animæ inſtrumentum communiſsimumq́ue. 5. de Gen. Ani. cap. vlt. Idcirco optimè natura qualitates primò ſenſibiles in corporeis inſtrumentis recipiens, vt carne, pupilla, aere inſito in aure: deinde earum ſpecies in ſpiritu: vltimo harum ſpecierum ſpecies in intellectu ab omni organo ſeiuncto reponit. 3. de Ani. tex. 38. Pars autem illa corporis, in qua ſpiritus iſte primò continetur, meritò primum fuerit animæ domicilium: & inſtrumen-

A ſtrumentum primum tum vegetatiuæ facultatis, tum ſenſitiuæ ac motiuæ: cuiuſmodi cor eſſe alibi oſtenſum eſt. Eius igitur caro non minus medium eſt tactiui inſtrumenti quam reliquæ carnes, cuius gratia ſimilaris eſt, non enim recipere alias qualitates præter tangibiles poteſt. Quoniam verò idem autor eſt ſanguinis, in ſanguine autem ſpiritus continetur, propter hoc receptiuum eſt omnium ſenſibilium. Quod autem inſtrumentum tactus, & guſtus ſit huiuſmodi: ſignificauit Ariſtoteles.2.de Gener. Anim. cap.4. vbi inquit: Sed cum ſenſorium tangendi, guſtandique protinus ſit, aut corpus, aut aliquid proprium corporis animalium: & quæ ſequuntur. Corpus enim animalium, vt animalia ſunt, carnem eſſe dixit.2.de Part. Anim. capit.8. carnem ergo cordis intellexit, hæc enim protinus eſt, cum primò cor oriatur. Proprium autem corporis animalium ſpiritus eſt animalis, per quem animal eſt: ſenſus enim in eo fit per mediam carnem. Sed B hoc modo dicenti ſenſus fieri videbitur per partes ſimilares tantum, non autem per diſsimilares. An hoc non repugnaret ſententiæ Ariſtotelis? quod enim dicebat.2.de Part. Anim. cap.1. actiones per diſſimilaria fieri, fortè non ſignificauit ſenſus, ſed motus: quod poteſt colligi ex ijs verbis, quæ ſtatim ſubiunxit, cùm inquit: Sed cum vis ſentiendi, vis mouendi, vis nutriendi eodem in membro contineantur, quod alio loco explicatum à nobis eſt, fit neceſſario vt membrũ, quod primum principia eiuſmodi teneat, id & ſimplex eo debeat eſſe, qua omnium capax ſenſibilium eſt, & diſsimilare, qua mouens & agens eſt: hæc enim verba ad motiuam facultatem referuntur, & nutritiuam. Sed tamen niſi oculus talem haberet figuram, & partium compoſitionem, non poſſet ſpecies colorum recipere: ſimiliter auris, & reliqua ſenſoria, quamuis ſecundum partem ſimilarem ſenſibilia recipiant, ſine diſsimilaribus tamen fungi ſuo munere nequeunt.

C Et ſenſuum igitur actiones per diſsimilaria adminiſtrantur. Quoniam verò cæteri ſenſus inſeparabiles ſunt a tactu, hic ſolus diſsimilarem partem propriam non habet, vt toto corpore ſentiret qualitates tangibiles: idcirco huius inſtrumentum proprium eſt ipſum commune omnium inſtrumentum. Ratione autem primi inſtrumenti quodammodo, & oculus medium eſt intrinſecum ad viſum faciendum: & nares ad olfactum: atque aures ad auditum, quemadmodum caro ad tactum, & lingua ad guſtum: Sed magis caro medium dicitur, quia formam diſsimilarem ſenſui accommodatam non habet: oculus habet, & cætera ſenſoria: Præterea cor ſua carne ſentit tangibiles qualitates: viſibiles nequaquam ſine oculo, neque ſonos ſine aure: Ob hæc igitur ſolùm inſtrumentum tactus interius eſt reconditum, cæterorum ſenſuum ſenſoria exteriora ſunt, & quodammodo media: vnum enim eſt primum omnium ſenſorium. Sanguineam

R 2 quoque

quoque eſſe oportet eorum naturam, non enim receptio ſine materia fit ſine ſpiritu, qui in ſanguine eſt. Idcirco humor chryſtallinus oculi, cùm ſit exanguis, non eſt aptus natus ſpeciem coloris recipere, ſed colorem tantum, viſus ergo non in eo fit, ſed in ſpiritu viſiuo, qui ex cerebri venulis per proprios meatus in internam oculi partem tranſmittitur: quibus meatibus abſciſsis, vt aliquando in bello contigiſſe ſcribit Ariſtoteles: de Senſu, capit.2. tenebræ ſtatim oboriuntur: Quamuis enim id corpore oculi perſpicuo recipiatur lumen, eo tamen abſciſſo, ſeu auulſo ab ea parte, quæ ſpeciem luminis ſuſcipere nata eſt, non fit eius viſio: idem in cæteris ſenſorijs contingit: nam ſine eo ſanguine, qui ſyncerus, & probè temperatus fuerit, in quo ſpiritus huiuſmodi continetur, nullibi fit ſenſus. His autem hoc modo conſtitutis facilè ſoluuntur obiecta. Quod igitur medici obiiciunt, ſcilicet neruos ſentire, quia maximi dolores ex eorum vulneribus, & conuulſionibus contingunt: & quod deligatis, aut abſciſsis auferE tur ſenſus ſubiectarum partium: primum quidem ſimile eſt, ac ſi quis dentes ſentire putet, cùm tactu rei algentis dolor in ipſis excitatur: aut ſi quis tenui tunica indutus ambientē frigiditatem, aut quid aliud tangendo ſentiat: putetque in tunica vim ſentiendi ineſſe, vt notat Ariſtoteles.2.de Anim. tex.109. Nullum igitur eſt mirum tacto neruo ſenſum fieri: compatitur enim corpus circunſtans, vt caro in qua aut per quam fit tactus: Quod ſi abſciſſo magno neruo, aut circunquaque nudato à partibus ſanguineis, acu pungatur eius medulla, vt noxa non perueniat ad partes vicinas, nullus fiet ſenſus, quemadmodum tacto cerebro, aut oſſe: Maiores autem dolores concitantur ijs vulneratis, quia ſenſus iuxta neruos exquiſitior eſt: ferunt enim ſpiritum ex corde, quo ſenſus omnis perficitur: ideoque ijs deligatis, aut alio modo interceptis tollitur ſenſus ſubiectis partibus, ac circunſtantibus: Quamuis igitur ſine neruo ſenſus non fiat, F non tamen neruus ſentit, neque ſanguis: ſed id quod ſanguine tali conſtat: non enim vnumquodque medium eſſe poteſt tangibilium qualitatum, ſed caro ſanguine huiuſmodi prædita. Inſtabit autem quis: Si ſpiritus per neruos deferuntur ad ſenſus perficiendos, non erit neceſſe ſanguineum eſſe id, quod ſentit: nerui enim ſanguinem non ferunt: dicimus alio modo neruos ad tactum, & guſtum facere quam ad viſum, auditum, & olfactum: Nam ij ſenſus, cum propinquiores ſint cerebro, per neruos proprios ex venulis cerebri ſanguinem cum ſpiritu potiuntur, vt patet in interna oculi tunica, quæ ex viſorij nerui medulla ortum ducit, apparet enim in ea venularum textura: Similiter olfaciendi, & audiendi meatus pleni ſpiritus natiui ex corde ad venulas, quæ in cerebro ſunt tendentes ad aerem externum deſinunt, ſecundo de Gener. Anim. capit. quarto.

Qui

A Qui autem ad ſenſum tactus, & guſtus nerui è cerebro deſcendunt, ſine aliarum venarum, & arteriarum ſocietate ſenſum non præſtant: oportebat enim corpulentum magis eſſe horum ſenſorium, & calidius: Quocirca ſedes horum magis propè cor ſpectatur. Patet autem tactum egere caliditate cordis fouente magis quam reliquos ſenſus: refrigerata enim valdè pars nihil ſentit: Præterea cũ nerui quanto magis protrahuntur, eo frigidiores ſint, quia diſtantiores à corde fiunt, propter hoc quoque neceſſe fuit iungi cum arterijs, & venis, vt earum calore fouerentur: ſic enim communicatione facta temperies in carne fit ſenſui commoda. Hanc autem communionem ſignificauit Ariſtoteles. 3. de Hiſto. Anim. cap. 6. vbi fibras quaſdam teſtatur à neruis ad venas tẽdere, & inde ad neruos: ideo eas mediam naturam habere inter neruos, & venas. Putandum enim eſt hic ſimilem communionem eſſe vaſorum, quam in cerebro alibi diximus eſſe, cum de B ortu neruorum loqueremur, extremis venarum in neruos deſinentibus. Idcirco animalia, in quibus principia minus diſtincta ſunt, vt cor & cerebrum, communionem hanc vaſorum arctiorem habent, vt quaſi vnum fiat corpus ex neruo, & vena: vnde fit, vt diuiſa viuere aliquandiu poſsint: principia enim non habent diſtincta, ſed veluti diſſeminata in ductibus: vt quaſi vbique cor ſit, quia vbique vena cũ arteria coniuncta eſt: & vbique cerebrum, neruis vbique coniunctis cum venis. Ideo vbique potentia principium continetur. Plantæ coniunctionem hanc in geniculis præcipuè habent, vnde germinant. In animalibus verò perfectioribus coniunctio vaſorum longè maior eſt in principijs, quàm in ductibus: Cor enim coniunctio eſt venarum, & arteriarum maximis oſculis, ideo principium eſt: in ductibus autem paruorum oſculorum etiam communicatio apparet, ſed imbecillis: Et cerebrum venarum, & neruorum eſt coniunctio prima, mo C dica autem in ductibus videtur: ideo diuiſa viuere nequeunt, cũ pars à ſuo principio abiuncta fuerit. Ex dictis autem patet propter quid neruo abſciſſo, aut deligato in ijs animalibus, quæ principia diſtincta ſortita ſunt, ſenſus aufertur ſubiectæ particulæ: caro enim ſine eo ſpiritu natiuo, qui per neruos a corde fertur, non ſentit: non tamen ob id ſenſum in nerui ſubſtantia eſſe dicendum eſt, frigidior enim eſt, & ſiccior quam oportet, & ſanguine caret: quamuis autem non ſentiat, datus tamen eſt propter ſenſum, vt etiam ipſum cerebrum: Cũ enim proprium animalis corpus, quatenus animal eſt, caro ipſa ſit, quia hęc eſt inſtrumentum tactus aut primum, aut coniunctum, reliquæ partes eius gratia datæ ſunt, vt nerui oſſa venæ. 2. de Parr. Anim. cap. 8. Quod verò ex læſionibus cerebri ſenſus, & motus totius corporis lædantur, & deliria contingant, atque aliæ huiuſmodi principum facultatum imbecillitates, ac deprauationes, cauſam affert Ariſtoteles. 2. de

Part. Anim. cap. 7. Calor enim cordis, atque principium conſentien- D
tiſsimum eſt, ob id cum ſanguis cerebri aliquo pacto mutatur, atque
afficitur, conſenſum celerrimè facit. Quod igitur ſenſuum læſiones
contingant, quid mirum? ſi cerebri officiũ eſt feruorem cordis tem-
perare propter ſenſum: Nam parte anteriori capitis ob id continetur,
quia id quo ſentiunt animalia, ſcilicet Cor, in parte anteriori ſitum
eſt. 2. de Part. Anim. cap. 10. Cùm autem per hanc partem ex corde
ſpiritus animales ſenſibus miniſtrentur, non mirum ſi illa parte læſa
lædantur etiam reliquæ facultates ex ſenſu ortum ducentes, vt imagi-
natio, memoria, ratiocinium: vt enim intellectus, dũ intelligit phan-
taſmata, ſpeculatur: ſic Phantaſia, dum imaginatur ſenſibus, inniti-
tur: & propter hanc cauſam videntur hæ operationes in cerebro eſ-
ſe, quia organa ſenſuum particularia, aut iuxta cerebrum ſunt, aut
maximum cum cerebro conſortium habent. Non eſt autem ijs aſſen-
tiendum, qui putant ſenſum quidem in anteriori parte cerebri fieri, E
memoriam verò in poſteriori: in medio autem imaginationem, quia
cerebri læſione his diuerſis locis facultates eas lædant: quaſi non ea-
dem ſit ſpecies imaginata cum ea, quæ per ſenſum habetur, aut per
memoriam renouatur: aut contingat, quemadmodum in depictis hi
ſtorijs, in quibus eædem perſonæ diuerſis locis collocantur, vt diuer-
ſa geſta ſignificent. Sed vt anterior pars cerebri, in qua ſenſus ſunt,
cordis mucroni reſpondet, in quam enim partem cor vergit, in ean-
dem & ſenſus ſpectant, & motus peragitur, vt patet in piſcibus, qui-
bus cor ad os vergit: ſic poſterior cerebri pars ſedi cordis reſpondet:
vnde conſenſus apparent. Circa motum autem, cum duplex ſit ge-
nus neruorum, vnum ex cerebro, ac ſpinali medulla proueniens pro-
pter ſenſuum inſtrumenta: alterum iuxta articulos ad muſculorum ſi-
nes, ac principia, quibus motus peragitur, non deberet cerebri no-
xa motum impedire: tendines enim, & ligamenta ex finibus arteria- F
rum in eas partes deſinentium oriuntur, vt voluit Ariſtoteles tertio
de Hiſt. Anim. cap. 5. An motus non fit, niſi præeunte alteratione fa-
cta à ſenſu? Declarauit id Ariſtoteles in libro de Communi anima-
lium motu, vbi inquit: partes inſtrumentarias ad motum diſponi op
timè per affectiones: affectiones autem fieri ex appetitu: hunc tan-
dem ex phantaſia, aut ſenſu, aut intellectu: motum autem perfici am
plificato inſtrumento per ſpiritum ex corde, atque eodem diminuto:
ſpiritus enim natura hæc eſt: Naturæ igitur ingenium in motu anima
lium ſimile eſt artificio organorum, quæ in templis flatu per folles im-
miſſo tactis modo his modo illis pro artificis arbitrio, diuerſos edunt
ſonos: Sic in animalibus alteratio per ſenſus eſt veluti tactus diſponẽs
inſtrumentum ad flatum recipiendum: aperit enim meatus, per quos
flatus ex corde præcipuè retento ſpiritu, ac thorace compreſſo tan-
quam

A quam folle in tendines muſculorum impingatur: Huius autem gratia cordis corpus robuſtum eſſe oportuit,& neruoſum,vt motus hos pręſtare poſſet. Deficiente igitur ſenſu deficit motus, quia meatus tendinum flatus non recipiunt, quantūcunque cor nitatur: meatus autem dicti, & conſortium neruorum cerebri cum illis carne muſculorū circunquaque ſtipante occultantur: non enim licet niſi fibras quaſdam tenuiſsimas inſpicere. Quod autem nerui cerebri ad ſenſum tantum faciant primò, ſecundariè autem ad motum, patet: Qui enim ad viſcera deſinunt,ſenſus tantum faciunt, non motum: idcirco contingit auferri motum, non læſo ſenſu, altero ſcilicet genere neruorum læſo: ablato autem ſenſu impoſsibile eſt motum fieri, quia vtrunque genus neruorum requiritur ad motum: ad ſenſum autem vnū tantum: Qui autem Ariſtotelem inſimulant inſcitiæ, tanquam non viderit neruos ex cerebro ad linguam, & ad omnes partes tangendi vi præditas ferri, B quia ſcribat horum ſenſoria iuxta cor eſſe, ſi ij diligentius Ariſtotelis dicta animaduertiſſent, naturæ ſecreta inuenire ipſi quoque potuiſſent, & tantum philoſophū non calumniati, ſed potius admirati fuiſſent. Nā ſine neruo ſenſum minimè fieri apertè ſignificauit.3.de Hiſt. Ani.cap.5.vbi inquit: Pars nulla corporis ſtupore tentatur, quę neruo caret: quid enim aliud vult quam illud? nullam ſcilicet partem ſenſu præditam eſſe, quæ neruo caret: ſtupor enim eſt ſenſus priuatio: ideo non contingit niſi in ea parte, quæ ſentire poteſt. Quid autem ſit ſenſorium tactus & guſtus,& quomodo caro,& lingua nō ſint vltima ſenſoria,ſed media,& propter quid hæc ſedem habeant propè cor,explicatum eſt ſuperius. Ad dubitationem autem, quod non videatur in corde ſenſus fieri,neque in loco propinquo cordi,quia ſanguinis calidioris agitatio officium ſentiendi intercipit: dicimus, res naturales in menſura quadam conſiſtere, à qua ſi receſſerint, vel ſecundum exceſC ſum, vel ſecundum defectum,actiones earum deprauentur. Similiter igitur & ſenſus caliditatem ſibi propriam requirit, & membrum ſuo modo temperatum,vt optimè perficiatur. Non ſimilem autem temperaturam requirunt ſenſus, qui iuxta cerebrum poſiti ſunt, & qui iuxta Cor: Tactus enim, & guſtus calidiorem naturam requirunt: Commodiſsimum autem eſt calor,qui in corde eſt,præcipuè qui in homine. Temperatiſsimum enim eſſe hominem alibi oſtendimus,qua temperie tactiles qualitates optimè percipiuntur. Quoniam autē in corde tres ventriculi ſunt, quorum dexter ſanguinem calidiſsimum cōtinet, ſiniſter frigidiſsimum, medius mediocrem, ſed puriorem,in hoc principium eſſe voluit. Ariſtoteles.3.de Part. Anim.cap.4. Principiū enim quam maximè quieſcere debet: tale autem erit, ſi ſanguis purus, & mediocris tum copia, tum calore ſit. In homine autem hunc puriſsimum eſſe ſcribit.2.de gen. Anim. cap.4. eo argumento, quia pruden-

tiſsimus animalium eſt: intellectus enim illud temperamentum ſignificat: Et 2.de Part. Anim. cap. 2. inquit: Eſt certè roboris efficacior ſanguis, qui craſsior, & calidior eſt: Vim autem ſentiendi, intelligendiq́; obtinet pleniorem, qui tenuior, atque frigidior eſt. Sed optimè conſtant, quæ calidum, tenuem, & ſyncerum habent, quippe quæ vnà & viribus corporis, & animæ ingenio plurimum valeant. Hinc autem ſoluitur contradictio, quæ videtur in verbis Ariſtotelis, cùm ſcribit.2.de Part. Anim.cap.7. hominem inter cætera animalia cor habere calidiſsimum, & ſanguine refertiſsimum: cuius gratia illi datum eſſe plurimum cerebri idque humidiſsimum. Copia enim calidi natiui, & eiuſdem puritate vincit omnia animalia, intenſione autem caloris nequaquam: multorum enim animaliū ſanguis calidior eſt, ſed craſsior ac ſiccior, & turbulentior. At verò ſi cordis calor hæc poteſt, cuius gratia nerui ſunt neceſſarij ad ſenſum in toto corpore? An vt ſpiritus animalis haberetur maximè deſęcatus à ſanguinis craſsitie? Et ſi enim cor ſit primum ſentiens, ſine ope tamen cerebri nequaquam ſenſum cęteris diſtribuit. Nam ſpecies ſine materia per ſpiritum in cerebro præparatum, & neruis delatum communicatur cordi tanquam regi. Ex his autem patet, quę nam pars totius corporis temperatiſsima ſtatuenda ſit, propter quam homo tactū habet exquiſitiſsimum. Non enim cutis vt medici putant: temperatior enim eſt caro ſubiecta, nam in ea magis eſt ſenſus: ſignū autem eſt, quod longè exquiſitius qualitates tactiles ſentimus lingua, quàm manu: vt gemmarij faciūt: hoc enim experimento veras gemmas à factitijs diſcernunt: nam tactu linguæ longè frigidiores ſentiuntur legitimæ: quam differentiam nunquam digitis diſcernas: Carne autem, & lingua lōgè temperatior eſt cordis caro, hic enim primò ſitum eſt inſtrumentum tactus. Si igitur liceret corde tangere, vt lingua, longè exquiſitius, vel minimas differentias ſentiremus. Sed quoniam læditur facillimè à quocunque exceſſu, idcirco recondidit ipſum natura, & circumpoſuit corpus animalis oſſa, & carnes, vt non ſe ipſo, ſed per mediū qualitates perciperet. Fons igitur caloris medium ęquale eſt inter duos exceſſus caloris, & frigoris humidi, & ſicci: reliquæ autem partes quanto magis participant de illius natura, vt caro & quæcunque ſanguineæ ſunt, eo temperatiores exiſtunt, & ad ſenſum aptiores. Quoniam verò duplex eſt ſingularum partium temperamentum: vnum quidem potentia, alterum verò actu, vt alibi expoſuimus: calor cordis, qui omnium operationū eſt autor, & cuius participatione cætera cordi adnata viuunt, actu eſt, quem temperatiſsimum in homine diximus eſſe. Qui autem potentia eſt ex diuerſa elementorum mixtione ortus, varius eſt pro diuerſarum partium compoſitione: Oſſa enim, & nerui frigida & ſicca ſunt: cerebrum frigidum & humidum, quia hoc quidem ex aquea

A conſtat ſubſtantia, illa verò ex terrea magis. Pinguedo autem ex aerea & ignea, nam facilè comburitur: Caro media videtur eſſe: nam eius mollities medium ſignificat inter humidũ, & ſiccum: propterea qui carnem duriorem habent, ſenſu obtuſiores ſunt: molles autem carne,& quibus Cor molle eſt,aptiores ſunt ad ſenſum.3.de Part.An. cap.4. Subſtantia autem eius non in totum inflammabilis vt pinguedo, nec omnino incombuſtibilis, vt medulla cerebri, mediam naturam habere ſignificat inter calidum, & frigidum potentia. Vtraque igitur ratione caro præcipuè Cordis temperatiſsima fuerit. Relinquuntur dubitationes, quæ aduerſus Ariſtotelis demõſtrationem afferebantur. Quod igitur obijciebatur non eſſe idem inſtrumentum diuerſarum potentiarum: dicimus,quemadmodum potentię eædem ſubiecto ſunt, vt vegetatiua & ſenſitiua,ſic etiam inſtrumenta eadem ſubiecto eſſe melius erat, ſi fieri poterat: hoc enim modo procedit
B ratio Ariſtotelis de principatu cordis.3.de Part.Anim.cap.4. Fieri autem poſſe, vt idem ſit inſtrumentum plurium, oſtenſum eſt: calore enim,& ſpiritu cordis omnia perfici poſſunt aut ſtatim aut per media. Receptaculo igitur ventris,& inteſtinorum vtitur,& venis ad alimenti præparationem, ſed ſuomet calore: ipſe autem ſe ipſo perficit: Similiter ad viſibiles qualitates recipiendas pupilla oculi vtitur: & ad ſonos aere inſito in aure: & ad tactiles qualitates carne: ipſe autem ſeipſo omnia iudicat: Si enim vnum eſt,quod differentiam eorum percipiat, vnum eſſe oportet, quod omnia ſentiat: nõ poteſt autem oculus ſonos iudicare, nec lingua colores. Primum igitur organum omnium commune interius eſt. Idcirco ipſum comparauit Ariſtoteles Regi, totũ autem animalis corpus reipublicæ. Cùm enim ordo conſtitutus fuerit, non eſt neceſſe regem omnibus intereſſe, agunt enim magiſtratus ſecundum præceptum regis. Ad alterã inſtantiam,quod
C non ſit neceſſe omnes partes ſentientes ſanguineas eſſe. licet primum ſentiens auctor ſit ſanguinis: quia non omnis pars,quæ nutritur,ſanguinea eſt, licet primum ſit ſanguineum: dicimus nutritionem fieri non à temperamento proprio ſingularum partium,vt medici putant, ſed à caliditate per arterias, & venas influente à corde, vt alibi explicatum eſt: non enim caro carnem gignit, nec neruus neruum: ſed calor, qui eſt in corde in diuerſas corporis partes delatus, ſanguinis materiam aptam quidem coagulari à frigido in carnes diſpenſat: magis autem terrenam in oſſa & neruos, & de reliquis eodem modo; idcirco omnia quidem nutriuntur ſanguine,at non omnia ſunt ſanguinea. Nam ex materia ſynceriſsima caro fit, & reliquorũ ſenſoriorum corpora, ex recrementis autem oſſa nerui pili vngues,& cætera huiuſmodi.2.de Gen.Ani.cap.4. Solum igitur cor ſuo calore trahit alimentum,& ſanguinem creat, quo & ipſum, & reliquæ partes nutriuntur.

Quod

Quod ſi eodem modo cætera ſuo calore alimentum conficerent, naturam cordis imitari potuiſſent, & ſanguinea eſſent omnia, quia primum ſanguineum eſt. At ſenſuum inſtrumenta ſimilem naturam habere oportuit cum primo ſenſorio, mouentur enim omnia ab exterioribus ſenſibilibus & prius organa extèriora quam cor, licet in vtriſque ſimul fiat ſenſus: vt enim receptio fit in ſpiritu exiſtente in inſtrumentis externis, ſic in ſpiritu cordis, ſed ſimul, quia alteratio eſt inſequens præſentiam ſenſibilis in organo, vt ſuperius oſtenſum eſt. Com meat igitur ratio in ſenſu: Si cor ſanguineum eſt, neceſſe eſt omnes partes ſentientes ſanguineas eſſe, vt pati à ſenſibilibus poſsint: non commeat in nutritione, quia motus à corde eſt in ipſas, non ab ipſis in cor. Patet igitur ratio, cur partes exangues eorum animalium quæ ſanguine ſunt prædita, non ſentiant: Idem verò dicendum de ijs quæ ſanguine carent: humorem enim habent proportione reſpõdentem ſanguini & particulam reſpondentem Cordi. D E

Animam non in ſingulis corporis partibus eſſe: neque totam in toto ſed totam in corde. Quæſt. VII.

VVLGATA eſt ſententia animam eſſe totam in toto corpore, & totam in qualibet eius parte: quoniam ſcripſit Ariſtoteles 1. de Anim. tex. 94. Si quædam animalia diuidantur, in vtraque partium inexiſtere omnes animæ partes, vtpote quę eiuſdem ſpeciei ſint inter ſe & cum tota: viuunt enim vtraque inſectorum quorundam ſegmenta, & ſenſum & motum habentia aliquo temporis ſpacio. Plantæ quoque diuiſæ germinant idem vegetandi principium habentes, quod non eſſet, niſi tota anima ſimiliter eſſet in ſingulis partibus, vt in toto. Oppoſitũ tamen ſcribit Ariſtoteles in libro de Communi animalium motu: vbi inquit: non oportere in ſingulis partibus animam eſſe, ſed ea exiſtente in quodam corporis principio reliqua uiuere, quia illi adnata ſunt. Præterea & ratione manifeſtum eſt: F Cum enim partium quædam ſint ſimilares, quædam diſsimilares, anima autem actus ſit corporis organici, quod diſsimilare eſt, ſi in ſingulis partibus animam poneremus, diſsimilaris quælibet pars retineret naturam totius: aut non diſsimilare eſſet animalis corpus ſed ſimilare, proprium enim ſimilaris eſt, vt ad diuiſionem corporis diuidatur forma non in diuerſa ſpecie ſed numero: nam in qualibet parte carnis, integra forma carnis eſt, & quælibet pars aquæ frigiditatem coniunctam habet cum humiditate. Totam igitur ſpeciem in toto corpore eſſe & totam in ſingulis partibus contingit in omnibus formis ſimilarium corporum: in diſsimilaribus autem eſt impoſsibile, pars enim oculi non eſt oculus, nec faciei facies. Amplius cum plures ſint animę

potentiæ,

A potentiæ, ſi tota anima in ſingulis partibus eſſet, ſingulæ partes haberent omnes animæ potentias: poſſet igitur oculus audire, & pes videre, & de cæteris eodem modo: aut in eodem erit ſimul eiuſdem potentia & impotentia, vt idem ſit poſsibile & impoſsibile. Quatenus enim anima ineſt in ſingulis partibus, in iiſdem potentiæ omnes inerunt: quatenus autem inſtrumenta eadem non ſunt apta ad omnes potentiarum functiones peragendas, in oculo inerit impotentia guſtandi, & in pede impotentia videndi. At natura fruſtra potentiam tribueret, niſi etiam inſtrumentum illi adiungeret: & perinde eſſet ac ſi fabrilis ars in fiſtulas ingrederetur. 1. de Anim. tex. 53. Ob hæc igitur non eſt tota anima in ſingulis partibus corporis. At verò neque ſingulæ animæ partes in ſingulas corporis diſtributę ſunt: vt ſenſitiua quidem ſit in cerebro: vegetatiua autem in hepate: & ſenſitiui hoc quidem in oculo, hoc autem in aure, illud verò in carne. Nam demonſtrat Ariſtoteles id impoſsibile eſſe. 1. de Anim. tex. 90. vſque in finem: primò quidem ex parte vnitatis, non erit vnum ipſa anima partes habens loco diſtinctas, niſi aliquid aliud ſit, quod eas contineat & vnum faciat, de quo iterum quærendum erit, vtrum partes habeat, an impers ſit: Aut igitur in infinitum procedet ratio, aut tandem veniendum eſt ad impartibile, quod vnitatis cauſa ſit, & contineat: hoc autem anima ipſa eſt. Deinde ratione partium: ſi enim tota anima totum corpus cōtinet, conuenit & partium vnamquamque cōtinere aliquid corporis: at impoſsibile eſt: non enim eſt aliqua pars corporis, cui aſcribi poſsit intellectus. Vltimo probat eo experimento, ſcilicet diuiſis animalibus quibuſdam & plantis, quorum partes abſciſſæ viuunt eandem ſpeciem animam habentes. Idem oſtendit. 2. de Anim. tex. 20. Ad diuiſionem enim corporis non diuiditur anima in partes, vt hac quidem ſentiat, illa uerò moueatur, & de cæteris eodem modo. Non igitur diſtri-
C buendæ ſunt ſingulis corporis partibus ſingulæ animæ partes. Relinquitur animam indiuiſibilem eſſe, eâque aut in toto cōrpore eſſe, aut in aliqua eius particula. At verò in toto corpore eſſe impoſsibile eſt in quibus multorum organorum eſt diſtinctio: oporteret enim toto corpore ſingulas animæ functiones perficere: non igitur oculis videremus, nec pedibus ambularemus, ſed eodem corpore toto: at hoc falſum eſſe, indicant membrorum auulſiones: erutis enim oculis viuit quidem animal ſed non videt, & abſciſis alis non volat. Si igitur diuerſis particulis diuerſæ actiones perficiuntur, cum tamen anima in ſingulas partes non ſit diſtributa: neceſſe eſt ipſam in quadam corporis particula eſſe, quæ cæteris apta ſit uirtutem impartiri. Hoc autem cor eſſe, & quia in medio eſt, & propter alias rationes, alibi oſtenſum eſt ſatis. Bene igitur Ariſtoteles comparauit animal reipublicæ, animam autem regi, & cor regiæ. Quemadmodum enim in republica admi-

adminiſtrationes omnes ex regis decreto peraguntur, quamuis rex ſin- D
gulis operibus non interſit: ſic viuunt cætera membra ex virtute cordis influente in ipſa. Sicubi autem propter imperfectionem, cordis natura, aut quod illius vicem gerit, minus articulatum fuerit, vt in inſectis apparet & Plantis, non mirum ſi abſciſſa viuant: principium enim habent non bene diſtinctum, ſed veluti per corpus diſſeminatum: Vnde accedũt magis ad naturam ſimilarium corporum: maximè autem plantæ: nam inſecta tanquam magis organica breuiori tempore viuunt abſciſſa, quia egent maiori organornm apparatu ad vitam conſeruandam quam plantæ. Sed dubitatur. Si anima eſt actus primus corporis organici, qui poſsit in actus ſecundos exire: oculus autẽ corpus quoddam ſit organicum, cuius actus primus eſt ipſa videndi potentia. ſecundus autem ipſa viſio: erit anima etiã in oculo, viſio enim in eo fit: quod ſi viſio, etiam potentia in eo fuerit, quem actum primum & animam ipſam eſſe manifeſtum eſt. Eodem modo argumen- E
tari licet de cæteris partibus, quibus aliquod eſt officium delegatum. An ſi oculus eſſet ſeparatus vt animal, argumentatio verè concluderet, actus enim primus eſſet in ipſo anima: Sed quoniam ſeparatus nõ eſt amplius oculus niſi æquiuocè perinde ac lapideus, idcirco eius actus primus ſine illa particula eſſe nequit, cui adnaſcitur: Anima igitur eſt actus totius corporis & ſingularum partium, quia eſt actus eius particulæ cui reliquæ partes tanquam lineæ ex centro ſunt adnexæ. Quemadmodum enim centrum indiuiſibile quoddam eſt & vnum in multitudinem linearum quodammodo diſtributum, ſic anima indiuiſibilis exiſtens in plures tamen potentias quodammodo diuiditur & multiplici organorum ſpecie pro natura diuerſarum potentiarum vtitur. In eodem igitur eſt vegetatiuum, ſenſitiuum, motiuum, & ſenſitiui id quod ſingula iudicare poteſt, ac reliquæ animæ potentiæ inſeparabiles à ſe inuicem: principium enim vnum & idem eſt omnium. F
Quoniam verò organa diuerſa eſſe oportuit diuerſis potentijs accommodata: plura autem corpora in eodem eſſe impoſsibile eſt: idcirco eo artificio natura animal condidit, vt organorum multitudo ex vnico principio pẽderet: ſic enim quodammodo vnum ſunt omnia, quatenus vnum eſt omnium principium: quodammodo verò plura, quatenus ab eodem principio in diuerſa deſinunt. Sed circa ſenſus dubitatur. Non enim videntur ſenſus externi vnum ſubiecto eſſe excepto tactu, nam cæteri ſenſus inſeparabiles ſunt à tactu, hic autem ſolus ſeparatur. At viſus & auditus & reliqui non ſolum ratione ſed & ſubiecto diſtinguntur: organa enim diſtincta ſunt, ſolum autem in ſenſu communi coniungi videntur qui internus eſt: ſed hic ſiquidem eſt alius à ſingulis, non enim idem videtur ſenſus internus & externi, non ſient vnum ſubiecto ſenſus externi: Coniunctio enim in ſenſu com-

muni

A muni efficit vnum ſenſum communem alium à ſingulis, non vnũ omnium externorum ſenſum. An nõ eſt aliquis alius ſenſus præter quinque qui exteriores appellantur? vt colligitur ex demonſtratione Ariſtotelis.2.de Anim.tex.128. Senſum autem communem non eſſe aliũ à ſingulis patet.2.de Anim.tex.136. Cum enim ſentiamus nos videre & audire & cæterorum ſenſuum functiones, quæritur vtrum eodem ſenſu an alio: probatur autem eodem ſenſu vt viſu nos videre & auditu audire,nam ſi alio,duo eſſent ſenſus eiuſdem,vt colorum viſus & ille qui viſum ſentiret. Deinde proceſſus eſſet in infinitum, alter enim ſenſus cum ſentiatur,ab altero ſenſu ſentiretur,& ille ab alio, aut tandem aliquis erit ſenſus ſui ipſius: melius igitur eſt ſtatim in primo id facere, vt ſcilicet ſenſus idem qui eſt coloris, ſit ſenſus ſui ipſius: idem enim eſt actus ipſius viſus & coloris quatenus viſibilis: Idcirco ſenſus in actu eſt ipſum viſibile actu viſum: quod in omnibus quæ ſine ma-

B teria ſunt, contingit, vt in intellectu: idem enim eſt ſcientia & ſcibile.3.de Anim.tex.15. Viſus ergo ſeipſum videt, & auditus auditum, & de cæteris eodem modo. At verò ſenſum hoc modo acceptũ communem vocat Ariſtoteles in libro de Somno, cap.2. Teſtatur enim communem eſſe potentiam omnium ſenſuum, qua ſentimus nos ſentire ſecundum vnumquemque ſenſum: Quo in loco uidetur contradictio quædam eſſe: vbi inquit: non enim viſu quidem uidet ſe uidere,nec iudicat ac diſtinguit aliud eſſe dulce ab albo neque guſtu neque viſu neque vtriſque,ſed quadam communi particula omniũ ſenſoriorum. Soluitur autem: Nam intelligit hic per ſenſus ipſa ſenſoria non potentiam: non enim oculo uidemus nos uidere,nec aure audimus audire,ſed communi quadam particula omnium ſenſuum, id eſt corde. Cum autem in eo omnes ſenſus conueniant, non efficiunt alium ſenſum præter quinque: extrema enim linearum in centro non

C conſtituunt alium punctum præter ſingularum extremum; cum tamen diuerſa quadam ratione idem diuiſionis punctus bis numeratus vnus ſit & multi: Sic in ſenſu quatenus vnus eſt, communis dicitur, quatenus multi,ſenſus ſinguli. Altera ſuboritur dubitatio circa ſenſibilium receptionem. Cum enim ſentiatur ipſum ſingulare, hoc autẽ determinatæ ſit quantitatis: de Senſu,cap.vltimo: nõ enim color ſimpliciter recipitur in oculo ſed tantus color, ſimiliter autem in cæteris ſenſibus: non videtur fieri poſſe, vt vnicus ſit ſenſus omnium receptiuus: nam quantitas in indiuiſibili recipi nequit. Quod ſi diuiſibile fuerit id quod omnia genera ſenſibilium ſuſcipit, non erit unum id quod iudicat differre album à dulci, & dulce ab amaro: in eadem enim parte plures quantitates recipi nequeunt, neque contraria in eodem ſubiecto eſſe poſſunt. Reſponderet quiſpiam inſtrumentum cõmune omnium ſenſuum partim eſſe diuiſibile quatenus ſcilicet diuer

ſa

ſa vel contraria ſuſcipit ſecundum diuerſas ſui partes: partim autem D
indiuiſibile, quatenus vnum numero eſt: ſic autem vnum eſſe quod iudicat diuerſa eſſe ſenſibilia. Refellit hanc reſponſionem Ariſtoteles.2.de Anim.tex.148.Non enim eſt poſsibile actu idem diuiſibile & indiuiſibile eſſe, neque contraria ſimul pati: ſed potentia ſolum contingit. At cum ſenſus iudicat diuerſa vel cõtraria, actu patitur & multitudinem recipit. Quomodo igitur vnus erit tunc actu ſenſus? Quod ſi non fuerit vnus, quomodo iudicare diuerſitatem poterit? Neceſſe igitur eſt indiuiſibile eſſe id quod iudicat, multa autem iudicare, non quia diuidatur id quod indiuiſibile eſt, ſed quia idem ſæpius numeretur, vt accidit puncto lineam aliquã diuidenti, bis enim utitur eodem ſigno ſimul. At verò ſi indiuiſibilis eſt ſenſus, quomodo diuiſibilia ſentit? Quantitas enim omnis diuiſibilis eſt, ſine qua non contingit ſenſibile ullum eſſe. Dicendum eſt igitur ſpecies ſine materia indiuiſibiles eſſe: cum enim propter materiam diuidatur vnumquodque: E
ipſa quidem quantitas extra animam diuiſibilis eſt, in anima autẽ ſpecies eiuſdem eſt indiuiſibilis. Vt igitur punctus additus puncto & infinita puncta ſimul nõ efficiunt vllam magnitudinem, ſic ſenſibilium multitudo in anima nullam molem parit. Quod ſi abſque mole aliqua inſint ſenſibilia in ſenſu, non continget cõtraria in eodem ſimul eſſe, cum albi & nigri, aut calidi & frigidi ſimul fiant ſenſus: cum enim non exiſtat aliquod ſubiectum, quod recipiat ſenſibilia ſecũdum eius diuiſionem & extenſionem (id enim eſſet cum materia recipere) non ſequitur in eodem ſimul eſſe contraria, & propter hoc eadem eſt ſcientia contrariorum, & ſenſus idem luminis & tenebrarum. Sed dubitatur: Si ſenſitiuum non eſt ſine corpore, organa enim ſingulis ſenſibus tributa ſunt: diuiſibiles erũt ſpecies ad corporis diuiſionem, ut etiam extra animam contingit. Non igitur aufugiemus abſurda quæ dicta ſunt. Eſſe autem corpoream paſsionem quæ à ſenſibilibus fit non ſo- F
lum in ſingulis ſenſibus, ſed etiam in ſenſu interno & Phantaſia, explicauit Ariſtoteles in lib. de Memoria, cap. vltimo. Fit enim per ſenſum in anima & in parte corporis habente ipſam, veluti pictura quædam tanquam anuli ſigillo: cuius habitus memoria dicitur: de Memo.c.1. Soluit Ariſtoteles. 2.de Anim.tex.122. vbi inquit: Magnitudo enim quædam erit id quod ſentit, non tamen eſt ſenſitiuo eſſe, neque ſenſus magnitudo eſt, ſed ratio quædam & potentia illius. Differt igitur ſenſibilium receptio in organo & tandem in corpore ab eorundem receptione in anima. Nã in organo & corpore recipitur ſpecies cũ quantitate & diuiſibilis, idcirco non contingit eodem tempore contraria ſentire vt lumen & tenebras, calidum & frigidum ſecundum eandem partem corporis: ſecundum autem diuerſas partes nihil prohibet, vt ſi eodem tempore altera quidem manu aquam frigidam tangamus,

altera

A altera verò calidam: vt quoque legentibus contingit, ſimul enim albedinem chartarum & ſcripturæ atramentum intuentur, ſecundum tamen diuerſas oculi partes, ſicut etiam ſunt extra oculum. In ipſa autem anima ſpecies ſine materia recipiuntur, idcirco non quantitates nec colores, nec calidum nec frigidum, ſed indiuiſibilia eorum ſimulachra concipiuntur, res tamen diuiſibiles & quantas repræſentantia. Quoniã verò hęc eadem ſimulachra egent aliquo ſubiecto, non enim ſunt ſubſtantiæ quæ per ſe maneant ſeparatæ: idcirco ſunt quidem in aliqua magnitudine, ſed nõ tanquam in magnitudine: eorum enim eſſe non eſt magnitudo aliqua. Propterea duplici genere corporis opus fuit ad ſenſus perficiẽdos, vnum quidem quod reciperet ſpecies quantas & pateretur cum materia, vt perſpicuum oculi corpus: aer in aure exiſtens: caro totius corporis: Altero autem in quo receptio fieret ſpecierum ſine materia, quod eſt propinquiſsimum animæ inſtru-

B mentum, quem ſpiritum vocant. Sed vt res maniteſtior euadat, in oculo diligentius id contemplemur. Cum fiat receptio viſibilis ſecũdum pyramidem cuius baſis eſt ſuperficies rei, quæ uidetur extra oculum exiſtens, cuſpis autem in oculo, vt patet per ea, quæ in ſcientia perſpectiua traduntur: ex anguli autem, in quem pyramis deſinit, magnitudine & paruitate res maiores vel minores appareant: in anguli quidem extremo ſpeciem indiuiſibilem eſſe neceſſe eſt, concurſus enim linearum in puncto fit: ſed ante concurſum, magnitudinem habere baſi proportionalem, per quam rei uiſibilis iudicatur quantitas. Cum enim duo ſint triangula, vnum paruum, cuius baſis intra oculum eſt, alterum magnum, cuius baſis eſt extra in ſuperficie viſibilis, vtriuſque autem anguli ſint æquales, vnus enim communis eſt ſcilicet is qui eſt in cuſpide pyramidis, reliqui duo ad vtranque baſim æquidiſtantem, neceſſe eſt latera lateribus proportionalia eſſe & baſim baſi. Ex late-

C rum præterea quantitate, habetur diſtantia corporis viſibilis, ex baſi autem quantitas eiuſdem: Vbi igitur nota fuerit diſtantia, ex quantitate baſis in oculo exiſtentis nota fiet quantitas baſis externæ, proportionem enim habent eandem, quam latus maioris trianguli habet ad latus minoris: vbi verò diſtantia incerta eſt, contingit decipi viſum, vt circa magnitudinem ſolis. Sufficit ergo in oculo quãtitatem aliquam recipi quantumcunque paruam pro oculi magnitudine ſed proportionalem externæ. Nam aliàs ea quæ maiora eſſent oculo, videri non potuiſſent neque iudicari. Corpus autem in quo fit baſis proportionalis externæ, eſt humor chryſtallinus appellatus, perſpicuus & rotundus: nam in eo perinde ac in pila vitrea aut in ſpeculo imprimitur ſpecies à rebus externis. Vbi autem deſinit pyramidis angulus, imago in ſpeciem indiuiſibilem tranſit, quæ in ſpiritu poteſtate ſentiendi prædito recipitur. Simile autem quid in cęteris ſenſibus fieri putandum

eſt:

eſt: vbique enim affectionem aliquam proportionalem externæ reci- D
pi par eſt, vnde iudicatur quantitas rei ſenſibilis, interius autem eandem ſine materia, & indiuiſibilem fieri. Nullum autem inconueniẽs eſt indiuiſibile aliquid, ſignum eſſe rei diuiſibilis, & tanquam diuiſibile ſentiri, ſenſus enim eſt rei ſenſibilis externæ: quod ſi ſui ipſius ſit, ea ratione ſemper accipitur, quatenus ſenſibilis cuiuſdam determinati, & quanti: nam aliàs quod indiuiſibile eſt, inſenſibile quoque eſt. Cum enim æquiuocè dicantur res in anima, & extra animam, vt homo pictus, & homo verus: etiam quantum in anima alio modo dicetur, quam verum quantum. Dicetur igitur ſenſus ipſe quantus, quia eſt ipſius quanti veri, ipſe autem ſecundum ſe non quantus. Sed hęc fortè fuſius quam oportet, hoc loco dicta ſunt. Patet igitur ex dictis multitudinem eorum, quæ ſentiuntur, & quantitatem ſenſibilium, non impedire quin vnicus ſit omnium ſenſus, & vnicum eius inſtrumentum proximum: immo ex ijs, quæ circa ſenſus apparent, neceſ- E
ſe eſt vnum eſſe, quia differentiam omnium ſenſibilium iudicat. Quod ſi vnitas hæc in inſtrumentis externis fieri nequit, oportet aliquod eſſe internum omnibus commune, in eo igitur anima ſentiens fuerit cum cæteris potentijs.

Medium illuminatum non facere ad colorum viſionem, ſed potius impedire. Quæſt. VIII.

SCRIPSIT profectò Ariſtoteles. 2. de Anim. tex. 67. colorem idcirco non videri ſine lumine, quia natura coloris eſt, mouere poſſe id, quod actu perſpicuum eſt: actu autem perſpicuum, eſt ipſum medium illuminatum: Ideo in tenebris non videri proprios corporum colores: aliqua tamen in tenebris ſolum videri, vt quæ noctu lucentia ſunt ignis modo, quæmadmodum quæ- F
dam capita piſcium, & quorundam animalium oculi noctu tantum radiantes: Alia autem & in lumine & in tenebris videri, vt ignis, & quæcunque valde luminoſa ſunt, quoniam perſpicuum ab ipſis actu fit. Quæ ſententia, ſi ſimpliciter intelligatur, vt videtur efferri, manifeſtè falſa deprehenditur. Nam primum experimento patet medij illuminationem ob præſentiam luminoſi corporis factam nihil præſtare ad colorũ viſionem: nihilo enim minus videmus colores quoſcunque actu exiſtentes, ſiue per medias tenebras, ſiue per illuminatũ medium: quod noctu experiri vnuſquiſque poteſt. Nam ex loco tenebroſo non ſolũ ignem procul exiſtentem videmus, ſed etiam corpora igne illuſtrata, cum tamen aer intermedius non ſit illuſtratus: accidet autem hoc, ſi ignis quidem non veniat in conſpectum, ſed ſolum corpus igni obiectum: quæcunque enim in aere intermedio fuerint,

A rint, non conſpiciuntur, quanquam videnti ſint propinquiora: color autem parietis igne illuſtrari videtur nõ minus quam ſi apud nos alius ignis fuerit mediũ illuminans. Idem & interdiu notare licet: Si enim ex obſcuriori loco veluti antro quodam inſpiciamus corpora à Sole illuſtrata, non minus per medium illud vmbroſum cernemus, quàm ſi ex lumine intueremur. At verò ex medij illuminatione impediri viſionem manifeſtum eſt: quæcunque enim ſunt in obſcuriori loco nequaquam cernere poſſumus ex lumine: ideo interdiu nigra apparent, quæ intra ædium parietes ſunt, ſi ex loco illuſtrato inſpiciamus. Omnino autem melius ex obſcuriori loco cernimus, quàm ex luminoſo, dummodo corpus viſibile illuſtratum fuerit. Propter hanc cauſam natura oculum ſic efformauit, vt illud perſpicuum corpus, in quo colores externi recipiuntur, quam maximè obſcuro loco clauderetur, paruo relicto in eius tunica foramine, vt ſufficeret ad ſpecies in-
B tromittendas, minimè autem à ſplendore offenderetur: & qui acutius intueri volunt, modicè oculum claudunt, adeo vt liceat aliquando interdiu ſtellas videre, ſi per longam fiſtulam oculo admotam inſpiciamus. Præterea ratione manifeſtum fiet, lumen in medio impedire colorum ſuſceptionem: Si enim eſt coloris ſuſceptiuum, quod ſine colore eſt, & ſoni, quod ſine ſono: & in cæteris ſimiliter: ſine colore autem eſt ipſum perſpicuum, quando in potentia eſt, non actu, ideſt dum inuiſibile, & tenebroſum fuerit (lumen enim eſt, veluti color perſpicui. 2. de Anim. tex. 69.) cum igitur illuminatum fuerit, non erit ſuſceptiuum coloris: Ratio eſt Ariſtotelis. 2. de Anima. text. 71. Quod vt manifeſtius fiat, ſic conſideretur. Præſente maiori lumine in perſpicuo obſcurius reddi ſolet id, quod minus eſt, aut omnino deleri: vt patet in luna: non enim vmbras corporum ſibi oppoſitorum gignit præſente Sole, noctu autem eodem abſente gignit: magis ergo
C actum ſuum noctu communicat quam interdiu: aliquem tamen actũ communicare interdiu dicendum eſt, quoniam tunc videmus eius corpus: Aſtra autem non ſolum non illuminant aerem diuturnum, ſed neque viſui ſe offerunt niſi noctu, minus enim eſt eorum lumen quam lunæ: idcirco vmbras nullas pariunt, exceptis quibuſdam ſplendidiſsimis. Venus enim abſente lumine lunæ vmbras facit licet obſcuras. Idem intueri licet in corporibus à Sole illuſtratis: hæc enim obiecta loco vmbroſo, ſpeciem ſuam communicant, idque nõ ſolum adiacentia corpora illuſtrando, ſed & aliquando proprio colore aerem circunſtantem inficiendo, vt puniceo, aut flauo, aut viridi, aut alijs huiuſmodi. Loca autem hæc illuſtrata alia ſimiliter illuſtrare poſſunt, & hæc alia, donec tandem vltima ob luminis paucitatem alia nõ illuſtrent, ſed ſufficiant ſolũ ad ſui viſionem faciendam: nequaquam autem vt videantur adiacentia corpora. Communicatio igitur lumi-

nis, & coloris ab eo fit, quod actu eſt in id quod potentia, non è con- D
uerſo: hoc autem modo ſe habent maius lumen ad minus. Ob hanc autem rationem color illuſtratus non colorat aerem æquè illuminatum, tanto minus illuſtriorem, ſed eum ſolum, qui ſit obſcurior. Quod ſi inſtrumentum viſus ſuſceptiuum ſit omnium colorum, perſpicuum eſſe oportet non actu illuminatum, ſed aptum à ſingulis illuminari. Non igitur mirum, ſi in lumine maiori non videmus ea, quæ in obſcuriori ſunt poſita: ex obſcuro autem optimè videamus ea quę ſunt in lumine. Propterea ſolemus manum lucernæ, aut Soli obijcere, cum intueri melius volumus, vt tradit Ariſtoteles. 31. Proble. 29. Manu enim arcemus ab oculis lumen maius, quod impediebat reliquorum ſuſceptionem. Et poſtquam aliquid maximè fulgens inſpexerimus, vt Solem, non poſſumus alia videre, donec ſplendor in oculis genitus non receſſerit. Propter quid igitur lumen in medio receptionem colorum impediat, explicatum eſt: Actus enim inexiſtens E
cæteros obſcurat, & arcet. Sed huic ſententiæ non ſolum videntur obſtare verba Ariſtotelis. 2. de Ani. tex. 67. ſcilicet colorem motiuum eſſe perſpicui in actu exiſtentis: actu enim peſpicui, quatenus perſpicuum lumen eſt. 2. de Ani. tex. 69. quaſi medium illuminatũ eſſe oporteat, vt à coloribus patiatur: Sed etiam ratio huiuſmodi oppoſitum oſtendit. Si enim perſpicuum in actu non eſt ſine lumine, neque colorem perſpicere licebit ſine lumine: corpus enim quodcunque non perſpicuum in medio exiſtens viſum impedit. Amplius ſi lumen fruſtra eſt in medio, cur non videmus in tenebris? Si enim colores mouere poſſent peſpicuum in potẽtia, communicatio eorum fieri deberet in medio, & tandem in oculo abſente lumine, quod tamen minimè contingit. Præterea medium illuminatum pati ab omnibus coloribus patet, quamuis maius ſit lumen in medio, quam in eo quod videtur. Exiſtente enim lumine Solis in medio, videmus tamen cor- F
pora poſita in vmbra. Si igitur color prius agit in medium, quàm in oculum. 7. de Ani. text. 73. neceſſe eſt medium quamuis maximè illuſtratum recipere tamen ea quæ obſcuriora ſunt, & oculis trãſmittere. Quod ſi oculi in obſcuriori loco manentes facilius inſpiciant, poteſt ob aliam cauſam accidere, vt propter virtutis congregationem, non propter priuationem luminis: ſi enim luminis præſentia per ſe colorum receptionem impediret, debuiſſet & in medio impedire. Hæc ſunt præcipua, quibus aliquis perſuaderi poſsit medij illuminationem ad colorum ſuſceptionem facere. Sed ſuppoſita definitione coloris, facilè hæc ſoluentur. Scribit igitur Ariſtoteles in libro de Senſu, capit. 3. colorem eſſe extremum perſpicui: quod perinde eſt, ac ſi diceremus eſſe extremum luminis: idem enim actus perſpicui, quatenus eſt interminatum, lumen eſt, in termino autem color: Idcirco lumen

quidem

A quidem color eſt interminati corporis, color autem lumen terminati. Patet autem id ſenſu: corpus enim quam maximè perſpicuum, vt glacies, ſi contingat videri ſecundum ſuperficiem propriam, non ſecundum ſuperficiem continentis corporis (accidet autem hoc, vbi confractus fuerit in partes paruas) non amplius colore adiacentium corporum ſpectabitur, ſed proprio, qui albus eſt: quod igitur in interminato eſt lumen, in termino eſt albedo: dicitur autem interminatum, cum viſus nō in eius ſuperficie terminatur, ſed vlterius ad ſuperficiem circunſtantis corporis protenditur: quod in confracto fieri nequit, non ſolum propter diuiſionem, qui terminus quidam eſt, ſed & propter paruitatem: eadem enim pars prope quidem inſpicienti viſum tranſmittet, vt reliqua perſpicua, procul autem non tranſmittet, ſed viſus in eius ſuperficie deſinet, vnde proprio colore videbitur colorata. Hoc idem accidit in niue, paruæ enim guttulæ concretæ, & maximè perſpicuæ albedinem multam repreſentant: Sic vitrum, & chryſtallus integra quidem viſum tranſmittunt, ſi qua autem aut lima, aut
B ſcalpello ſignentur attritione facta, viſum terminant, & alba ſe oſtendunt. Quanto autem corpora magis perſpicua fuerint, eo magis alba ſunt, vt ſpuma & nix: aqua enim & aer maximè receptiua ſunt luminis: Contra verò quæcunque lumen ſuſcipere nequeunt, nigra ſpectantur: quemadmodum enim in interminato ſunt tenebræ, ſic in termino eſt nigrum. Signum autem huius eſt, quod nulla corpora nigra perſpicua reperiuntur, cum cæteri omnes colores peruij eſſe poſſint, vt in gemmis perſpicuis eſt manifeſtum: nam & candidæ & rubentes, & virides, & ceruleæ, & alio modo coloratæ viſuntur, excepto nigro. Subiectum enim nigredinis non eſt ſuſceptiuum luminis: idcirco nigredo ſimiliter priuatio eſt, vt tenebræ: medij autem colores vt magis, vel minus de lumine participant, ſic accedunt, aut recedunt
C magis, & minus ab albo. Eorum enim ſubiectū magis, vel minus eſt perſpicuum. Dixit autem hoc manifeſtè Ariſtoteles in libro de Senſu cap. 3. vbi inquit. Perſpicuum ergo, ſecūdum quod ineſt corporibus, ineſt autem plus, aut minus, in omnibus cauſa eſt mutationis colorū. Quæ cum hoc modo habeāt, illud alterum eſt ſubiungendū: Si enim actu perſpicuum non eſt niſi præſente lumine vt Solis aut ignis, colores etiam actu nō erunt ſine lumine: excepto nigro, eſt enim luminis priuatio. Differunt autem corpora nigra, quæ in lumine videntur, à cæteris, quæ in tenebris ſunt poſita: hæc enim ideo nigra videntur, quia actu lumen nō recipiunt, cum tamen recipiendi habeant potentiam: idcirco in tenebris omnia nigra apparent. Quæ autem in lumine nigra ſunt, impotentiam habent recipiendi lumen: non enim perſpicuum eſt eorum ſubiectū. Quomodo autem priuatio mouere poſſit medium, & viſum, alia ratio eſt: habitu enim priuationem cognoſcimus.

ſcimus. Colligimus igitur ex dictis eandem eſſe naturam luminis, & albedinis, actum ſcilicet & perfectionem perſpicui illud quidem quatenus interminatū eſt, hoc autem quatenus luminis eſt terminus quidam: Similiter autem ſe habere tenebras, & nigrum, ambo enim priuationes ſunt, tenebræ quidem interminati corporis, nigrum autē terminati: Cæteros autem colores medios eſſe inter album & nigrum, vt perſpicuum medium eſt inter luminoſum, & tenebroſum. Hanc autem ſimilitudinem rationis explicauit Ariſtoteles ijs verbis: Eſt ergo ineſſe in perſpicuo hoc, quod quidē & in aere facit lumen, eſt autem non, ſed priuatum eſſe: Quemadmodum igitur ibi hoc quidem lumen, hoc verò tenebræ, ita & in corporibus innaſcitur album, & nigrum. Quibus ſuppoſitis obiecta ſoluere non fuerit difficile. Quod igitur ſcribitur colorem motiuum eſſe perſpicui in actu hoc modo intelligendum eſt. Cùm enim viſibile duplex ſit, ſcilicet color, & id quod vno nomine non licet appellari, vt ignis, Sol, ſtellæ, fungi quidam, & oculi noctu per ſe radiantes, & alia multa huiuſmodi lucida corpora: Color quidem ab altero genere differt, quod viſibilis nō eſt ſine lumine: reliqua autem per ſe viſibilia ſunt, quia in ſeipſis cauſam habent vt ſint viſibilia, idcirco etiam in tenebris poſita videri poſſunt. Hoc autem ſignificauit Ariſtoteles ſecundo de Anima. tex. 66. vbi colorem dicebat eſſe viſibilem, quia eſt in eo, quod ſecundum ſe viſibile eſt, id eſt in lumine: eſſe autem hoc ſecundum ſe viſibile, non ratione, ideſt definitione: quaſi dicat: non ineſt lumini ratio viſibilis, ſed è conuerſo viſibili ineſt ratio luminis: viſibile enim vnumquodque eſt propter lumen. Cum autem colori inſit ratio luminis per præſentiam luminoſi corporis, eſt enim extremum perſpicui illuminati: corpori autem luminoſo non per aliud, ſed per ſe ipſum, eſt enim ipſummet autor luminis, neceſſe eſt hoc non ſolum per ſe ipſum eſſe, ſed & per ſe ipſum viſibilem: Colorem autem tum eſſe colorem actu, tum etiam videri per eius præſentiam. Idcirco optimè comparauit Ariſtoteles intellectum agentem lumini: vt enim ex diuerſa luminis participatione in perſpicuo diuerſi oriuntur colores, qui etiam ratione eiuſdem luminis viſibiles ſunt, ſic ex diuerſa diuini intellectus participatione cæteris omnibus datum eſt eſſe his quidem clarius, his verò obſcurius: quæ non per ſe ipſa intelligibilia ſunt, ſed ſolum intellectione optimi intelliguntur, cuius ſolius eſt per ſe intellectio, cæterorum autem non per ſe, ſed per illud. Similiter & viſio eius eſt, quod maximè viſibile eſt: per ipſum autem cætera videntur, quæ eius participatione oriuntur. Propter hoc igitur dictum eſt colorem motiuum eſſe perſpicui in actu, quia color in actu non eſt niſi in lumine, poſitus enim in tenebris non eſt actu color, ſed potentia ſolū, ideo inuiſibilis, cum de lumine minimè participet.

A Non ſequitur autem ex hoc, vt totum perſpicuum, quod inter corpus coloratum, & oculum intercedit, illuminatũ eſſe oporteat, ſatis enim eſt lumen eſſe in ea parte, quæ corpus contingit: Idcirco cum exactè volumus intueri, corpus admouemus aut ad ſolem, aut prope ignis lumen, oculos autem quam maximè ab illis arcemus. Hoc minimè contingit in altero genere viſibilium, cum enim per ſe, non per alterius participationem exiſtant, non egent altero lumine, quo videantur: ſed potius in altero lumine obſcuriora redduntur, adeo vt quædam omnino viſum effugiant, vt aſtra, & quorundam oculorum ſplendor præſente lumine diei: quædam videantur quidem, ſed remiſsius, vt ignis. Hæc igitur non ex neceſsitate motiua ſunt perſpicui in actu: perſpicuum enim actu eſt per eorum præſentiam. Cùm autem actus perſpicui inſequatur quidem ſolis, aut ignis præſentiam, antecedat autem colores: Si hi viſum alterant, neceſſe eſt prius agere in medium,
B quod eſt actu perſpicuum. Corpora autem per ſe viſibilia nõ eſt neceſſe mouere actu perſpicuum, quia hoc inſequitur, non antecedit. Non eſt autem accipiendum hoc eſſe in ratione coloris, ſcilicet motiuum eſſe perſpicui in actu, inſequitur enim naturam coloris. Quid autem ſit color, & quo exiſtente motiuus ſit, explicatum eſt in libro de Senſu, & nos ſuperius declarauimus. Ad primam autem rationem dicimus colorem in lumine poſitum eſſe tanquam aliquod per ſe viſibile, veluti ignem, aut ſolem: idcirco efficere actu perſpicuum ipſum medium per quod videtur. Signum autem euidentiſsimum eſt, quod corpus à Sole illuſtratum alia illuſtrat, vt alia quoque reddat viſibilia, & hæc alia, donec vltima illuſtrentur tantum, & non illuſtrent: oculus igitur in tenebris poſitus, & aer intermedius eatenus afficitur à corpore aliquo illuſtrato, non vt è tenebricoſis luminoſa fiant, ſed vt ſpeciem tantum illuſtrati corporis recipiant: idcirco interiectum corpus
C opacum, communicationem hanc impedit: ſolum enim perſpicuum à coloribus, & à lumine afficitur. Ad alteram dubitationem patet ſolutio ex dictis: Si enim color eſſet actu color in tenebris, videretur ſimiliter in tenebris, vt ignis: Quoniam autem in eius diffinitione includitur lumen, eſt enim luminis extremum, impoſsibile eſt actu colorem eſſe in tenebris poſitum. Quidam inter Peripateticorum principes putantes eſſe actu colores etiam in tenebris, non videri autem, quia medium non ſit diſpoſitum ad patiendum, diſponi autem à lumine: coacti ſunt aliam colorum generationẽ comminiſci, quàm quæ ab Ariſtotele tradita eſt. Cùm enim lumẽ externum ſecundum eorum ſententiam non conſtituat colores, aliud in ipſis corporibus innatum fingunt ex ignis cuiuſdam mixtione. Videntes enim ignem inter cætera elementa lucidum: terram autem opacam: media verò elementa aerem, & aquam perſpicua: putauerunt ad colorum gene-

rationem requiri quatuor elementa: media quidem pro materia per- D
ſpicui, ignem autem pro lumine in perſpicuo: terram pro eo, quod lu
mini opponitur ad remittēdam ignis luciditatem. Sed hæc quantum
recedant à veritate, & ab Ariſtotelis doctrina, quis non videt? Nam
primum coguntur fateri colores eſſe proprias affectiones mixtorum:
cùm tamē reclamet Ariſtoteles. 2. de Gen. & cor. tex. 7. vbi ſubiectum
viſus prius eſſe vult, quàm ſubiectū tactus: & alibi ſcribit omnia cor-
pora viſibilia eſſe, cum tamen non omnia ſint tangibilia: Amplius
teſtatur autor de Coloribus, qui inter Ariſtotelis libros recenſetur,
omnia elementa alba eſſe: Quod ſi terra ſecundum ſe opaca eſſet, &
nigredinis cauſa, nulla eſſent corpora, in quibus terra dominatur, al-
ba & perſpicua: Sunt tamen multa inter lapides, vt marmora, gemmę,
terrarum & ſalium genera, quorum alia exactum habent candorem,
alia perſpicua ſunt maximè. Decepti ſunt autem circa hanc de terra
opinionem, quoniam ob ſui diuiſionem viſum terminat, nec apparet E
eius perſpicuitas, vt in aqua & aere: non enim contigit illis videre ter
ræ corpus continuum, ſed ſpumæ modo in tenuiſsima corpuſcula di-
uiſum: interminatio enim luminis perſpicuitatis eſt cauſa, terminus
autem coloris. Quod ſi albedinem perfectam non habeat omnis ter-
ra, in cauſa eſt humoris admixti alteratio, & aduſtio, vt ex eodem li-
bello patet. Sed quod de igne tradunt, nimis egreditur rationis ter-
minos: non enim lucet ignis elementum, ſed ſimiliter perſpicuum eſt
corpus vt aer. Nam aliàs impediret cœli aſpectum: Qui autem lucet,
cum ſit feruor quidam, quomodo in mixtionē veniat? ex igne enim
nihil fit, vt neque ex glacie. 2. de Gen. & cor. tex. 21. Aut quomodo in
rebus frigidiſsimis, vt niue ſumma albedo eſſet? Præterea ſi in colori-
bus contineretur huiuſmodi luminis natura ob ignis, aut alterius lu-
minoſi corporis mixtionem, præſente maiori lumine obſcurior red-
deretur, vt de ipſo igne apparet: Carbones enim ardentes in vmbra F
quidem proprio fulgore viſuntur, qui color puniceo eſt ſimilis: in ſo-
le autem nigri videntur vt extincti? occultato enim ignis lumine ob
ſolis præſentiam, color eorum proprius venit in conſpectum, qui ni-
ger eſt: Idem & in cæteris in ſe lucem habentibus experiri licet. Si
igitur fuerit in omnibus corporibus huiuſmodi lux autor coloris, in
tenebris videretur, eſt enim lux per ſe viſibilis, nec altera eget exter-
na: maiori autem lumine eadem hebeteſceret, non fulgeret magis.
Venerunt autem in hanc opinionem abſurdam, quia putauerunt à lu
mine externo minimè colores fieri, ſed reddi ſolum viſibiles, ducti
verbis Ariſtotelis. 2. de Anim. tex. 67. vbi de colore loquens, inquit:
Vnde non eſt viſibile ſine lumine, ſed omnis cuiuſque color in lumi-
ne viſibile: quaſi color ſit, etiam cum inuiſibile fuerit. At ſi hoc mo-
do intelligendus eſſet locus Ariſtotelis, repugnaret ei, quod paulo in-

A ſerius tex.71.inquit: Coloris ſuſceptiuum eſſe, quod ſine colore eſt: ſine colore autem eſſe diaphanum, & inuiſibile, & quod vix videtur, quale eſt tenebroſum. Dicendum eſt igitur, colorem in tenebris poſitum non actu colorem eſſe, ſed potentia tantũ vt ipſum perſpicuũ: actu autem fieri per luminis præſentiam: quodam enim modo lumen facit potentia exiſtentes colores actu colores. 3. de Anim. tex. 18. Ideo colorem eſſe in lumine viſibilem. Circa tertiam rationem, quæ proba bat lumen maius in medio exiſtens non impedire colorum ſuſceptionem, quia poſitos in vmbram perſpicimus, quamuis medium fuerit maximè illuſtratum: vnde colligebatur aduerſus noſtram ſententiam lumen maius pati à minori, quia medium pati oportet à coloribus, ſi affectio peruenit ad oculos: pro maiori intelligentia non ab re fuerit aliquantum immorari. Affectio igitur, quæ in medio fit à coloribus, aut ab altero genere viſibiliũ, minimè viſibilis eſt: videtur enim vnũ-
B quodque ſecundum ſuperficiem, ſed ſecundum medium nequaquam propter eius interminationem. Idcirco aeris quã quam terminus proprius non veniat in conſpectum, videtur tamen ſecundum apparentem ſuperficiem, qui color eſt cæruleus: Similiter & maris profunditas, qua definit viſus eandem præſefert coloris ſpeciẽ: interminatum autem quatenus interminatum, omnino viſum fugit: Ideo perſpicuum ipſum, ſiue illuminatum, ſiue non minimè videtur, niſi ſecundum accidens, quatenus eius termini in cõſpectum veniunt. Ex quibus etiam illud patet colores minimè eſſe in medio niſi potentia: cùm enim vbique diuiſio fieri poſsit, in diuiſione autem & ſuperficie color adſit, antequam diuidatur, color non erit, aptus tamen eſſe. Tranſmiſsio igitur colorum ad oculos per medium, non gignit aliquos colores in medio, neque aliam huiuſmodi affectionem: Nam ſi aliqua fieret in medio à coloribus affectio, in eadem parte eſſent ſimul affe-
C ctiones contrariæ: contingit enim idem mediũ ſimul plures colores, atque contrarios tranſmittere. Præterea ſi colores in medio reciperentur, non poſſent ſynceri ad oculos ferri, ſed mixti, vt accidit ſono: cùm enim duo ſimul fiunt, auditus mixtionem vtriuſque percipit, quæ harmonia dicitur. Similiter & odori, non enim contingit ſimul per idem mediũ duos odores percipere, ſed mixtionem vtriuſque ſi ſimul agãt: contraria namque non poſſunt integra eſſe in eodem ſubiecto ſimul, ſed aut ad mixtionem venire, neceſſe eſt, ſi apta nata ſint hoc pati, aut altero agente alterum omnino deſtrui. Sed hoc in coloribus minimè apparet, ſynceri enim per idem medium feruntur ad oculos: non ergo in medio dicendi ſunt eſſe. In eo igitur differt viſus à cæteris ſenſibus: hic enim non ex medio colores aſſumit, ſed per medium: reliqui autem ex medio: oportet enim in illis affici mediũ, in viſu autem nequaquam: & hoc eſt in cauſa, quod in illis affectio prius eſt in me-

dio, quàm in inſtrumento: prius enim afficitur, quod propinquius D eſt ſenſibili quam quod magis diſtat: viſibile autem non prius eſt in medio, quàm in extremo, ſed ſimul: dico autem in medio eſſe colorem, aut viſibile eo modo, quo contingit in eo eſſe, ſcilicet poteſtate, non actu. Hinc autem patet lumen in medio exiſtens non impedire colorum ſuſceptionem, non enim viſibile eſt medij lumen, ſed eius extremum ſolum: extremum autem luminis maioris nequaquam pati poteſt à minori: Colores enim in vmbra poſiti nõ colorant ea, quæ in ſole ſunt, ſed è conuerſo. Clarioris autẽ intelligentiæ gratia ponamus in tẽplo non multũ luminoſo, ſolis lumen per anguſtam feneſtrã introlabi: pars aeris à ſole illuſtrata non diſcernitur à reliquo, niſi per corpuſcula in illo volitantia, quæ cum in lumine ſint poſita, mouent viſum. Vbicunque autem aer à puluere, aut fumo, aut alijs corpuſculis purgatiſsimus fuerit, omnino aeris pars illuminata viſum effugiet: corpora autem poſita in vmbra per medium hunc aerem non minus E videbuntur quam per reliquum, ſiquidem oculus in vmbra ſimiliter fuerit. Quod ſi in aere illuſtrato ponatur, minus videbit, quia à maiori lumine impeditur minoris ſuſceptio. Quod autem id cõtingat propter maioris luminis præſentiam, non autem propter virtutis diſgregationem, vt multi putant, illud argumento eſt: Nam idem contingit rebus inanimatis, vt videre licet in ſpeculo, & chryſtallis quibuſdam anguloſis: Lumen enim receptũ reflectunt, & colores aliquando iridi ſimiles in obiectum parietem vmbroſum: in locum autem illuſtratum nequaquã: Nam præſente maiori lumine vbique obſcuratur id, quod minus eſt. Meritò igitur inſtrumentum viſus priuatũ eſſe oportet omni lumine, vt ſuſcipere omnes colores poſsit: actu enim in eo fit colorum ſuſceptio, non quemadmodum in medio, & in interminato potentia ſolum. Sed dubitabit quis: Si lumen præſens in oculo impedit cęterorum receptionem: propter quid ignis quidam apparet F in oculis? noctu enim nullo alio lumine præſente, & oculis clauſis celeriter moto oculo, ſplendorem videmus: Et Felium ac Noctuarum oculi ſplendorem extra vibrant. An ſplendor in tunica eſt interna, qui mouet quidem oculi perſpicuum intus foras in Fele, & Noctua: Foris autem intro in hominibus, cum ex ſua ſede celeriter dimouetur oculus, vt pars ſplendida fiat exterior. Cùm igitur in interna oculi parte anima ſentiens, non in externa ſedeat: De Senſu, cap. 2. ſentimus ſolum eũ motum, qui à rebus externis intro fit: idcirco noſtrum lumen minimè videmus, niſi cum dimouetur oculus: idem putandũ & felibus accidere, ſplendorem enim proprium non vident, qui tamen extrinſecus inſpicientibus eſt manifeſtus. Impediret igitur cæterorum viſum, ſi exterius intro moueret, vt externa viſibilia: per eandem enim lineam plures colores videre impoſsibile eſt. Nunc autem

accidit,

A accidit, quemadmodum in ſpeculo: in eodem enim, ſed per diuerſas lineas diuerſos colores inſpicimus. Non eſt autem putandum in ſpeculo eſſe actu colores, qui in eo refranguntur: Cùm enim in eodem & ſecundum eandem partem ſimul plures, atque contrarij colores refrangantur (nam quo tempore quis in ſpeculo album quid intuetur, poteſt alter ſecundum eandem ſpeculi partem nigrum quippiam perſpicere) ſi in eo colores eſſent, qui videntur, contraria ſimul eſſent. Eodem igitur modo colores ſunt in ſpeculo, vt in perſpicuo interminato. Quamuis enim ſpeculum terminus quidam ſit, non tamen eo vtimur vt termino: nam res in quā terminatur viſus, extra ſpeculum eſt. Quemadmodum igitur per lineam rectam perſpicientes, non dicimus in medio colorem eſſe, ſed in extremo: ſic per lineam reflexam videtur quidem color eſſe in loco reflexionis, non tamen adeſt. Et quemadmodum per eandem lineam rectam impoſsibile eſt plures co-
B lores perſpicere: in eiſdem enim extremis contrarij eſſent colores: ſic per eandem reflexam non poſſumus niſi vnum videre: A diuerſis enim viſibilibus, vt diuerſæ protenduntur ad eundem oculum lineæ rectæ, ſic diuerſæ reflexæ in diuerſa deſinunt, quamuis in eodem puncto refrangantur: Nam & in viſione recta contingit lineam, qua quiſpiam album videt, alteram interſecare, qua alter nigrum: in interſectione igitur viderentur eſſe contrarij colores, non ſunt tamen propter perſpicui interminationem: Sic in ſpeculo interminatio quædam eſt linearum, quæ in eo refranguntur. Colores autem proprij corporum non hoc modo termini ſunt luminis: nam vndecunque flectentur, eandem ſpeciem præſeferunt: quoniam lumen receptum tanquam proprium, non tanquam alienum regerunt. Eſt autem proprium, quia inſequitur naturam perſpicui, ex cuius diuerſitate variè afficitur præſente lumine. Refractio autem inſe-
C quitur læuitatem ſuperficiei, idcirco non oſtendit proprium ſpeculi colorem, ſed alienum. Qui putant viſionem fieri per emiſsionem radiorum ad rem viſam, nullas huiuſmodi difficultates patiuntur: nec enim in ſpeculo, nec in medio, nec tandem in oculo recipi colores vllo modo fatentur: Quorum ſententiæ illud quoque videtur fauere, quod de refractione ſcribit Ariſtoteles. 3. Meteororum. capit. quarto. ſcilicet variari propter viſus imbecillitatem: contigiſſe enim cuidam ſpeciem ſui ipſius ſemper cum ipſo ambulantem in aere videre; quia propinquus aer ſibi pro ſpeculo eſſet, quod cæteris acutè videntibus non contingit. Idem notare licet in aquam modicè obſcuram intuentibus: quibuſdam enim ea ipſa ſpeculum fiet, alijs autem nequaquam: quaſi reflexio, non ipſarum ſpecierum fiat, ſed viſus. Nam ſi ſpecies reflecterentur in ſpeculo, non debuiſſent pro natura videntis reflecti, ſed omnibus ſimiliter.

At hæc

At hæc ſententia cum multas alias longè grauiores difficultates patiatur, quas hoc loco ponere minimè oppoitunum videtur: non recipitur à Philoſopho: Dicimus igitur eam eſſe naturam luminoſi corporis, ipſum perſpicuum actu facere, & ſpeciem ſimilem in eo multiplicare, in interminato quidem in potentia, in termino autem actu. Patet autem hoc in ijs quæ lumen ſolis receptum reflectunt aut in parietem aut in aliud corpus: Tanta enim eſt aliquando vis lumini reflexi, vt comburat corpora, quod ſpeculi concauitas ſolet efficere: Et ex multiplici repercuſſu luminis ob ſuperficierum poſitionem iactantur aliquando colores ijdem qui in iride ſpectantur, quod chryſtalli quidam anguloſi faciunt. Cum igitur hæc repercuſſui viſus tribui nequeant, neceſſe eſt ob repercuſſum luminis fieri. Quod autem non omnibus appareat omnis repercuſsio, in cauſa eſt inſtrumentum viſus melius aut deterius affectum: quod enim percipit ea quæ diſtantiora ſunt, non percipiet refractionem quæ fit à propinquo aere aut aqua, nam eo vt medio vtetur non vt extremo: Si autem propter viſus imbecillitatem aere propinquo vtatur tanquam extremo, refractionem in eo percipiet. Videbatur autem huiuſmodi refractio viſus eſſe non rei, propter interminationem ſpecierum in medio: terminatur enim hic ſpeculum pro natura videntis. Sed hæc forte prolixius quā oporteret perſecuti fuimus. Quomodo igitur medium illuminatum faciat ad colorum viſionem & quo pacto impedimento ſit aliquando, aliquando autem non, explicatum eſt. D E

Imaginationem à rebus externis moueri poſſe non moto ſenſu. Quæſt. IX.

MINIME profectò negatur imaginationem motum eſſe à ſenſu in actu factum, vt definiuit Ariſtoteles, 2. de Ani. tex. 161. Ea enim quorum non eſt ſenſus, aut quorum ſenſu à natiuitate deſtitutus quis fuerit, concipi imaginatione vllo pacto nequeunt. Nam ſi cæcus imaginari colores poſſet, aut ſurdus ſonos, iudicare quoque aliquid de ipſis atque contemplari valeret: quod impoſsibile eſſe oſtenditur, 3. de Anima. tex. 39. Aſſerimus tamen circa ea quorum ſenſum habemus, multa imaginari poſſe, quæ nūquam ſenſimus. Non ſolum enim ex nobis metipſis cum volumus ſimulachra veluti ante oculos ponimus etiam eorum quæ non exiſtunt, vt Centauri, aut Chimeræ, quemadmodum pictores ac Poetæ faciunt, ſed etiam ſponte fiunt in anima motus quidam ſimulachrorum, quorum ſenſum non habuimus, vt in ſomnis & quandoque in vigilia. Nam alioqui ſi omnem imaginationem præceſsiſſe oporteret ſenſum in actu, vt eiuſdem cuius habemus imaginem, ſenſum prius habuiſſemus, omnis imagi- F

natio

A natio memoria eſſet. Eſt enim memoria in parte animæ quæ imaginatiua dicitur, motus quidam eorum quæ ſenſimus prius: De Mem. cap. 1. At imaginatio non ſolum eſt ipſius præteriti, ſed & præſentis & futuri, & non ſolum eorum quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt, ſed & oppoſitarum negationum. Non enim eſt neceſſe omnem imaginem eſſe alicuius imaginem. Differt igitur imaginatio à memoria, quoniam hæc præteritorum tantum eſt nota: & à ſenſu, nam hic præſentium eſt ſolum, & à ſpe, hæc enim futurorum eſt imago. Præterea ab his omnibus compatimur & mouemur: ab imaginatione autem nequaquam, ſi tanquam imaginem nõ tanquam rem cuius imago eſt, comprehendamus. 2. de Anim. tex. 154. Imaginationes enim ſunt veluti picturæ, ſenſus autem, & memoriæ, & ſpes, tanquam ea quæ picturis repræſentantur. Non enim hoſtis imago, ſed hoſtis ipſe timorem incutit, neque rerum iucundarum formas, ſed ipſas res cõcupiſcimus.

B Cum igitur ea quæ ab imaginatiua facultate comprehenduntur, non omnia in ſenſu prius fuerint, ſed quædam futurorum ſint imagines: quædam imagines tantum, ſed nullarum rerum neque præſentium, neque futurarum, neque præteritarum imagines, videndum eſt vnde hæ ortum ducant, & cuius gratia animalibus inſint. Videntur autem imaginationes omnes quanquam non ex ſenſu oriantur, ſine ſenſu tamen minimè fieri: Non enim poteſt qui colores, nunquam uiderit, colores imaginari: eſt enim imaginatio aſsimilatio quædam eorum quæ ſenſimus: Nam quid prohibet, ſi album quid viderimus, ſimile quid alterum imaginari ſiue ſit ſiue non ſit? Et ſi aues volantes cernimus, cur non & equos alas ſimiliter habere & volare imaginemur? Quod ergo dicitur imaginationem motum eſſe à ſenſu in actu factũ, eo modo intelligendum eſt, vt facto ſenſu contingat fieri motum in imaginatione, vt ſcilicet vel illud idem imaginemur quod ſenſimus,

C vel aliquid aliud illi ſimile. Velox enim eſt animi motus, adeo vt aliquando nobis non animaduertẽtibus poſt alicuius rei ſenſum aut memoriam, multæ ſuboriantur imaginationes, quæ ſi lateant aut propter ſomnum, aut propter motus velocitatem ab eo quod ſenſimus digreſſa eſſe, vt melancholicis & delirantibus contingit, vera eſſe putantur, quæ in imaginatione ſunt. Quibus hoc modo conſtitutis illud aſſerimus: imaginationem à rebus externis ſine medio ſenſu moueri poſſe: quod vt commodius demonſtretur, hinc exordiamur. Cum innumeræ penè lateant in anima eorũ quæ ſenſimus aut intelleximus imagines, ſimul autẽ omnes mouere impoſsibile ſit, meritò quæri poteſt, vnde in anima ſit principium motus, vt modo hęc modo illa moueat: non enim ſemper in nobis eſt meminiſſe, ſed ſæpè nobis minimè quærentibus & aliud agentibus occurrunt vel remotiſsimarum rerum memoriæ, atque imaginationes, quas referre ad ea circa quæ tunc verſamur,

mur, non ſemper licet: non enim abſurdum eſt aliquando ob modicam ſimilitudinem eorum quæ præ manibus habemus, ſuggeri nobis etiam non animaduertentibus nec volentibus rerum diſtantiſsimarum imagines. At cum præter expectationem amicus quiſpiam facta eius mentione ſuperuenit, vt in prouerbio dicitur, Lupus in fabula: aut vbi per ſomnum quædam apparuerint, quæ euenerint, à noſtris tamen ſenſibus & cogitatione remotiſsima, vt tradit Ariſtoteles in libro de Diuinatione per inſomnia, vbi inquit: Supra noſtram prudentiam eſſe eorum originem inuenire, quæ quis præuiderit circa ea, quæ apud Columnas Herculeas & quæ apud Boryſthenem geruntur, loca ſcilicet diſtantiſsima, ad quæ peruenire nullo modo queat noſtra prudentia: quomodo principium motus harum imaginum in nobis fuerit? quanquam locus ille perperam ab interprete in aliam ſententiam fuerit conuerſus. Aut igitur dicendum temere in anima huiuſmodi motus fieri, vt ſcilicet modo hæ modo illæ imagines caſu moueantur, aut ſi non eſt fortuita eorum diuinatio, ratio aliqua erit, quæ imagines illas ſtatis quibuſdam temporibus moueat. Quod ſi eorum imaginatio quæ eueniunt, & quorum principium in nobis minimè eſt, omnis caſu contingeret, quemadmodum ſi me ambulante coruſcauerit, rarò hæc non ſæpe euenirent. 2. Phyſic. tex. 48. At multis hominibus hæc contigiſſe hiſtoriæ habentur certiſsimæ: Quin raræ extiterunt regnorum aut vrbium, aut familiarum mutationes, quæ prædictiones ſuas non habuerint. Pauci etiam ſunt homines qui circa ſe aut ſuos quædam effatu digna ſpontina imaginatione non præſenſerint. Quod ſi hæ cum cæteris imaginationibus cōparatæ raræ videantur eſſe, non deſtruit id quod dicimus: nam & Lunæ aut Solis coniunctiones oppoſitioneſque, in quibus ipſa lumine deficiant, raræ ſunt, cum tamen caſu minimè fiant, ſed certas habeant cauſas, quibus exiſtentibus neceſſe eſt luminis defectum fieri. Eodem modo quamuis imaginationes plurimæ principium motus habeant ex nobis, verbi gratia ex ſenſu aut alicuius memoria, ſi quæ tamen ſunt, quæ à rebus ipſis externis ortum ducant, earum erunt indicia: idcirco aut ſemper aut vt plurimum veritatem continebunt. Quod autem à rebus externis motus quidam fiat in imaginatione, non intercedente ſenſu aut intellectione, fatetur Ariſtoteles in lib. de Diuinatione, vbi de ijs ſomnijs, quibus aliqui præuident ea quæ à noſtra cogitatione & ſenſu remotiſsima ſunt, inquit: ſi non temere fiant (multa enim fortuitò eueniunt) propter eam cauſam contingere, non quam Democritus aſſerebat, qui à rebus ipſis ſimulachra quædā fluere putabat: ſed quoniam motus quidam & ſenſus ab ipſiſmet rebus pertingit ad animas ſomniantes: hunc autem motum imagines facere, ex quibus futura de ipſis præuident. Quod autem velit huiuſmodi motus à rebus externis

A ternis non in ipſo medio aere fieri, ſed in anima tantum, ſignificant verba quæ ſubiungit: Ideo enim in ſomno motus ij percipiuntur, quia etiam paruos motus qui intrinſecus fiunt, ſentiunt dormientes magis quam vigilantes. Si ergo motus extrinſeci eſſent, in vigilia, & inſtrumentis ſenſuum perciperentur, non in ſomno. Quod autem inquit, noctu magis quam interdiu ſentiri, quia aer noctis minus eſt agitatus, diurna autem perturbatione motus huiuſmodi diſſolui: ſignificat aeris ambientis perturbationem corpora noſtra perturbare, & impedire, ne huiuſmodi motus intrinſecos percipiamus infeſtantibus extrinſecis. Nam & qui Ecſtaſim patiuntur, eos motus maximè percipiunt, quia minimè ab ijs infeſtantur quæ ſenſus mouent. Et melancholici quoniam celerem habent imaginatiuam virtutem, motumque eius vehementem non facilem ab alijs motibus diſſolui: Quę igitur imaginationi offeruntur citiſsimè ab illis arripiuntur, minimeque
B diſturbantur. Præterea ſi motum aliquem in ambiente concederet Ariſtoteles ab ipſis rebus ortum, incidiſſet in eandem ſententiam Democriti: quod enim aliud huiuſmodi motus eſſet quam ſimulachrorum defluxus? Aut quomodo medium pati motus illos poſſit? Sonum enim ex certa tantum diſtantia audimus, & odores olfacimus: & viſibilia conſpicimus: ſi autem amplius fuerit interuallum, non perueniunt ad noſtros ſenſus eorum ſpecies: At quæ imaginationem mouent, nullam determinatam requirunt diſtantiam, neque intermedij corporis differentiam: Vndecunque enim & quocunque intermedio corpore imaginatione res attingimus. Si igitur medium affici oporteret, determinata eſſet eius quantitas, & qualitas, vt in cæteris ſenſibilibus videtur. Minimè autem mirum videri debeat, motum in anima fieri non moto medio: nam ſimile quid coloribus contingere oſtenſum eſt: Idem accidit & lapidi herculeo: hic enim ſiue
C in noſtro orbe ſit, ſiue apud Indos transferatur, vbicunque tandem fuerit, ad eaſdem cęli partes vertitur: Ferream quoque acum ſuo motu circunducit, quodcunque corpus intermedium extiterit ſeu motum ſeu quieſcens: non enim eſt neceſſe illam affectionem in medio recipi: nam id quod agit, nō in vnumquodque aptum natum eſt agere, neque per ſe tangere oportet id quod mouetur, ſatis enim eſt medio aliquo tangere. Idem contemplari licet in Torpedine, quæ manū piſcatoris obſtupefacit tactu retis. Sed dubitabit iterū quis: Quo pacto à rebus futuris gigni motus præſens poſsit in anima? Cum enim futurorum fiat præſenſio, oportet in imaginatione prius motum eſſe quam in re, quod videtur impoſsibile eſſe, ſi imaginatio à rebus moueatur. An non eſt abſurdum: quemadmodum res quę abierunt, veſtigia quædam ſui relinquunt, ſic antequam accedant, ſignificationes quaſdam præmittere, vt circa tempeſtates contingit? Non igitur

à rebus

à rebus futuris quæ adhuc non ſunt, motus aliquis fieri poteſt, ſed ab ijs, quæ rerum futurarum ſunt initia, & actu iam exiſtunt, fieri motus illos in imaginatione putandum eſt. Idcirco quamuis vera ſint ſomnia, non tamen eſt neceſſe ea euenire, quæ in ſomnijs apparuerint. Nam quemadmodum non ſemper poſt nubium generationem fit pluuia: neque poſt rectam conſultationem res perpetuò ex conſilio ſuccedunt, ſed aliquando quarundam rerum initia ab alijs nobilioribus incohationibus deuaſtantur: ſic neque ſigna quæ in imaginatione ex veris initijs orta ſunt, perpetuo euenire eſt neceſſe. Hoc modo ſtatuit Ariſtoteles in libro de Diuinatione, vbi inquit: Omnino enim non omne fit, quod futurum erat, neque idem eſt, quod erit, & quod futurum eſt, & quæ ſequuntur. Amplius dubitare licet: Si omnia quæ fiunt, apta nata ſunt imaginationem mouere: cur non omnia quæ fiunt, imaginatione ſentimus? ſed ea ſolum aut maximè, quæ ad res noſtras aut ad propinquos, aut ad amicos, aut tandem ad notos pertinent? Nam quemadmodum quælibet obiecta ſenſibilia in debita diſtantia ſenſus proprios minime latent, ſic imaginabilia omnia debuiſſent ſuas imagines in anima repreſentare. Præterea ſi res non intercedente ſenſu imaginationi innoteſcant, duæ erunt virtutes eiuſdem apprehenſiuæ, vt coloris tum viſus, tum imaginatio: at abſurdum eſt duas eſſe eiuſdem potentias. 2. de Anima. tex. 136. Quod ſi non idem ſit color qui imaginationem mouet, & qui viſum: cum viſus ſit ipſius coloris externi, imaginatio eius non erit, ſed eius qui in ſenſu: æquiuocè enim dicuntur omnia quæ in anima ſunt, cum ijs quæ extra animam. Imaginatio ergo non mouebitur ab externis rebus, niſi quatenus mouetur à ſenſu qui externorum eſt. Ad primam igitur dubitationem dicimus: Si ea quæ imaginationi offeruntur, nullo modo ſenſu egerent, virtus imaginatiua omnia externa ſimiliter apprehenderet, vt viſus omnes colores, & auditus omnes ſonos. Sed quoniam præparatio quædam imaginabilium requiritur, quæ per ſenſum habetur, hinc fit, vt non omnia æquè imaginationem cuiuſque moueant, ſed præcipuè notorum noti. Eorum enim quæ neque vidimus vnquam, neque ab alijs viſa audiuimus, motus nequaquam pertingere poſſunt noſtram imaginationem. Eorum autem quibus maxima diligentia & cura animum appulimus, vt quæ chariſſima nobis ſunt, imagines facilè agnoſcimus, apprehendimusque non ſolum per inſomnia, ſed & aliquando vigilantes: imminente enim re quadam noua veluti percuti animum ſentimus cauſam non videntes, adeo vt motus etiam corpori communicetur, veluti ſibilus quidam in auribus, aut caliditas, vel frigiditas membra permeans. Non igitur mirum, ſi non omnia æquè imaginationem moueant, non enim ſimiliter præparationem in anima

A ma reperiunt. Ad alteram dubitationem patet ſolutio ex dictis.
Concedimus enim eiuſdem rei imaginationem eſſe & ſenſum: nam
vtrunque nota quædam eſt rerum externarum & ſingularium. Nec
abſurdum eſt eiuſdem duas eſſe virtutes apprehenſiuas hoc modo, vt
vna alterius præparatione egeat: Apprehenſio igitur per ſenſum prę
paratio eſt eius quæ per imaginationem fit: quemadmodum vtraque
præparatio eſt ad intellectionem. Inſtabit autem quis iterum: Si ima
ginatio præparationem in ſenſu requirat, non mouebitur à rebus, niſi
prius ab iiſdem moueatur ſenſus: Quod ſi quid in imaginatione prius
fuerit quàm in ſenſu, non erit ſenſus imaginationis præparatio. Di-
cimus: ſi imaginatio alteram cognitionem non adderet ad eam quæ
ſenſu percepta eſt; non eſſet ſenſus aliqua eius præparatio, ſed perfe-
ctio cognitionis tota in ſenſu eſſet: à ſenſu autem ad imaginationem
tranſitus ad imperfectius quid eſſet mutatio: quod minimè fieri à na
B tura cernimus: quæ enim generatione ſunt poſteriora, finis ratio-
nem & melioris habent. Optimè igitur in his quoque inſtituit na-
tura, vt quibuſdam per ſenſum comprehenſis, reliqua imaginatione
apprehenderentur. Eſt autem perfectior hæc virtus, non quia cer-
tior ſit ſenſu, ſed quia ampliorem addat cognitionem, ad multa enim
peruenit imaginatio, ad quæ ſenſus nequit. Senſui enim non niſi præ-
ſentia ſunt nota, certa exiſtente medij natura & diſtantia ſenſibilium.
Imaginationi autem non minus præterita & futura nota ſunt quam
præſentia, & diſtantiſſima non minus quam propinqua, idque me-
dio quocunque intercedente. Poſtquam igitur ſenſu verbi gratia
Socratem nouerimus, imaginatione modo in conuiuio ſedentem,
modo in ſchola docentem, aut aliud quid agentem intuemur: idque
aut ex nobiſmet ipſis imaginantes, quæ imaginatio, vt plurimum fal-
ſa eſt, cum rei non correſpondeat: principium enim eius non in re
C eſt, ſed in nobis: Aut ſponte: tunc autem vt plurimum vera eſt, ex
ipſa enim re ortum ducit. Perinde autem eſt, ac ſi ex vmbræ motu
corpus id quod vmbram ex ſe iacit, moueri imaginemur: Quod enim
per medium ſenſum in imaginatione remanſit, veluti vmbra quæ-
dam eſt rei exterioris: Contingit igitur hanc moueri uel motis nobis
vel re. Si igitur motis nobis id contingat, videbitur quidem mo-
tus eſſe in re, non tamen erit: Si autem res ipſa moueatur, etiam eiuſ-
dem ſpecies in anima ſimili motu mouebitur: qui motus ſi animad-
uertatur, imaginatio fiet vera: Rarò autem animaduertuntur huiuſ-
modi motus, quia à cæteris validioribus diſſoluuntur: idcirco in ſom
no magis quam in vigilia, & in ijs quorum mens cogitationibus quaſi
deſerta & vacua eſt percipiuntur. Qui verò percipiuntur, rari ſinceras
ras reddunt imagines, facilè enim ob proprium imaginationis mo-
tum peruertuntur, & immutantur: aut cum alijs imaginibus miſcen-
tur:

tur: Hinc fit, vt rara ſint ſomnia recta, ſed pleraque ſub alijs formis D appareant: vt ſi hoſtis inuaſurus ſit, videbitur Taurus aut aliud huiuſmodi animal aggredi. Idcirco qui nouit ſimilitudines diſtinguere, promptus eſt ſomniorum interpres. Quoniam autem motus dum incipiunt, facilius diſturbantur, quàm vbi diutius perſeuerauerint: hinc fit vt poſteriores imagines ſinceriores ac veriores eſſe ſoleant: præcipuè vbi ſedatus fuerit ſanguinis motus, qui ex coctione alimenti fieri ſolet. Matutina igitur ſomnia ob hanc cauſam veriora, & ſæpius repetita fidem firmiorem faciunt: ſignificant enim in re motum magis perſeuerantem. Quomodo igitur imaginatio à rebus externis moueatur non intercedente ſenſu, & quo pacto ad id præſtandum præparatio per ſenſum requiratur, explicatum eſt: Quod autem aliquando ex motu qui in imaginatione fit, communicetur motus rebus externis, diuiniorem cauſam expoſtulat: Non enim id contingit niſi hominibus, & diuiniorem naturam adeptis.

Peripateticarum Quæſtionum Finis.

DAEMONVM INVESTIGATIO PERIPATETICA,

AD PETRVM IACOBVM BORBONIVM Archiepiſcopum Piſanum.

Andrea Cæſalpino Aretino Authore.

SECVNDA EDITIO.

CAP. PRIMVM.

C POSTQVAM Reuerendiſsime Antiſtes conuocatis Piſanæ Academiæ Theologis, Philoſophis, ac Medicis curaſti, vt religioſis quibuſdam virginibus à Dæmone vexatis, dum à Sacerdote adiurarentur, intereſſent, quo ſignis optimè notatis iudicarent, vtrum morbus à cauſis naturalibus penderet, vt ſunt vapores ab vtero aſcendentes, quibus pleræq; virgines infeſtari ſolent, aut atra bilis, cæteriq; praui humores modo mentem modo corpus lædentes, vt in Epilepticis conuulſionibus, & Melancholicis deliramentis contingit: an altera lateret cauſa ſupra naturam, quæ Medico naturæ miniſtro nequaquam obediret, ſed tantum diuinis auxiliis tolleretur: Mihi ſubiit in mentem quaſi diuinum Hippocratis præceptum in Prognoſticis, vbi inquit. Et ſi quid Diuinum in morbis habetur, illius quoque ediſcere prouidentiam. Viſus enim mihi eſt grauiſsimus hic author

ijs verbis huiuſmodi morbos indicaſſe, qui cauſam tum gignentem, D
tum ſanantem ſupra naturam poſsident. Quoniam verò locus is a Galeno aliter exponitur, vnde factum eſt, vt plerique medici huiuſmodi morbos negent, qui naturalem modum excedunt: poſtquam tua opera oblata mihi eſt occaſio hoſce morbos diligentius contemplandi: placuit quædam pro ingenij mei tenuitate de ijs in medium afferre, quò ſecundum Hippocratis præceptum eorum quoque prouidentiam quis ediſcere poſsit. Satius autem fuerit prius eius loci expoſitiones à Galeno reprobatas percenſere, deinde propriam eius ſententiam explicare. Affert igitur duas opiniones ab aliis medicis excogitatas circa Diuinum illud in morbis, quarum prima eorum eſt, inquit, qui putant ob iram quandam Deorum hominibus accidere morbum, niſi eorum teſtimonio, qui hiſtorias citra rationis adminiculum ſcripſerunt: innuit autem Theologos, quos alibi idem Galenus, vtpote qui nulli religioni eſſet addictus, notat tanquam ſine ratione loquentes. Eo autem argumento opinionem hanc refellit, quia E
Hippocrates nullibi cauſam ægrotationis in Deos refundit: cũ autem inter cæteros morbos putarent Epilepſiam, & Amorem diuinos eſſe: quoniam Epilepſia Sacer morbus aliàs appelletur: Amorem Poetæ fabulentur Dæmonem quendam puſillum eſſe recens natum, gerentem faces ardentes, qui homines quoſdam in hanc agit affectionem. Vtrunque autem falſum eſſe oſtendit, quoniam vtræque naturales ſunt affectiones. comprobare hanc ſententiam videtur Hipp. de Aere Aquis, & lo. cap. 11. Altera opinio eorum eſt, qui dies decretorios eos ſcilicet, in quibus morbi ſolui ſolent, ad cauſam diuinam referũt, quia incognita eſt, & inopinabilis. Iure autem hanc reprehendit, partim quia non omnia, quæ cauſas habent incognitas, & inopinabiles, diuina vocamus, ſed duntaxat vbi admirabilia habeantur: partim quia nec ignorauit Hippocrates cauſas decretoriorum dierum, vt in com- F
mentarijs de Diebus decretorijs apertum eſt. Tandem propriam afferens ſentẽtiam inquit nomine Diuini Hippocratem intellexiſſe aeris ambientis conditionem, vnde morbi publicè vagantes oriuntur, de quibus egit in libris de Morbis vulgaribus, & in tertia particula Aphoriſmorum. Quidam enim morbi in ſiccitatibus apti nati ſunt oriri, alij in Auſtrali conſtitutione, & tandem diuerſi in diuerſa temporum viciſsitudine vagantur. Venit autem, vt puto in hanc ſententiam, quia ſcribitur ab Hippocrate in libro de Aere, Aquis, & locis ad medicum pertinere ſyderum quorundam exortum, & occaſum obſeruare, quibus & tempora mutantur, & corpora afficiuntur: licet hæc fortè ſublimiora videantur, vtpote quæ ad ſcientiã Aſtronomiæ pertineant. Quaſi ob id Diuina ab eo appellentur, quia ſublimiora ſunt: aut Diuina dicatur Aeris conditio, quia à Cœli motu fiat, quod Diuinum,

A uinum eſt: aut tandem, quia vitari nequeat: quaſi ij morbi humani appellari poſſint, qui ex praua victus ratione cõtingunt, & ex propriis erratis, diuini autem, quorum cauſa in nobis non eſt. Aeris enim conditiones vitare non poſſumus. Quamuis autem hæc ſententia ſatis accommodari poſſit verbis Hippocratis, tamen falſa eſſe, vel ex eo deprehenditur, quod idem Galenus obiiciebat aduerſus ſententiam de Diebus decretorijs. Nam licet ij ex Cœli motu, præſertim Lunæ putentur perdere, non tamen ob id Diuinum quid in morbis eſſe voluit, quia cauſæ neque incognitæ, neque inopinabiles, neque admirandæ ſunt. Idem de Morbis vulgaribus dicere poſſumus, nam eorum cauſæ, etiam ſi Peſtis ſit, nõ minus cognitæ ſunt, quam Dierum decretoriorum. Præterea ſi propter Cœlum Diuina dicenda eſſent, quæ ab eo pendent, omne opus naturæ Diuinum eſſet, cum omnis huius mundi inferioris virtus inde gubernetur, vt tradit Ariſt. primo B Meteor. cap. 2. Sed Galenus à priori ſententia, quæ ad veritatem magis accedit, diſceſsit, & in has abſurditates incidit, quoniam in hoc inferiori mundo nihil putauit immortale, & diuinum cõtineri. Nam in libro quem inſcripſit: Quod animi mores ſequantur corporis temperamentum: fatetur ſe perſuaderi non poſſe, in homine aliquã partem animæ immortalem eſſe, qualis à Platone Rationalis ſtatuitur: cum videat in Phreneticis, & reliquis delirantibus lædi mentem, immutato corporis temperamento: & mortem inferri calore natiuo extincto. Quaſi calor natiuus ſit ipſa animæ ſubſtantia: alioqui ignorare ſe eius eſſentiam. Huius quoque ſententiæ putat fuiſſe Hippocratem dicentem in Epidemiis. Hominis anima ſemper producitur vſque ad mortem, ſin autem igne excanduerit, ſimul cum morbo, & anima corpus depaſcitur. Quo in loco ipſum primum animæ inſtrumentum calorem, ſcilicet natiuum, quo omnes animalis operationes C fiunt, animam vocauit. Cùm igitur in anima præter huiuſmodi calidum generationi, & corruptioni obnoxium nihil immortale inſpicere potuiſſet Galenus, non mirum ſi in morbis cauſam aliquam diuinã inuenire nequiuerit: putaueritq; Hippocratem per huiuſmodi Diuinum cauſam quidem naturalem intellexiſſe, ſed communiorem, ac minus euitabilem: Si enim in homine nulla pars diuina habeatur, multo minus in cæteris ſubſtantiis ignobilioribus fuerit. Principium igitur huius conſiderationis erit, ſi inueſtigauerimus quid Diuinum in homine habeatur: præterea ſi quid etiam extra hominem huiuſmodi ſit in hoc mundo ex quatuor elementis compoſito. Quibus conſtitutis videndum erit, vtrum ab illis morbi fiant in hominibus, & qui: & tandem qua arte ij dignoſcantur, curenturque. Quibus abſolutis finis erit aſſumpti negocij.

D

CAP. II.

IN homine igitur contineri partem diuinam, quæ mens appellatur immortalem ſubſtantiam extrinſecus innaſcentem à materia ſeparatam, cui propria eſt operatio nō communicans cum operatione corporis demonſtratum eſt ab Ariſtotele: eandem conceſsit Plato,& omnes fermè Philoſophi prçſtantiores. Quod autem ex eius participatione quædam operationes communicentur coniunćto,quæ lędantur, immutato corporis temperamento,conſentaneum eſt rationi: cum enim ratiocinari, amare, odiſſe,& cætera huiuſmodi non ſint mentis participatæ operationes, ſed habentis illam, quatenus illam habet: non mirum, ſi lædantur, & pereant aliquo interius corrupto, vt corpore participante. At Galenus hæc videre non potuit, quoniam ignorauit, vt ipſemet fatetur, animæ eſſentiam, & intelligentiæ humanæ principia. Quod autem Hippocrates animam vocauerit ipſum calidum innatum, non eſt præter rationem: medicè enim loquitur. Medici autem conſiderant præcipuè calidum innatum tanquam principium vitæ, & mortis. Vita enim in eius conſeruatione conſiſtit, mors in eius extinćtione. At verò conſideranti ea, quæ traduntur ab Ariſtotele de calido innato,etiam patebit diuinum quid contineri in eo. Inquit enim.2.de Part.Anim. capit.3. omnem animæ virtutem, ſeu potentiā corpus aliud participare diuinius quam vocata elementa, qui calor vocatur, & ſpiritus, quique in ſemine contentus facit, vt fœcunda ſint ſemina: cuius natura, nō ignis, ſed proportione reſpondens elemento ſtellarum: differre autem nobilitate, & ignobilitate, prout animæ inter ſe differunt: adeo vt etiam diuina pars, quæ mens appellatur quamuis ſeparabilis à corpore in hoc corpore comprehendatur. Sed meritò hic quæritur, ſi calidum innatum generabile eſt, & corruptibile, vt ſunt omnia, quæ infra Lunam continentur, quomodo diuinius dicatur quam elementa, & proportione reſpondeat cœlo, quod ſempiternum eſt, & inalterabile? Num dicatur diuinius, id eſt præſtantius? vt ſolemus aliquando nomen diuinum transferre ad quaſcunque res præclaras,non quod ſempiterna ſit ſubſtantia, vt cœlum. Reſpondere autem elemento ſtellarum dicemus, vt explicatum eſt in quæſtionibus Peripateticis: nam calor, ſeu ſpiritus, qui in ſemine continetur, idem præſtat in generatione animalium, quod cœlum ſuo motu, & lumine. At non videtur rationi conſentaneum, vt intelligentiæ diuinæ, quæ ęterna eſt, aſsignetur corpus generabile, & corruptibile. An omnibus generabilibus, & corruptibilibus ſubiacet ingenita, & incorruptibilis ſubſtantia, trina ſcilicet dimenſio, in qua natura primæ materiæ conſiſtit, neque grauis, neque leuis, neque calida, neque frigida, nulliſq; alijs affectioni- E F

A bus prædita ſecundum ſeipſam? Vt igitur cœleſtibus corporibus aſſiſtunt mouentes intelligentiæ, ſic primo huic ſubiecto generabilium & corruptibilium, vtpotè immortali immortalem aliquam intelligentiam, aut vnam, aut plures latas eſſe nō videtur abſurdum: quod hinc contemplanti fiet manifeſtum. Teſtatur Ariſtoteles. 3. de Gen. Ani. cap. 10. Calorem quendā animalem in vniuerſo eſſe, vt quodammodo omnia ſint plena animæ: ideo celeriter cōſiſtere animalia, & plantas, vbi calor ille comprehenſus, ſiue exceptus eſt: Comprehendi autem, atque effici corporeis humoribus incaleſcentibus, veluti bullam ſpumoſam: fieriq; modo nobilioris, modo ignobilioris generis animalia pro differentia principij animalis, quod comprehenditur. Alibi ex ſententia Heracliti Deos immortales nullibi deeſſe teſtatur: nā in omnibus rebus ineſſe naturæ numen, & honeſtū pulchrumque. primo de Part. Ani. cap. 5. Significauit autem id honeſtū pulchrumq;

B rationem finis, cuius gratia natura agit, & cuius principium cælitus dicitur. 2. de Gener. Anima. cap. 1. Nam Diuinum illud, quod ſempiternum eſt, cauſa ſemper eſt ſua natura melioris cōditionis in rebus contingentibus. Corpus autem primum recipiens hanc diuinitatem eſſe materiam primam, hinc patet. Hæc enim eſt, quæ ſecundum ſuam ipſius naturam appetit id, quod diuinum eſt, bonum & appetibile. primo Phyſic. tex. 81. Principiū autem appetitus intellectio. 12. Metaph. tex. 36. aut ſenſus, vt in animalibus. 3. de Anim. tex. 54. Rationi autem conſentaneum eſt, vt quod ſine motu & mutatione fluit à diuina eſſentia, & immortali diuinum quoque, & immortale ſit: huiuſmodi autem eſt natura corporis, vt corpus eſt: non enim fit ex non corpore, alioqui vacuum eſſet non corpus: ſed à ſummo bono immenſo, & impartibili trina dimenſio fluxit partibilis ad bonorum diſtributionem. Simul ac igitur extenſa eſt natura corporea indita eſt

C ei appetentia ipſius boni diuerſa pro partium diuerſitate, & ſitu. Hinc numerus corporum, & intelligentiarum conſurgit non ſolum in cœleſtibus, ſed & quodammodo in generabilibus, & corruptibilibus, quatenus naturam corpoream ęternam poſsident non minus quam cœleſtia. Quæ autem à motu cęli pendent, non amplius ęterna ſunt, quia principium aliter ſe habet varias inducens alterationes circa materiam. In quibus igitur datur hæc natura ſimplicior immunis ab omni contrarietate, & inalterabilis, vt cœleſtibus corporibus, in ijs maximè viget intelligentiæ operatio, à qua ſine vlla defatigatione motus perennis ſequitur. In materia autem inferiorum inſeparabili à contrarietate, ob varias mutationes obruitur quodammodo vis intelligentiæ: vigent autem magis operationes corporeæ, quales ſunt elementorum, & cæterorum, quæ ex illis conſtituuntur, oſtenditur tamen in his quoque intelligentiæ vis, quatenus operationes omnes na-

turales ad finem diriguntur, & imitantur ęternitatem, ſaltem ſecundum ſpeciem. Sicubi autem materia hæc accedat ad ſuam ſimplicitatem, vt contrarietates in ea minimè præualeant, cuiuſmodi eſt ſpiritus temperatiſsimus, puriſsimusq; qualis in homine reperiri ſolet, manifeſtiſsimè apparent operationes diuinæ ab intelligētia prodeuntes. Eſt autem natura ſpiritus animalis corpus tenuiſsimum, & maximè agile, vt motum cum robore præſtare poſsit animali, in libro de Commu. Ani. motu, & maximè ſeiunctum ab omni qualitate ſenſibili, vt capax ſit omnium ſenſibilium. 2. de Part. Anim. cap. 1. Differt autem nobilitate, & ignobilitate, prout purgatior, aut impurior fuerit. Exigit autem ratio, vt purgatiſsimus ſit in regione ſuperiori prope Lunam, ſcilicet in ſphæra Ignis, in quo loco quærendum eſſe quartum genus viuentium, inquit Ariſt. 3. de Gener. Anim. cap. 10. Primum enim genus ſtatuit, quod terreſtre eſt, quale eſt Plantarū: Secundum Aquatilium animalium: Tertium Aereum, quod conuenit Greſsibilibus: Quartum genus igneum, quod profectò incertum eſt, an detur: cum ex igne nihil fiat, neque ex glacie propter exceſſum: nec videtur vllum animal in igne viuere poſſe: calor enim animalis neque ignis eſt, neque ex igne ortum ducit, ſed eſt mitis quidam calor. An nomen, ignis, ęquiuocum quoddam eſt? ſignificans propriè feruorem in aliena materia, vt ſunt corpora ignita, carbo aut flamma: huiuſmodi exceſſus deſtruit calorem innatum, de quo loquimur. Transfertur quoque nomen, ignis, ad quartum elementum, quod eſt cœlo propinquiſsimum, qui aliàs Aether appellatur, corpus puriſsimum, tenuiſsimumque, idea maximè accedens ad naturam incorpoream, & inſenſibilem, qualis eſt materia prima, ideo nobiliſsimum inter elementa: poſt ipſum Aer eſt aliquanto corpulentior, & craſsior: tertiò Aqua: vltimò Terra craſsiſsima, & maximè corpulenta. Non igitur ab re fuerit prope Lunam aliquod genus animalium viuere. Exigit autem ratio, inquit Ariſtoteles, ſi tribus elementis dantur propria, quæ in illis viuant, dari etiam Quartum quartæ huic regioni propè Lunam. Videtur autem hoc genus innuiſſe. 2. de Anim. tex. 29. cum poſt enumerationem eorum, quibus datum eſt vegetatiuum ſolum: & eorum, quibus datus eſt ſenſus, inquit: alijs ineſſe ratiocinatiuum, & intellectū, vt hominibus, & ſi quid aliud huiuſmodi eſt, aut etiam honorabilius. Quod enim ſpiritu æthereo fruitur, præſtantius eſſe putandum eſt, quam quod Aereo: & hoc præſtantius aquatili, vt tandem in infimo loco ſint Plantæ, quia ſpiritu magis terreſtri viuant. Sed de ijs, quæ quartam illam diſtantiam adipiſcuntur, promiſit quidem Ariſtoteles ſe alias acturum: an verò præſtiterit, hucuſque incertum eſt: nec mirum, cum ſenſu comprobari hæc nequeant, vt multa alia, quæ à ſenſibus noſtris ſunt remotiſsima: creduntur tamen eſſe

D E F

A Dæmones, quos nunc inueſtigamus. Nam apud nos nullum animal reperitur homine præſtantius: tetigit autem hæc dubitandi modo Ariſtoteles primo de Ani.tex.86. vbi aduerſus eos, qui putabant animam mixtam eſſe in toto, inquit habere quaſdam dubitationes: Propter quam enim cauſam in aere, aut in igne anima cum ſit, non facit animal, in mixtis autem facit, idq; cum melior in illis eſſe videatur. Sed de his inferius melius patebit. Oſtenſum eſt igitur calidum innatum corpus eſſe diuinius quã elementa, quamuis ex illis conſtituatur: & merito reſpondere elemento ſtellarum non ſolum ratione fœcunditatis, quæ ab intelligentia habetur in eo comprehenſa, ſed etiam ratione immortalitatis ſubiecti, & puritatis.

CAP. III.

B SED circa hæc dubitatur: Si materia prima omnibus corporibus ſubeſt, huic autem aſsiſtit intelligentia, vt corporibus cœleſtibus. omnia igitur corpora erunt animata. Præterea ſpiritus animalis non erit diuinior elementis, cum ſimiliter materia prima ſit in elementis, vt in huiuſmodi ſpiritu. Adhæc ſi materia prima diuinior eſt quam corpora compoſita, perfectior erit compoſitis: At contra res ſe habet, quanto enim magis res accedunt ad materiam, tanto minus participant de eſſentia, quæ habetur à forma. Nam quæ corrumpuntur tendunt in materiam, quæ autem generantur, incipiunt à materia tanquam imperfectiori, & tendunt in finem, in quo eſt perfectio & quid eſt. Reſpondetur ad primum omnia corpora, vt partes ſunt vniuerſi, quod per ſolam intelligentiam animatum eſt, animata eſſe; non tamen anima in ſingulis partibus corporis eſt, ſed in principali, cætera autem dicũtur viuere, quia adnata ſunt primo: vt de Cor
C de dictum eſt in animalibus. in lib. de Comm. an.motu. Huiuſmodi autem partes ſunt ſphæræ tum cæleſtes tum elementorum omnia ſimiliter perennia vt vniuerſum. Quatenus autem particulæ quædam ſunt à cæteris diſtinctæ, non omnes ſunt animatæ: adſunt enim lapides, & metalla, & reliquiæ corporum animatorum poſtquam fuerint exanimata: deſtituta enim ſunt ſpiritu animali: & eorum materia ſub priuatione eſt, quanquam in potẽtia ſeruetur noua perfectio. Quod autem dicit Ariſt. 3. de Gen. Anim. cap. 10. calorem animalem in vniuerſo eſſe, vt quodammodo omnia ſint plena animæ: eo modo intelligendum eſt: ſcilicet in materia prima latere ſemina omnium, vnde omniſeminarium ab antiquis dicta eſt: Actu autem fit, cum calor ille excipitur in materia. Hinc patet differentia animæ mortalium & immortalium. Intelligentiæ enim immortales non egent calore: egerent enim nutrimento corporeo, cum huiuſmodi calor continuè pa-

bulum requirat, ſed tantum corpori perenni aſsiſtunt. Mortalium D
autem animæ inſeparabiles ſunt ab huiuſmodi calore, qui cum extinguitur, mors contingit. Tantum in ijs in quibus diuina pars comprehenditur, vt ſunt homines, extincto calore remanet in materia prima intelligentia æterna eadem numero. Nec quærendum eſt, vtrum illa pars materiæ, cui aſsiſtebat viuente homine, etiam poſt mortem comitetur intelligentiam: nõ enim eſt neceſſe, cum ad intellectionem non egeat huiuſmodi corpore, ſed ſatis eſt ad diſtinctionem numeralem aliquando huic adhæſiſſe: nunc autem vniuerſi materia communis ſatisfacit, vt ſit diſtincta à prima intelligentia, quæ ſecundũ ſe nullum corpus reſpicit. Id circo animas immortales non eſt neceſſe circunſcribi loco, in quacunque enim parte vniuerſi vnaquæque præſens eſſe poteſt ſine loci mutatione inſtar noſtræ imaginationis. Quod ſi contingat corpus aliquod aſſumere, non fiet diuerſa numero, quia æterna eſt ſubſtantia. 2. de Gen. & cor. tex. vlt. nec pendet à corpore, vt for E
mæ materiales, quæ non reuertuntur eædem numero ſed ſpecie. Ad alteram dubitationem, quomodo ſpiritus animalis diuinior ſit elemẽtis, ſi materia prima tam in elementis eſt, quam in eo ſpiritu, vbique autem virtus intelligentiæ diuinæ reperitur. Dicendum comparationem eſſe inter ea corpora nõ quatenus communem habent naturam ſcilicet materiam primam, ſed quatenus differunt. Quia igitur in ſpiritu ſeu calore innato ineſt actu facultas animalis, non in igne nec cæteris elementis, ideo diuinius hoc corpus dicitur: recipit enim actu virtutem diuinæ intelligentiæ: quamuis non ſimiliter calor ille in ſemine ſit, & in orto animali. Nam in ſemine non ineſt actu anima, neque calor: ſed materia talis eſt, quæ facile eo calore incaleſcere poſsit, & alimentum attrahere. At ignis qui exceſſus dicitur attrahit quidem alimentum & nutritur, ſed alio modo quam uiuentia. Ad tertiam dubitationem, qua videtur materia prima perfectior eſſe quam F
ſubſtantia compoſita, animaduertere oportet: operationem intellectus oppoſito modo ſe habere quam reliquarum uirtutum. Sola enim hæc propria eſt, & ideo ſeparabilis à corpore, cum reliquæ omnes ſint compoſitorum, & ſine corpore exerceri nequeant. Hinc fit vt corporis moles mentem tardiorem reddat. 4. de Par. anim. cap. 9. Non enim facile eſt intelligere & ſapere, vbi vaſta corporis moles aſsidet. Quo autem corpus ſimplicius fuerit & à corporeis qualitatibus exemptum, vt eſt materia cœleſtis, eo promptius intellectus intelligit: poſt materiam cęleſtem eſt huiuſmodi materia inferiorum. Sed quoniam huic propter diſtantiam ab optimo minus datum eſt potiri eo, nititur per operationes corporeas aſſequi quantum poteſt, vt hæc quidem per ſolam vegetatiuam ſaltem æternitatem ſpeciei conſequantur: hæc verò etiam ſentiant: Homo amplius per ipſum intellectum accedat ad pro

priam

A priam animę operationem: qui gradus incipiunt à maximè corporeis ad incorporea. Cum igitur materia prima ſit maximè incorporea ſecũdum ſe, ideſt exempta à qualitatibus omnibus corporeis, ſiquidem eo modo poſſet ſtare ſeparata, longe perfectior eſſet, quam nunc eſt, vt de Cęli materia patet. In ſolo autem homine ſpiritus ad illam ſimplicitatem accedit, qualis eſt materiæ primæ: qui ſi poſſet etiam ſeparari à ſanguine & vaſis, quibus includitur, longè promptior eſſet ad intelligendum: minus enim operationes corporeæ impedirent: ſed quamdiu materia hæc calorem illum habet, alimento eget, quod ſine vegetatiuo fieri nequit. Idcirco ſolum extincto calore, & abiuncta intelligentia ab omni opere corporeo, in ſe ipſam vergit, vt cæteræ intelligentiæ abſtractæ: eſt autem & tunc in ipſa materia prima non quatenus affecta corporeis qualitatibus, ſed vt corpus tantum immortale. Quibus poſitis patet ſolutio: non enim ſequitur materiam primam B perfectiorem eſſe compoſitis corporibus. Nam diuinum quod in ea dicitur eſſe, non in eo conſiſtit, vt ea diuinitate fruatur abſque corporeis operationibus: non enim differret à Cęlo: ſed vt recipiens uirtutem intelligentiæ varios fines aſſequeretur pro eius meritis. Huc uſque igitur manifeſtum eſt, non ſolum in homine, ſed & in tota natura immortale quid contineri, intelligentiam ſcilicet diuinam, quod principium ſecundum ſpeciem appellatur ab Ariſt. 1. Phyſ. tex. vlt. & trinam dimenſionem, duo principia eorum quæ fiunt.

CAP. IIII.

QVONIAM verò magnitudo, quæ infra Cęlum continetur, mutationibus eſt obnoxia: mutatio autem omnis inter contraria fit, tertium principium fuit neceſſarium, quæ priuatio C appellatur: author omnis turpitudinis & maleficij, vt teſtatur Ariſto. 1. Phyſic. tex. 80. Quod ſi principia oportet ſemper manere, vt ſcilicet neque ex alijs fiant, neque ex ſe inuicem, & ex illis omnia. 1. Phyſico. tex. 42. Quemadmodum æterna ſunt bonum quod appetitur, & magnitudo appetens, ita etiam & id quod appetibili opponitur, ſcilicet ipſum turpe & malum, æternum quid eſſe oportet. At vero quid hoc ſit, difficile eſt videre. Nam priuatio vt priuatio eſt, nullum ens uidetur eſſe, cum nullam ſpeciem conſtituat. 1. de Par. ani. cap. 3. Præterea nihil eſt primo contrarium, cum materiam non habeat. 12. Metaphyſ. tex. 56. omnia enim contraria materiam habent. Quod ſi hæc uera ſunt, nullum erit malum in rebus, & nulla corruptio, cum inter principia nullum ſit, quod hæc efficere poſsit. Quod enim ſimpliciter nõ eſt, efficere quicquam nequit. Nam ſufficiat alterum principiorum, vt ſui pręſentia & abſentia faciat mutationem, vt quodammodo concedit

cedit Ariſtoteles. 1.Phyſico. tex.68. At ſemper quærenda erit cauſa, D quæ præſentiam & abſentiam faciat alterius contrarij. Dicendum eſt igitur, duplex genus virtutis verſari circa mundum inferiorem: vnum quod boni præſentia & pulchri author eſt generationis: alterum quod eiuſdem abſentia interitum præſtat rebus: qualis in cœlo eſt motus in circulo obliquo Solem ducens & abducens. Si igitur tota vis generationis animalium in calore conſiſteret, hæc cauſa ſufficeret, quæ à motu petitur. Quoniam verò altera uis diuinior animæ ſcilicet ratio organicum corpus efficit, & ſubſtantiæ rationem tribuit, 2.de Gen. Anim.cap.1. alteram ſubſtantiam corruptioni & priuationi inſeruientem dari neceſſe eſt: aut ſaltem eandem aliter ſe habentem, in qua ipſum turpe conſiſtit, & malum, ac omnino fugiendum. Ab vtriſque autem principijs omnia contrariorum genera oriri in materia, quorum alterum melioris, alterum deterioris rationem habet. Sic enim contraria tantum erunt, quæcunque in materia ſunt, vt formæ materiales, & earum priuationes ab vno principio immateriali, E ſed aliter ſe habente deſcendentes. Et hoc modo nullum eſt primo principio contrarium, cum tamen mutabilium vt mutabilia ſunt, principia ſint mutabilia & contraria. Quo autem pacto primum principium vnum exiſtens aliter atque aliter ſe habeat, & pariat multitudinem pro recipientium multitudine, explicatum eſt à nobis abunde in Quæſtionibus Peripateticis. Hucuſque autem manifeſtum eſt rerum naturalium principia ab ijs, quæ ſupra naturam ſunt, pendere. Propenſio enim ad formas quæ eſt natura materiæ trina dimenſione eget ingenerabili & incorruptibili: Formæ autem naturales & earum priuationes participationes ſunt diuerſæ ipſius pulchri & turpis, quod ab intelligentia habetur.

CAP. V. F

QVONIAM autem inter mortalia ſoli homini præter operationes naturales, quæ ſunt ipſius coniuncti, data eſt operatio propria, quæ ſupra naturam eſt, ſolus enim intelligit: idcirco in ſolo homine principium huiuſmodi eſt per eſſentiam, in cæteris autem rebus virtute tantum, non enim intellectus cæteris communicatur. Hinc autem fit, vt aliquando in homine reluceant operationes diuinę partis ſcilicet ipſius boni & pulchri: aliquando oppoſiti mali & turpis: ab illa quidem Sapientia, Prudentia, & tandem quæcunque illas virtutes ſequuntur: ab oppoſita autem Deceptio tum circa veritatē, tum circa bonum & pulchrum & honeſtum, & quæ ſequuntur facinora. Et rectè intellectus agens lumini aſsimilatus eſt, nam per eũ patefit verè bonum & pulchrum. oppoſitum vero fuerit tanquam

tenebræ,

A tenebræ, in quibus aberrare neceſſe eſt. Ignorantia verò hæc non eſt qualis ſcientiæ negatio, nam hæc ſine parte diuina contingit, vt in brutis: ſed deprauatio veluti praua diſpoſitio circa veritatem: ac ſi ex oppoſitis principijs oppoſitum cõcluſionis colligamus per ſyllogiſmum deceptorium: aut ſi menſura obliqua velimus quæ recta ſunt iudicare. Cur autem deceptio magis propria ſit animalibus, & plus temporis in ea verſetur anima. 2. de Anim. tex. 151. non eſt præſentis negocij: non enim quærimus cauſas omnis deceptionis, ſed tantum eius, quæ fit in principio, quatenus anima conuerſione quadam à lumine diſcedit ad tenebras. Nam contingere poſſunt deceptiones rationis ex ſenſu aut imaginatione deprauata, vt pleriſque contingit vel ratione organi, vel medij, vel obiecti: Contingere autẽ poſſunt deceptiones ex ſola ratione deprauata integro ſenſu & imaginatione, vt patet in delirijs quibuſdam, vt cogantur etiam agere quæ ex malo diſcurſu
B collecta ſunt. Atque hi ſæpius circa vnum quid delirant, circa reliqua ſapientes videntur, cum deceptio in principio ſit ad id ſolum ſpectante. Cum autem motiones omnes animæ aut ab ea incipiãt & tendant in corpus: aut à corpore in ipſam. 1. de Anima. tex. 64. Quæ ab hoc principio vtpote diuino tendunt in corpus, diuinæ merito dicuntur, quæ autem à corpore in ipſum, naturales: principium enim motus à materia natura eſt. Quod autem Hippocrates per illud verbum; Si quid diuinum ineſt in morbis: intellexerit huiuſmodi affectus, qui redundant in corpus ex parte, quæ diuina eſt in nobis, non autem ex cauſis naturalibus, qualis eſt motus cęli, aut aeris ambientis qualitas, aut aliud huiuſmodi, manifeſtiſsime colligitur ex eo, quod ſcripſit in lib. de Fęminea natura: ſtatim in principio: cuius hæc ſunt verba. De fœminea verò natura morbiſque hæc dico ſentioque: Maximam quidem cauſam & potiſsimum quid in hominibus eſſe diuinum nu-
C men: deinde mulierum naturas: & quæ ſequuntur. Et paulo poſt inquit. Quamobrem qui ritè probeve hæc tractabit, primum à Diuinis numinibus auſpicetur: deinde mulierum naturas & quæ ſequuntur. & in libro de Probitate, inquit. In pleriſque morbis & ſymptomatis medicina plurimum Dijs concedit, Deoſque colere reperitur. Medici enim plurimum Dijs concedunt: Medicina enim multum poſſe ſibi non arrogat. Sed ſcio aliquos hæc minus probaturos, cum non ſatis conſtet libros eos legitimos eſſe Hippocratis: At eſto hoc ambiguum: Galenus tamen librum de Sacro morbo citat, ad comprobandam ſuam ſententiam, quem ſcit non eſſe Hippocratis: multum enim facit authoritas antiquiſsimorum virorum. Si igitur in pluribus locis fit mentio Diuini, quod ineſt in morbis, & accipitur eo modo, vt dictũ eſt, cur negare debeamus etiam in Prognoſticis eodem modo accipi? Sed merito quis dubitabit: Quomodo

à diuina

à diuina parte, quæ in nobis eſt, malum communicari poſsit? & è cõtra ab affectibus corporeis reſultet deprauatio circa partem diuinam? cum hæc impaſsibilis ſit, vt alibi oſtenſum eſt. An in cauſa eſt potentia materiæ cui aſsiſtit? Hæc enim quamuis appetat ipſum bonum & pulchrum, ſuſceptibilis tamen eſt ipſius mali, & turpis: hoc enim eſt eſſe potentiæ, vt eadem ſit contrariorum: & in hoc diſcedit à perfectione corporis cœleſtis: non enim illud eſt in potentia, ſed continuo æuo fruitur ipſo optimo nullam habens potentiam ad oppoſitam priuationem. Huic igitur diuino nullum eſt contrarium. Ipſum autem turpe in ſola materia inferiorum reperitur, non quidem ſecundum naturam materiæ, non enim huius gratia condita eſt, ſed accidit, quia ob imperfectionem non poteſt frui ſempiterno tempore ipſo bono. Turpis igitur redditur aliquando ab eodem quidem diuino, ſed aliter ſe habente, in quo priuatio conſiſtit principium per accidẽs. Hoc igitur pacto communicari malum, & turpe ab eo, quòd diuinum eſt, non eſt abſurdum, vt boni communicatio, & pulchri fit ab eius præſentia, perinde ac ex præſentia gubernatoris ſequitur ſalus nauis, ex abſentia autem eiuſdem perditio, quo exemplo vtitur Ariſtot. ſecundo Phyſicorum. tex. 30. D E

CAP. VI.

SED altera dubitatio difficilior eſt. Quod enim à materia ſeparatum eſt agere quidem poteſt, pati autem nequit, cum omnis paſsio à materia proueniat. Sed fortè patebit ſolutio, ſi oſtenderimus hoc diuinum, quod eſt in nobis, quamuis à Diuiniſſimo illo principio deſcendat, tamen mediam quandam naturam ſortiri inter res mortales, & immortales: inter ſubſtantias omnino abſtractas, & materiales. Quod enim eſt omnino abſtractum ſolus intellectus eſt, cuius ſubſtantia eſt actus, ſeu intellectio, & hoc ſimpliciter vnum eſt, & impartibile, & immobile. Quod autem mouet corpora cœleſtia, quodammodo corporibus applicatur, multiplicaturq; ſecundum corporum multitudinem. A corpore igitur aliquid recipit, ſcilicet multitudinem, & virtutis immẽſæ, quam habet, terminationem quandã in vigore pro magnitudine corporis, vt determinata ſit vniuſcuiuſque velocitas, licet ęternitas ſimiliter perſeueret. Cum autem deſcendit ad inferiorum materiam, in qua generatio eſt, & corruptio, iam amplius quodammodo inficitur, vt inſeparabilis reddatur à materia, & ęternitatem ſeruare non poſsit, niſi ſecundum ſpeciem, in quo ſtatu ſunt omnes formæ naturales. Solum in homine propter intelligentiam retinet naturam ęternitatis eiuſdem numero, vt reliquę ſubſtantiæ abſtractæ, ſed propter materiæ imperfectionẽ, cui delegatur, F

aliquid

A aliquid patitur. Dum enim in corpore mortali præſtat operationes
corporeas, quaſi obruitur propria eius operatio: & quo magis anima
affectibus corporeis agitatur, eo magis intellectus, veluti deſidem vi-
tam agit dormienti ſimilis: adeo vt lumen, quod in eo eſt, reddatur
tenebricoſum. Id manifeſtè videmus in vehementi ira, aut pauore,
aut deſiderio quocunque: non ſolum enim eo tempore, cum viget
perturbatio, nullus datur conſilij locus, ſed etiam plerunque incidũt
ob eam cauſam in furorem, aut varia deliramenta, vſque ad mentem
perueniente affectione. In quiete autem corporis, atque animi tran-
quillitate quam optimè, & iudicare, & ſpeculari poſſumus. Nonne
& diuinus Hippocrates id apertè explicauit? cum dixit in Epidemiis:
Ab eodem humore ſi vergat in mentem, fieri Melancholiam: ſi vero
in corpus, Epilepſiam. Peruenit igitur aliquando affectio corporea
vſque ad mentem. At hoc eſt quod Galenum torſit: ſi enim affectio
B corporea pertingit ad mentem, & mens igitur erit inſeparabilis à cor
pore. Idcirco per mentem putauit accipi temperamentum, in quo
mens conſiſtit, læſo enim eo lædi mentem, cum anima apud eum pu-
tetur aut non differre à temperamento aut inſeparabilem eſſe ab eo.
At non ſequitur inſeparabilem eſſe à corpore, ſi læſio aliqua ex cor-
pore ad illam accedat. Nam & lumini Solis idem uidemus accidere:
in Aethere enim puro clarius ſplendet, in aere caliginoſo obſcurius:
& per uitrum flauum omnia circunſtantia corpora colore flauo colo-
rantur, & per rubrum, aut viridem ſimili modo colores redduntur
circunſtantibus: ſic in intellectu ex deprauato principio deprauatæ
concluſiones eliciuntur: contingit autem deprauari ex vitio corporis
cui aſsiſtit. Non obſcurè autem Ariſtoteles. 10. Ethic. cap.7. innuit,
id diuinum quod in nobis eſt, mediam quandam naturam habere in-
ter diuiniora & mortalia, cum inquit. Si igitur intellectus diuinum
C quid eſt, ſi ad hominem reſpiciamus: Sic vita quæ ex intellectu tra-
ducitur, ſi humanæ uitæ comparetur, diuina etiam ipſa eſt. Quaſi ſi
comparetur ſubſtantiæ diuiniori, nequaquam abſolutè diuinus di-
cendus ſit. Antiqui hanc naturam mediam Dæmonem uocabant,
vt legitur apud Platonem in Conuiuio. Etenim omnis natura Dæmo
num inter mortales Deosve eſt media: interpretatur & traiicit huma-
na ad Deos: diuina ad homines: per hanc inquit vaticinium omne
fieri, & diuinationem omnem & Magicam. Nam Deum per id me-
dium commercium habere cum hominibus tum vigilãtibus tum dor-
mientibus: rerum enim omnium ſimulachra, quæ dormientibus oc-
currũt, aut uigilantibus ſine arte, Dæmonum machinatione produ-
ci. Multos præterea eſſe Dæmones ac varios, ex quibus vnus Amor
eſt. Quoſdam etiam animalibus gregatim diſtinctis præeſſe tanquam
diuinos paſtores: appellatos autem eſſe Dæmones quaſi ſapientes &

fęlices: ab his homines quoſdam Dæmonios uocari, in quibus opera Dæmonia & vires adſunt. Refert & Socratis Dæmonium à pueritia habitum: vox erat quædam, inquit, quæ cum fiebat, diſſuaſionem tã tum innuebat, prouocabat vero nunquam, idque tum circa ſe ipſum, tum circa amicos. Quæcunque autem fiebant inuito Dæmone, omnia malum ſortiebantur euentum. Idem ingenij vim & in diſputando ſolertiam ijs communicabat, qui cum Socrate verſarentur, vel ſi in eadem domo eſſent, magis tamen ſi in eadem parte domus: adhuc magis cum dicentem Socratem intuerentur, aut iuxta ſedentes tangerent quoquo modo. At non omnes Dæmonia illa vox admittebat. Idcirco concludentem introducit Socratem aduerſus eius calumniatores, tanquam Deos non admitteret. Qui concedit opera Dæmonia eſſe, ex neceſsitate Dæmones admittere, hos autem aut Deos eſſe aut Dei filios. Teſtatur quoque in Cratilo, teſte Hæſiodo. Dæmones eſſe aureum genus hominum, ideſt bonum & præclarum, poſtquam ex hac vita diſceſſerint: fieri enim Dæmones ſanctos, terreſtres optimos, malorum expulſores, & cuſtodes hominum. Hæc apud Platonem & multa alia de Dæmonibus habentur. D E

C A P. VII.

SED quoniam alia quidem fabuloſè tradita ſunt, alia verò vt ad captum hominum magis eſſent accommodata: nec omnia quadrant principijs Peripateticis, ſatius fuerit ſentẽtiam Ariſtotelis de ijs afferre, ſi quæ habeantur aut ab eo ſcripta, aut quæ facile colligantur ex eius dictis. Reperio autem in lib. de Diuinatione per inſomnia: Dæmonia dici ab eo ipſa inſomnia, & naturam Dæmoniam. Dæmonis quoque meminit aliquando obiter: ſed quid ſenſerit de eo, non aperuit. At Dæmones eſſe eo argumento colligere poſſumus apud ipſum, vt Socrates colligebat. Qui aſſerit Dæmonia eſſe, ex neceſsitate fateri cogitur Dæmones eſſe. Ariſtoteles aſſerit Dęmonia eſſe, ſcilicet inſomnia & naturam: ergo Dęmones eſſe à quibus denominata ſint, fateri neceſſe eſt. Videtur autem Philoſophus intellexiſſe naturam illam mediam inter Deum & res mortales, quam præ diximus, Dæmonem eſſe: cum enim negaſſet inſomnia à Deo mitti, vt quidam putabant, quia contingunt non ſolum prudentiſsimis, ſed quibuſcunque etiam ſtultis, & aliorum animalium quibuſdam: eſſe tamẽ, inquit, inſomnia Dęmonia, quia natura Dęmonia eſt nõ Diuina. Quamuis igitur in natura contineatur Diuinum quid, non tamen meretur nomen diuini, ſed Dæmonij, quia inſequitur ſapientiam intelligentiæ, vnde admirabilis redditur etiam in minimis quibuſque: & inſomnia Dæmonia ob admirabilem vim imaginationis. Et quos F

Plato

A Plato Dæmones præeſſe teſtatur animalibus gregatim diſtinctis tanquam diuinos paſtores, apud Ariſtotelẽ fuerit vniuſcuiuſque ſpeciei principium, vnde exortus eorum animalium, & cõſeruatio habetur. Quòd ſi conceduntur hoc modo Dæmones in tota natura: aliud genus longè præſtantius dicendum eſt in hominibus eſſe. Non enim tantum gregatim totius ſpeciei eſſe, ſed ſingulis hominibus propriũ eſſe Dæmonem: ineſt enim ſingulis intellectus ſeparabilis numero diſtinctus. Hic autem, cum ſeparatus fuerit à corpore mortali, in ijs qui boni, & præclari extitere, apud Hæſiodum Dæmon propriè vocatur, quaſi in vita obruatur eius virtus à corpore, vt non mereatur nomen Dæmonis. Si verò adhuc aliud genus detur in Aethere homine præſtantius, vt Ariſtoteles concedit, apud Lunam erunt, & hi Dæmones diuiniores. Cum autem in omni genere ſit pulchrum & turpe, bonum & malum, vt ſuperius probatum eſt: erunt & Dæmo-
B nes alij boni, alij mali, benefici & malefici: Græci illos Eudæmones, hos Cacodæmones vocant. Qui tribuunt ſtellis omnem diſpenſationem bonorum, & malorum in hæc inferiora, vt Aſtrologi, varios Dæmones pro natura ſtellarum ponunt, qui hominibus diſpẽſentur. Sed cum id non concedatur à Peripateticis, non enim à motu, & lumine pendent niſi qualitates corporeæ: ratio autem ſubſtantiæ habetur, à diuiniori principio, ideſt ipſo optimo. Dæmones igitur non à ſtellis communicantur. Cum autem ipſum optimum impartibile ſit, varia bonorum diſpenſatio erit pro varietate recipientium, ſeu pro meritis materiæ: hæc autem per appetitum, & appropinquando ad ipſum magis, & minus fruitur. Ille igitur Dæmon, qui ardẽtius amat ipſum optimum, vnde haurit fœlicitatem, altius extollitur: è contra qui magis vergit ad imperfectionem materiæ, ad priuationem tendit: & quo magis in affectibus huiuſmodi obruitur, eo infœlicior reddi-
C tur. Vt enim in generatione, & corruptione potentia materiæ ad vtrunque, & approximatio ad alterum contrarium, efficiunt vel hoc, vel illud. Sic in ſubſtantia intellectuali voluntas eſt, veluti materiæ potentia: ad vtrunque enim flecti poteſt: contraria autem ſunt pulchrum, & turpe: Non eſt igitur alia cauſa quærenda: cur Dæmones alij diuiniores, alij minus habeantur: & in vnoquoque gradu, quidã fœlices, quidam infœlices exiſtant. His porrò optimè quadrat triplex eorum ordo, ſcilicet infimus, ſupremus, & medius: vt infimus ſit brutorum, & cæterorum viuentium: ſupremus eorum, quos Aethereos appellauimus: medius ipſorum hominum. Tradunt & Dæmones quoſdam familiares, quoſdam peregrinos: familiares, quos ab ortu habemus, & eſt vniuſcuiuſque proprius intellectus, qui in ſemine continetur, datus quidem vt ipſo bono, & pulchro fruatur, procliuis tamen ad vtrunque, vnde duplex Dæmon ſingulis aſsignatus dicitur:

bonus

bonus qui dirigit ad bonum: malus qui ad malum. Peregrini autem ſunt, qui poſt ortum adueniunt, aut manifeſtantur. Creduntur hi animum noſtrum in corpus quoddam aereum transferre, vt ea quę remota ſunt, proſpiciamus, & curemus. Sed quid de his ſentiendum, commodius inferius dicemus. Nunc enim ſatis eſt noſſe proprium vniuſcuiuſque Dæmonem in corpore mortali occupatum, à peregrino aliquo abiuncto à corpore, aut ſint defunctorum animæ, aut alia Dæmonum genera, excitari, & trahi ad bonum, vel malum pro eius conditione. Prout igitur anima his, aut illis adhæſerit, particeps fit naturæ eorum. At Dæmonum proprietates, & vires Ariſtoteles minimè perſecutus eſt: pertinent enim hæc non ad naturalem Philoſophiam, ſed ad eam, quæ agit de ſubſtantiis abſtractis. Similiter dixit Ariſtoteles.1.Phyſ.tex.83. De principio ſecundum ſpeciem, vtrum vnum, an plura, & quod & quæ ſunt, cum diligentia primæ Philoſophiæ opus eſt determinare. At de his abundè ab antiquioribus Philoſophis, ac Theologis tractatum fuerat. Multa enim de ijs apud Platonem legebantur: nec non Hæſiodum, & Homerum antiquiſsimos Poetas: Præterea vulgatiſsimum erat apud omnes penè gentes Magiæ nomen, quæ Dæmonum inuocatione admirāda præſtabat: & innumera habebantur exempla eorum, quæ arte prædicta geſta fuere: vt negare tam celebrem facultatē ſine ingenti temeritate non liceret: Accidit autem in his, quod ſcribit Ariſtoteles in Diuinatione per inſomnia contingere: cū enim nulla rationabilis cauſa videtur, per quā fieri poſsit, tollitur fides, vt putet quis impoſsibile eſſe, cuius cauſam non videt. Sic hodie multi negant, quæ tot ſeculis comperta, & confeſſa ſunt. Teſtatur & Plato hæc & cætera huiuſmodi, quo pacto natura ſe habeant, nec facilè ſciri poſſe, nec ſi quis ſciat aliis perſuaderi. Quid igitur mirum, ſi Ariſtoteles ob prædictas cauſas diſputationem huiuſmodi prætermiſerit? Nobis autem ac cæteris omnibus Chriſtianam fidem ſequentibus gratiæ præ cæteris Deo optimo maximo habendæ ſunt, quod diuina quadam ſorte datum eſt ea noſſe, in quibus tot Philoſophi propriis viribus nixi veluti balbutientes hæſitarunt. Quæ enim humanum ingenium attingere nunquam potuiſſet, reuelata nobis ſunt in Sacra Theologia: & quæ in ea minus aperta erant, explicata ſunt à doctiſsimis, ac lucidiſsimis Romanæ eccleſiæ doctoribus. Inde igitur vt reliqua Myſteria, ſic & Dæmonum naturas, ac differentias vnuſquiſque addiſcere poteſt. Qui autem à cæteris ſcriptoribus communi nomine Dæmones vocabantur, in ſacra Theologia diſtinguuntur. Qui enim bonis adminiſtrandis præſunt, Angeli vocantur: qui verò malis, Dæmones & Dæmonia. Angeli immediatè ſub diuina eſſentia conſtituti ſunt tribus ordinibus, veluti Cœlis pro eorum nobilitate, ac præſtantia diſtantes ternis ordinum ſingulorum Choris,

A Choris, vt ex omnibus nouem fiant, quibus data eſt totius mundi gubernatio: vt ſingulis hominibus, familiis, ciuitatibus, ac prouinciis diuina prouidẽtia proprius datus ſit ad cuſtodiam. Dæmones totidem ordinibus, & choris à ſummi boni participatione delapſi in hũc mundum inferiorem, quibus vexatio omnis ob diuinam iuſtitiam, & malorum adminiſtratio tributa eſt. Sed noſtrum inſtitutum non eſt, ea percenſere, quæ clariſsimè à Theologis explicantur. Satis enim viſum fuit, ſi ea principiis rerum naturalium conſentire oſtẽderimus: quod cũ hucuſque factũ ſit, reliqua eodẽ modo Peripateticè perſequamur.

CAP. VIII.

PROPOSVIMVS autem quærendum, vtrum morbi ab ijs ſubſtantijs contingant. Conſideranti igitur morbum præter naturam quid eſſe, naturales enim functiones impedit: & ad corruptionem ducit ipſam naturam: non niſi ab altero principio ortum ducere manifeſtum eſt, ſcilicet eo quòd ad maleficium tendit. Ad alterum enim principium, quod bonum, & pulchrum dicitur, perfectio vniuſcuiuſque ſpectat, & conſeruatio. At verò cum ſanitas, & morbus ex ijs ſint, quæ cauſas proximas naturales habent: ſunt enim affectiones naturales, non videbuntur præſtari poſſe à Dæmone abſque mediis naturalibus. Nam neque ab arte ſanitas introducitur ſine media natura. Hoc autem modo fruſtra quæritur à medico, ſi quid Diuinum ineſt in morbis: cum in omnibus eadem ſit ratio. Omnia enim, quæ fiunt, ex contrariis fiunt: contraria autem omnia ad eadem principia reducuntur ſecundum analogiam, in quibus Diuinum ipſum ineſſe diximus, ſeu Dæmonium. Hanc ſententiam comprobare videtur Auicenna, cũ de Melancholia morbo loquens, C inquit: Quibuſdam viſum eſſe Melancholiam contingere à Dęmone, quod ea ratione fieri poſſe exiſtimat, quia à Dæmone immutari poſsit temperamentum, quo generatio fiat atræ bilis, quæ cauſa naturalis eſt, & proxima Melancholiæ, quam quærunt medici Phyſici. Ariſtoteles quoque in Problematibus Sect.30.proble.1.ad cauſas naturales reducit ea, quæ in homine ſupra naturam fieri uidentur: tribuit enim caliditati atræ bilis, cum ſedi mentis in vicino exiſtit, cur multi morbis veſaniæ implicantur, aut inſtinctu lymphatico inferueſcunt, ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchantes: & omnes qui Diuino ſpiraculo inſtigari creduntur: cum ſcilicet id non morbo, ſed naturali intemperie accidit. Et Maracum Siracuſanum tradit poetam, qui dum mente alienaretur, præſtantior erat. Putauerunt multi Ariſtotelem omnino negaſſe etiam Dæmones, cum in 3. de Ani. tex.61. probat omne corpus habens animam, & intellectum diſcretiuum,

non manſiuum exiſtens, ſenſum quoque habere, ſiue generabile, ſiue D
ingenerabile ſit. Quid enim aliud intelligi poſsit per corpus ingenera
bile intellectu præditum, ac non manſiuum, quam Dæmonum ſpiri-
tum? Cęleſtia enim corpora in eodem manſiua ſunt: humana autem
generantur, & corrumpuntur. Si ergo ſenſum tactus ineſſe omnibus
non mãſiuis neceſſe eſt, hic autem corpus requirit non ſimplex, vt eſt
ſpiritus, ſed compoſitum ex quatuor elementis: non ergo ingenera-
bile quoddam corpus erit intellectu præditum non manſiuũ exiſtens.
Ex quo videtur inferri poſſe Dæmones non eſſe. Ponuntur enim Dæ
mones ſpiritus quidam, ſeu corpora aerea ad motũ agiliſsima, vt apud
Platonem colligitur. Vniuerſaliter autem hoc pacto probari poteſt,
nullum eſſe opus in rebus caducis ſupra naturam. Cum enim caduco
rum caduca ſint principia, & ęternorũ ęterna: ęternis ſubſtantiis nul-
lum opus caducum aſcribi poteſt, niſi medio caduco. At huiuſmodi
ordo naturalis eſt: hoc enim modo fiunt quæcunque oriuntur, & in- E
tereunt. In oppoſitum tamen afferuntur experimenta multa circa ma
gicas artes, & incantationes, quibus ea fiunt, quæ ordine naturali im-
poſsibilia omnino videntur. Nam vt cætera ſileam, quæ priſcis tempo
ribus geſta ſcribuntur tum circa occultorum manifeſtationes per ora-
cula, auſpicia, exta: & tandem per inuocationes inferorum, quam
Necromantiam vocant: tum verò circa veneficia cantibus, aut aliis ſu
perſtitionibus illata nõ ſolum hominibus, ſed iumentis, & arboribus,
cæteriſq; viuentibus: in quorum ſupplicia extant leges, & apud Pla-
tonem, & apud Iuriſconſultos Romani Imperij: tantum ea recenſere
placet, quæ noſtris temporibus comperta ſunt. Vigent enim adhuc
apud nos in pleriſque locis, qui ſuperſtitionibus quibuſdã, & ritibus
obſeruatis maleficia dictu incredibilia, & valde portentoſa efficiunt,
præcipuè inter mulierculas, & ex infima plebe viros: quorum multi
poteſtate Præſidum deprehenſi, in tortura & iudicum examinatione F
non ſolum flagitia confeſsi ſunt, ſed & principia, quibus in hanc ſa-
crilegam profeſsionem ſunt aſciti. Ex quibus non mediocris cogni-
tio habetur ad eorum, quæ nunc quærimus, certitudinem.

CAP. IX.

REPERIO autem circa quatuor genera maximè verſari ſuper
ſtitiones omnes ſcilicet: præſtigium: Maleficium: Diuina-
tionem: & ſanationem. Quorũ duo poſtrema videntur qui-
dem ſpeciem boni continere, ars autem, qua illa efficiunt, non minus
flagitioſa eſt & execrabilis. Præſtigium illuſio eſt, qua ſenſus decipiun
tur. Præſtigio utuntur & maleficæ mulieres, cum nocturnis incurſi-
bus ſpecie bruti vt lupi aut felis vagantur, vt infantes rapiant, aut ſuis
venefi-

A veneficijs contaminent. Sunt quibus præſtigioſa Maleficarum arte virilia membra amputata videantur, vt nullum eorum veſtigium appareat. Referunt enim quoſdam iuuenes in Germania ex improuiſo ſua membra genitalia amiſiſſe, quam rem cum alijs communicaſſent, moniti ſunt, id ex maleficio contigiſſe: idcirco comperta Malefica, quæ in vindictam illatæ iniuriæ id perpetrauerat, ab eadem ſoluto maleficio reſtituta ſunt, quæ putabant amiſiſſe. In Cypri Salamine, cum Nauis appuliſſet cõmeatus emendi gratia, referunt iuuenem è naui egreſſum à muliere quadam oua emiſſe, quæ cũ comediſſet in littore, poſt vnius horæ ſpatium vocem amiſiſſe ac ſemiſtolidum redditum: cumque nauim conſcendere tentaſſet, repulſum à ſocijs fuiſſe illum non agnoſcentibus, ſed Aſinum putantibus. Cum autem miſer ne quicquam ſignificare verbis poſſet, ac nauim iam è portu ſolutam conſpiceret, anxius & conſilij inops ad mulierem reuertitur, cuius maleficio B detineri ſe ſuſpicabatur: apud quam cum nullum auxilium impetraret, occaſionem expectans per triẽnium ruri manſit interdiu quidem more Aſinorum onera portans, noctu autem concumbens cum muliere, continuè mutus, vt nemini communicare poſſet veneficæ præſtigium. Caſu autem cum in oppidum perductus eſſet, & ante templum pertrãſiret, viſus eſt à mercatoribus quibuſdam Genuenſibus Aſinus cruribus poſterioribus flexis & anterioribus eleuatis ſanctiſsimi Sacramenti eleuationem, quæ tunc forte agebatur, adorare: quo perſpecto prodigio mercatores rati mulierem Aſinum ducẽtem maleficam eſſe, (nam id genus præſtigij in Aſia frequẽs erat) Præfecto vrbis rem denunciarunt, cuius iuſſu mulier deprehenſa & maleficium confeſſa, ſpe veniæ iuuenem in priſtinum ſtatum reſtituit, qui confeſtim ad patriam redijt: ſed mulier condemnata pœnas luit. Hæc atteſtantur nõ omnino fabuloſa eſſe, quæ à Poetis ſcribuntur de Circe & Vliſsis ſocijs ab ea conuerſis in bruta. Quo autem modo hæc ad præſtigium C reducantur, inferius explicabitur.

CAP. X.

Maleficiorvm verò genera multa ſunt incantationibus, nodis, imaginibuſque illata. Nam alia hominum mentes perturbant, coguntque ſuccumbere vehementibus animi motibus, vt intenſo amore ingenito, aut odio efferato, aut terrore alijſque huiuſmodi animi vexationibus. Alia venereos actus impediunt: alia conceptus: alia fœtum ipſum demoliuntur. Plurima vero infantes lędunt, & ad perniciem ducunt: Adultos enim genere morborum infeſtant, lepra, epilepſia, doloribus, neruorum diſtenſionibus, reſolutionibus, atrophia, morbis acutis. Alia præterea iumentis nocent, aut ene-

cando, aut lactis extinctione & abortu. Alia arboribus & frugibus no D
xia ſunt. Sunt tandem quæ aerem turbant pluuijs, grandine, procellis, fulminibus. Transferuntur & hac arte corpora per aerem, vt volare videantur. Eorum exempla extant innumera, ſed breuitatis cauſa pauca quędam recēſere placet: In Hetrurię oppido Sangeminianenſi iuuenis adeo perdite veneficam mulierem adamabat, vt propriā uxorem quamquam formoſam & honeſtam ſimul & filios relinqueret, & cum pellice ſuorum immemor vitam traduceret, donec vxor de maleficio monita eo conceſsiſſet, hæc clam perquiſito maleficij inſtrumento inuenit ſub lecto bufonem olla incluſum conſutis oculis: Eo igitur abrepto & ſolutis eius oculis, poſtea igne cremato confeſtim vir ſuorum recordatus tanquam è ſomno ſurgens ad vxorem & filios reuerſus eſt. Alibi reperta ſunt vel ſub limine vel in angulis capita ſerpentum, & pelles: ijs enim fatentur maleficæ ſe vti ad odiū concitandum: Quædam auditæ ſunt iactantes ſe ſua excremēta propinaſſe præcipuè E
menſtrua, quibus cogant ſe amari. Qui autem circa vſum veneris impotentes ex maleficio redduntur, viri magis quam mulieres reperiuntur, idque pluribus modis. Nam alijs ob occultum odium erga vxores proprias friget Venus, at erga alias mulieres nequaquam: alijs ob membrorum impedimenta id contingit, vel quia membrum genitale intendi nequeat, vel ſemen emittere: aut quia corpus aliquod interponatur ingreſſum prohibens, quod genus maleficij frequens eſt. Comes quidam traditur in Argentinenſi, qui cum vxorem duxiſſet, per trienium complere Veneris officium nequiuit. Caſu autē de occultato maleficij inſtrumento certior redditus, liberatus eſt: reperit enim in puteo ollam, in qua ſeruabātur veneficia. Repertum eſt ex eodem maleficio ſterilitatem non ſolum in hominibus, ſed & iumentis & omnibus in eadem domo habitantibus inferri, quo deleto omnibus reſtitutam fęcunditatem. Mulieri cuidam contigiſſe teſtantur per multos F
annos abortum feciſſe, fętu ſepties enecato in vtero, quo tēpore idem contigiſſe iumentis & pecoribus & omnibus vtero gerentibus Maleficus qui id perpetrarat, confeſſus eſt ſub limine ſerpentem condidiſſe: ſed perquiſito ſerpente puluerem tantum ob temporis diuturnitatem inuenerunt, quo exuſto, in futurum nullam noxam ſenſerunt. Mulier quædam nobilis cum vtero geſtaret ab obſtetrice monita ne egrederetur è Caſtro, quia maleficam celebrem nouerat, quæ ſolo tactu maleficiū inferebat & aborſum parabat: oblito cōſilio exijt viſitandi gratia alias mulieres ad conuiuium congregatas: ſedenti autem & confabulanti acceſsit ſalutandi gratia quædam, quæ manibus uentri admotis fętum cōmouit. Domum igitur reuerſa eiecit fętum in fruſtra comminutum. Infantibus autem nuper natis maleficæ maxime inſidiantur: nam ſumma facinora per eos perpetrant, vt inferius patebit. Sed

iam

A iam exempla morborum afferamus, qui ex maleficijs ortum ducunt. Cum in Baſilienſi quidam aduerſus rixoſam mulierem verba cõtume lioſa protuliſſet, illa indignata minas adiecit, breui illum ſenſurũ vindictam. Eidem nocte ſequenti puſtula orta eſt in collo, quam cum fri caſſet, intumuit cum collo & facies: tandem ſpecie lepræ per vniuerſum corpus diffuſa eſt fęditas. Aeger confeſtim rem amicis, & conſulibus communicauit: inde mulier capitur, quæ expoſita quæſtionib. crimen fatetur. Quo autem medio id feciſſet, interrogata reſpondit: Dæmoni ſuo familiari id iniunxiſſe, qui amplius quam petijſſet, pręſtitit. Alia malefica condemnata cum per lictorem ſuper ſtruem lignorum pro incendio ſibi parato à terra eleuaretur, dixit: dabo tibi mercedem, quo dicto inſufflauit in eius vultũ & ſtatim lepra horribili per totum corpus oborta paucis poſtea ſuperuixit diebus. Morbum autẽ comitialem ab iiſdem infligi ſolere compertum eſt per oua ſub defun B ctorum cadaueribus inhumata alijſq; ceremonijs adhibitis, ſi dentur in potu aut cibo. Dolores in quibuſdã vehemẽtes excitatos eſſe exempla adſunt in iudicijs patefacta. In Germaniæ Iſpruch mulier quædam honeſta cum deteſtaretur alterius cuiuſdam ſuperſtitiones, minantem audiuit, tertia die ſenſuram rei euentum. Cum igitur tertia die ſurrexiſſet, momento punctiones in totis viſceribus acerrimas ſenſit, ac veluti carbones ardẽtes capiti impoſitos: mox puſtulæ toto corpore frequentes obortæ ſunt albæ & ſanie plenæ, quibus cum aſsiduè infeſtaretur, de maleficij inſtrumẽto edocta reperit ſuper oſtium repoſitum linteum, in quo incluſa erant grana quædam alba puſtulis, quas patiebatur, ſimilia: ſemina quoque varia leguminũ, & ſerpentum aliorũq; animalium oſſa, quibus igni traditis confeſtim ſanitati reſtituta eſt. Altera in eodem oppido poſt maleficæ cuiuſdam minas correpta eſt doloribus vẽtris acutiſsimis, quaſi duo gladij aduerſi infixi eſſent in vtro C que latere: cum igitur die noctuq; excruciaretur, amicus inſtrumentũ maleficij reperit: erat autem ſub limine cærea imago, cui duo acus vtrinque infixæ erant, comitantibus alijs rebus varijs, quibus combuſtis illico dolor diſceſsit. Membra autem totius corporis motu priuata ex maleficio fuiſſe, exemplum eſt in Brixienſi: cum enim nuptiæ celebrarentur, quædam ex conuocatis, cui pridem ſponſus coniugij anulum promiſerat, malum ſponſæ ominata eſt audientibus omnibus inquiens: Paucos dies ſanos poſt hanc habebis, quod & contigit: Nam non multo poſt in prædictum morbum incidit, & immobilis toto corpore vixit. Alia ſimili modo & ob eãdem cauſam audito infauſto nuptiarum ómine, non multo poſt ex morbo acuto decumbens interijt. Quidam cum amaſiæ quadam nocte negaſſet accubitum, nuncio ab eadem accepto, non diu ſe illam vexaturum, ſequenti die morbo correptus poſt paucos dies obijt. Non deſunt & eorum exẽpla, qui men-

te ſunt læſi: qui toto corpore extenuati & aridi effecti ſunt: qui cæci, claudi alijſque diuerſis morbis. ob maleficia detenti ſunt: ſed hæc quæ ex fide dignis propoſita ſunt, & publicis apud diuerſos iudices confeſsionibus habita ſufficiant. D

CAP. XI.

DE maleficijs autem in iumenta & pecora illatis extant exempla. Nam qui ea perpetrarunt, inter cætera confeſsi ſunt, aliquando ſolo viſu, aliquando etiam tactu, aliquando inſtrumẽtis adhibitis diuerſis, vel ſub limine ſtabuli, vel vbi aquã hauriunt, eaque omnia nutu Dæmonis effeciſſe. Quidam equorum locator cũ ſibi multos equos perditos per ſuſpectã quandam maleficam ſenſiſſet alio quodam empto illam deterruit, iurans ſe proprijs manibus illam interfecturum, ſi equus interiret vt cæteri: ſic equus ſeruatus eſt: ſed capta malefica inter cætera facinora id quoque faſſa eſt: interrogata autẽ de modo reſpondit, ſe nil aliud feciſſe præter foueam, qua facta Dæmonem ignota quædam inieciſſe. Aliæ modũ extinguendi lactis patefecerunt. Cum enim præſto ſibi eſſet aliqua portio lactis, ſuper id ceremonias quaſdam adhiberi dixerunt: vt autem lac haberent, quibuſdam noctibus ſacratioribus in angulis domus collocare vrceum, quem inter crura tenentes mulgere in eũ ex cultro aut alio inſtrumento parieti infixo nomine eius animalis, cuius lac expetũt: ſic enim ope Dæmonis lac adeſſe. Frugibus autem & arboribus nocent aut ſolo afflatu, aut grandine concitata ac procellis, aut fulminibus. In Conſtantienſi cũ grando quædam ſæuiſsima cecidiſſet, quę & ſegetes ac vineas cõtriuerat in multam regionis amplitudinem, ſuſpectæ quædam maleficæ captæ ſunt, quarũ duæ faſſæ ſunt ſua opera id contigiſſe, ſed ſeorſum altera alterius nequaquam conſcia. Nam altera earum de modo interrogata reſpondit Dæmonem ſibi familiarem apparuiſſe & imperaſſe, vt aquæ modicum extra oppidum ferret, quia pluuias concitare vellet. Tuliſſe igitur quamprimum aquam, ad locum ſibi deſignatum, ibique reperiſſe Dæmonem ſub arbore ſtantem, qui præcepit effodi paruam foueam, & in eam effundi aquam, & digitum intromitti more ſolito verbis quibuſdam prolatis: quo facto confeſtim aquam in ſublime cum Dæmone elatam fuiſſe: & aerem turbatum, & non multo poſt grandinem cecidiſſe. Interrogata autem vtrũ aliæ mulieres huic operationi interfuiſſent, reſpondit, vidiſſe quidem ſe alteram ab altera parte arboris ſtantem, ſed cuius gratia neſcire. De ijſdem igitur altera à priori nominata cum interrogaretur, eadem reſpondit. Idcirco vtræque non ſolum propter hæc ſed ob multa alia facinora ad incendium condemnatæ ſunt. Sed mirum quod in Sueuiæ partibus contigiſſe E F

A giſſe ratum eſt: puellam octo annorum natam, cũ à patre qui villicus erat, ad viſendos agros manu duceretur, dum ille conquereretur de nimia temporum ſiccitate, dixiſſe, pluuiam ſe cito excitaturam, ſi ea opus eſſet. Admiratus pater interrogauit utrum ſciret id efficere: annuit ipſa non ſolum pluuias, ſed & grandines cum libuiſſet. Iterum interrogata, vnde didiciſſet, reſpondit ex matre: magiſtros autem horum præſto eſſe quandocunque vellent. Vt igitur experimento certior redderetur, an puella vera narraſſet, præcepit vt pluuiam acerſeret ſuper agrum ſuum. Ad id præſtandum puella inquit opus eſſe aquæ modico: cum igitur ad riuulum quendam propinquũ duxiſſet, puella iuxta doctrinam matris aquam digito commouit in nomine Dæmonis: hinc turbatus eſt aer, & pluuia deſcendit, vt prædixerat. Præcepit iterum pater, vt grandinem concitaret ſuper alium agrum: quod cum puella præſtitiſſet, pater rem iudici communicauit B vxorem accuſans. Capta igitur eſt malefica, & igni tradita: filia autem Eccleſiæ recõciliata, & Deo dicata in poſterum nequiuit amplius eadem præſtare. Viri etiam reperti ſunt, qui non ſolum grandines, ſed & fulmina concitabant, non tamen lædere poſſe fatebantur, quoſcunque vellent, ſed eos tantũ, quos Deus dereliquiſſet. Eorũ quidam hunc modum ſeruabat: in Campis principem Dæmonũ inuocabat, orabatque, vt aliquẽ ex ſuis mitteret, qui deſignatum à ſe percuteret fulmine: cui poſtea in biuio pullum nigrum immolabat, & in aerem proijciebat, quem cum Dæmon aſſumpſiſſet, procellam acerrimam concitabat cum fulmine: ſed raro in hominem deſignatũ cecidiſſe. Omnium verò nefandiſsimus eſt modus, quo efficiunt, vt iacula à ſe proiecta infigantur, quibus voluerint, etiam ſi in abſcondito delituerint, dummodo fuerint antea viſi. Tot autem in ſingulis diebus hoc modo interficere poſſe, teſtantur, quot ictus ab initio direxerint, cum C execrabilem ſuperſtitionem molirentur. Idem baliſtis, aut aliis bellicis tormẽtis attingere poſſunt minimum quodcunque ſignum, vt experimento compertum eſt apud quoſdam Germaniæ Principes, qui ijs in bello vtebantur. Cum enim Caſtrum quoddam obſideretur, quidam ex ijs celebris ſingulis diebus ternos homines transfixurum ſe promiſerat ſuis iaculis: nam poſt tres iactus non amplius pręſtare poſſe quam cæteri milites. Breui autem tempore effecit, vt Caſtrum deſolaretur, vnde direptum eſt. Idem iuſſu cuiuſdam magnatis coactus eſt ſagittam dirigere in paruum quoddã ſignum capiti proprij filij impoſitum, vt illud amoueret intacto filio, quod & magna ſpectantium admiratione effecit. Miraculo autẽ quodam repertũ eſt huius tanti ſceleris nefandiſsimum principium. Quidam enim ex ijs in Conſtãtienſi cum ſanctiſsimam Saluatoris noſtri imaginem ſuis ſagittis trãsfigeret, miraculo ſanguis exiit ex vulnere, quo viſo immobilis redditur miſer,

pedem ex eo loco auellere nõ potens: cumq́; à prætereuntibus in hoc ſtatu cõperiretur, (erat enim in biuio, vbi ſacellum fuerat conſtructũ) res præſidi denunciatur, cuius iuſſu fertur in carcerem, & flagitio patefacto ſupplicio traditur. Simile flagitium eorum eſt, qui iiſdem imaginibus vtuntur, vt ſeipſos inuulnerabiles præſtent. aut armaturas inuictas. Quam enim imaginis partem abſtulerint, & contriuerint, ſimilem ſui corporis partem promittẽte Dæmone inuulnerabilem reddunt. Sunt autem, & alij modi per carmina, & ſigna geſtata. D

C A P. XII.

TERTIVM ſuperſtitionis genus, quod occultorum manifeſtationem promittit, aliud circa theſauros abſconditos verſatur: aliud circa furta, & quaſcunque res amiſſas inueniendas: aliud denique circa præteritorum, vel futurorum prædictiones E
conſiſtit. Theſaurorum quidem indagatores per magicas facultates multos nouimus, ſed qui aſſecuti fuerint, compertum nõ habeo. Piſis tentauerunt quidam noſtris temporibus effodere, ſed rei difficultate victi ab opere ceſſarunt. Tandem anno elapſo locum, in quo Neronis edificia extitiſſe ferunt, hodie autem ſacris virginibus dicatum effodere cœperunt, vbi erat ingens Pini arbor. Sed à Dæmonibus adeo infeſtati ſunt, vt præ timore ab incepto deſiſtere coacti fuerint: quo tempore multæ ex virginibus locum habitantibus à Dęmone obſeſſę ſunt. Qui autem furta, & res amiſſas eadem arte inueniunt, vario ſuperſtitionis modo id præſtant. Nam alij aqua vtuntur, alij chryſtallo, alij vngue, aliisq́; ſimilibus corporibus nitidis, in quibus accerſito Dęmone puerum, aut puellã impuberem aduocant, vt inſpiciat: intuentur autem, veluti in ſpeculo omnia quæcunque geſta fuerint circa res, quas quærunt: ſæpe & vocem audiunt loquentẽ, quæ reliqui circun- F
ſtantes neque videre, neque audire poſſunt. Alij Dæmonem anulo incluſum gerunt, aut in vngue, qui res quas cupiunt, manifeſtat. Hoc modo apud exteras nationes ſtatuas reſponſa dediſſe, & Apollinis oracula, quæ ſcribuntur, reddita fuiſſe putandum eſt. Sunt qui conſcriptis ſine præmeditatione punctis, figuras eliciunt, ex quibus iudicant de agendis bona, vel mala ſint, quam artem Geomantiam vocant. Alij conſcriptos de bona, & mala fortuna libros conſulunt fortuito, in libelli particulam incidẽtes, in qua explicatur, quod quæritur. Sed hæc, vt plurimum apud cęteros vana reperiuntur, vera autem apud eos, quibus Dæmon cooperatur. Vltimum ſuperſtitionis genus, quo in ſanandis morbis vtuntur, cum præ cæteris ſpeciem boni habere videatur, frequentiſsimũ vbique eſt, adeo vt plerique ſuperſtitioſas mulierculas potius conſulant, quam medicos medijs naturalibus ſanãtes.

Præcipuè

Præcipuè verò ad has confugiunt, cum ex maleficio morbum contigiſſe ſuſpicantur, putantes morbos incãtatione illatos nulla alia ratione ſanari poſſe. Efficiunt autem id, vel illimet, qui maleficia commiſerunt, apud quos facilior eſt modus ſoluendi nodos, & irrita reddendi maleficia, quorum authores ipſi extiterint, quamuis fateantur non omnibus id datum eſſe. Audita eſt enim aliquando malefica mulier alteri obiiciens, multo peiorem eam eſſe, quia maleficia, quæ commiſiſſet, ſoluere neſciret. Sunt igitur quidam, qui conſtruere poſſunt, deſtruere autem nequeunt. Alij ſoluunt tantum, & non conſtruunt: alij vtrunque præſtant. Extitit quondã in Germania famoſiſsima quędam mulier in ſoluendis maleficijs, cuius domus non ſolum ab indigenis, ſed etiam à remotiſsimis populis eius gratia frequentabatur magis quam templa celeberrima: Adeo vt Comes quidam Caſtri Thelonei incredibilem quæſtum extorſiſſet vectigali indicto, vt quicunque mulierem adiret, denarium ſolueret. Hæc ars medicinam pluribus modis labefactauit. Primò, quod non ſolum eos, qui ex maleficio ortum duxerunt, ſed & cæteros quoque morbos ſanare promittit: vt apud pleroſque medicina ludibrio habeatur, quod ſalubriores, ac certiores euentus ex mulierculis inueniant, quàm ex medicis. Deinde quoniam hominum curioſitate potius, quam doctrina remedia multa tanquam arcana ex arte magica in medicinam translata ſunt. Sic enim multis modis medicinæ ſcientia vndique conſpurcata remediorum vanitate ſæpe coarguitur.

CAP. XIII.

QVAMVIS autem ſuperſtitionum omnium principia aliqua ex parte in ſupradictis hiſtorijs tacta ſint: tamen ne quis putet ijs obſeruatis eadem ſe præſtare poſſe, quæ illi præſtiterũt, quaſi in carminibus, aut imaginibus, aut cæteris huiuſmodi vis illa contineatur: placet ea explicare, quæ ab ijſdem in publicis facinorum confeſsionibus circa eorum principia, & profeſsionem patefacta ſunt. Ex his enim dicendorum veritas magis eluceſcet. Repertum eſt igitur omnes huiuſmodi artes ac ſuperſtitiones ex comercio Dæmonum cum hominibus ortum duxiſſe, contracto inter eos pacto aliquando quidem ſolemni & publico, aliquando verò priuato, aut expreſſo, aut tacito. Vt autem facilius in hanc hæreſim ſeducantur ſimpliciores: qui prouecti in ea profeſsione ſunt, diſcipulos ſibi alliciunt perſuadentes aliquod ex priuatis ac tacitis pactis contrahere, vt paulatim aſſueſcant, & ad maiora veniant. Conſiſtunt autem pacta in his, ex parte quidem diſcipuli, vt aliquid labefactet eorum, quæ ad cultum Diuinum pertinent, præcipuè ſacramenta, tacito quidem modo, vt cum ſacris verbis,

aut

aut in celebratione diuinorum verba aliqua vana, aut profana iubent D
intermiſceri, aut geſtus, aut abſcondi corpora, quædam, vbi ſacra admi niſtrantur, quibus vtantur in ſuis operibus. Expreſſe autem, cum vilipendere diuinos ritus ſuadent. Ex parte autem Dæmonis promittentis quod plurimum à diſcipulo deſideratur: vt ſi amans fuerit, finem amo ris optatum: ſi in paupertate conſtitutus, diuitias: ſi morbo aliquo vexatus, ſanitatem, & ſimilia. Hæc igitur Dæmon aliquando per mediam aliquam maleficam procurat, aliquando per ſe ipſum alloquens in forma viri. Magis autem ſeducuntur mulieres, & quia facilius flectuntur il lecebris, & quia ratiocinio minus valent. Viri quoque effeminati, aut diſſoluti, & quicunque ingenio minus pollent, potiſsimum Magicis va nitatibus irretiri ſolent. Nullum eſt autem obſequium, quod à Dæmone hominibus ſibi deditis non pręſtetur. Sed exempla in Italia quidem rara ſunt, extant tamen nonnulla: At in Germania, & Britannia frequentiſsima, ac multo magis in Inſulis ad Aquilonem ſpectantibus. E
Referunt enim vbique obuios Dæmones, qui ad omnem famulatum inſeruiant: vt etiam alicubi eorum opera metalla è ſubterraneis eruantur. Efficiunt autem hæc aliquando inuiſibiles, aliquando perſonam aſ ſumentes famuli aut alterius cuiuſquam. Idcirco, & maleficæ mulieres frequentiſsimæ, in prædictis locis reperiuntur: & viri magicis addicti: quorum extirpandorum gratia, quondam ab Innocentio VIII. Pontifice Maximo Theologi Inquiſitores duo in Germania cóſtituti ſunt, quorum alter breui tempore, vltra quadraginta ad ignem condemnauit, alter propè quinquaginta: ex quorum publicis in iudicio confeſsio nibus plurima eorum, quæ hic ſcribuntur, deſumpta ſunt. Solemnis au tem modus ſacrilegæ profeſsionis in duobus conſiſtit: quorum vnum eſt, vt qui iam initiati fuere, ducti ab aliquo ex profeſsis in publicum lo cum, in quem certis diebus conuenire ſolent, præſente Dæmone in forma viſibili ac ſtipulante, iurent omnimodam Catholicę fidei abne- F
gationem cum omnibus eius myſterijs: Dæmoni autem promittant in tegram obſeruantiam, recepturi ab eo quicquid petierint. Alterum ve rò vt Magiſterulo quem vocant promittant animæ & corporis dominium: quod aut eodem tempore præſtant, aut in futurum, poſtquam agnouerint eos toto corde confirmatos in ſcelerata profeſsione. Quibus peractis iam ad nefandiſsimos ritus accedunt: Nam iubent infantes rapi, ceremonijs quibuſdã immolari: poſtea decoqui donec tota ca ro in ſuccum contabeſcat: & de ſolidiori materia vnguentum parari, quo perunctos transformari, & per aerem ferri poſſe: Reliquum liquo rem in vtre ſeruari, cuius potu ceremonijs quibuſdam adhibitis conſcios totius portentoſæ artis reddi. Tanta autem auiditas, vel potius rabies innaſcitur humanæ carnis, vt è ſepulchris, cum alia non ſunt ad manus, cadauera furentur, & proprios quoque filios deuorent. Ex hac

A ſecta Cyclopas, & Læſtrigonas fuiſſe in Italia & Sicilia memoria eſt, hominibus veſcentes: vnde & hodie vulgò Striges & Strigones vocantur. Author huius immanitatis Hoſthanes traditur, qui ex Perſide Xerxem comitatus in bello, quod is Græciæ intulit, Magicem in Thraciam traduxit, ac veluti ſemina portentoſæ artis in tota Græcia aſperſit, obiter infecto quacunque commeauerat, mundo. Sed multo antea Zoroaſtres in Perſide inuentor eius traditur. Secundus quoque Hoſthanes Alexandri Magni temporibus authoritatem addidit. Ad Italas vero gentes tranſiſſe extant veſtigia eius in duodecim tabulis & Senatuſconſulto, ne homo imolaretur. Gallias quoque poſſedit. Nam Tiberij Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum, & hoc genus vatum Medicorũque. Quin & in Britanniam perueniſſe ferunt, vbi adeo attonite celebrabant, tantis cæremonijs, vt dediſſe Perſis videri poſſent. Hæc apud Plinium habentur, quæ cum ſcelerata noſtri temporis profeſsione B conſentiunt. Promittunt ijs, qui eos ritus obſeruauerint, blandiſsima & deſideratiſsima quæque poſſe opera admiranda, quæ recenſuimus præſtare, aut maleficijs inferendis, aut ſoluendis, aut vaticinando prout cuique libuerit. Amplius terrorem incutere ac tremorem ſatellitibus, qui eos apprehendere tentauerint. Cum verò apprehenſi fuerint, quocunque tormento veritatem ab ijs extorqueri non poſſe, inſenſibiles enim reddi ac taciturnos: flectere iudices ac præſides ad miſericordiam, ſi contigerit priores aſpicere quam aſpici. Quidam etiam condemnati igne cremari nequiuerunt, donec maleficij inſtrumentum manifeſtaretur, quod aliquando conditum geſtant, vel intra cutim cõſutum. Experimento autem inuenerunt maleficos coram iudice lachrimas effundere non poſſe quocunque tormento. Sed qui ea, quæ recenſuimus confeſsi ſunt, aut prius pænitentia ducti reuerſi ſunt ad fidem Catholicam, qui ſcilicet non toto corde in ſceleratam profeſsionem C fuiſſent ingreſsi: aut remedijs contra vim taciturnitatis coacti ſunt veritatem fateri. Repertum enim eſt aut in veſte, aut inter pilos corporis, vel etiam in pudendis abſconditum id, quod eos reddit taciturnos. Quotquot autem hoc modo victi ſunt, omnes veritate patefacta, obſtinati ſumma ſupplicia perpeſsi ſunt, ac plerique eorum vltro mortem ſibi in carcere conſciuerunt.

CAP. XIIII.

QVo autem execrabilis profeſsio in multos ſerperet aucto in dies numero profitentium: lex apud eos ſancita eſt, vt ſtatutis noctibus conueniant profeſsi in publicam concionem, aut per aeremà Dęmone tranſlati, aut ſi magis placet, in inſomnio recumbentes ſuper latus ſiniſtrũ cæremonijs quibuſdam adhibitis: ſic enim

noſſe

noſſe quæ in concione fiant, ac ſi in corpore intereſſent. Inibi igitur D epulari, ſcortari, ac genio indulgere, omnibus à Dæmone paratis: tandem ſingulis diſtribui officia, quæ niſi obſeruentur ad vnguem, pœnas infligi: Obſtetricibus præcipi, vt infantes ſtatim natos, priuſquam ad Baptiſmatis ſacramentum dicantur a parentibus, Dæmoni offerantur cæremonijs quibuſdam adhibitis: ſic enim propenſionem infantibus innaſci ad opera Dęmonia. Quod peſsimum eſt in hac ſecta. Nam maleficæ: obſtetrices quos infantes non occiderint ad ſua veneficia conficienda, ſi clam nemine vidente occaſionem arripere poſſunt, Dæmonibus deuouentes præparant multum profitentium numerum. Huius rei extat exemplum. Quidam, cum vxori tempus inſtaret pariendi nulla autem mulier præter filiam ad excipiendum fœtum in conclaui intromiſſa eſſet, clam quid intro fieret, rimari cœpit: cum igitur fœtus in lucem prodijſſet, vidit filiam obſtetricem puerulum execrationibus quibuſdam adhibitis in oblationem principi Dæmonum ad focum tuliſſe, & ad foci catenam ferream applicaſse: tunc rem inauditam vidit: E nam puerulus nemine ſubſtentante aſcendebat ſuper catenæ anulos: quo perſpecto tacitus curauit, vt quam primum ab eadem filia infans ferretur ad fontem Baptiſmatis. Cum autem in via pons quidam pertranſeundus eſset, adductis teſtibus experiri voluit filiæ profeſsionem. Idcirco euaginato gladio in filiam irruens, præcepit deponi puerum, efficereque ſua arte, vt puer per ſe pontem tranſiret, aut à Dæmone ferretur in alteram fluminis ripam, quo modo effecerat, ut ſuper foci catenam aſcenderet. alioqui interfecturum ſe illam, & in flumen demerſurum. Filia quamquam inſtaret patrem redarguens amentię, his tamen perterrita conuocato Dæmone effecit, vt puer vltra flumen tranſiret. Puero igitur Baptizato, & matre à partu repurgata, pater conuocatis teſtibus rem iudici aperuit, qui confeſtim matrem cum filia apprehendi iuſsit, & inuenta veritate vtraſque ad ignem condemnauit. Alio modo F per nefandos Dæmonum concubitus prolem accerſunt Dæmoniam. Sunt enim inter Dæmones, qui aut ſpecie maſculi aut fœminæ rem veneream agunt, quos Incubos & ſuccubos vocãt, quales apud Poetas Fauni, Syluani, Satyri & Nimphæ traduntur: Hoc modo natos Gigãtes credimus: Sic Heroes ex Iouis & reliquorũ Deorum concubitu cum mulieribus prodijſſe traditur: viget enim in his maximè vis Dæmonia. Huius rei gratia mulieres maximè ſtimulãtur vt Dæmone incubo vtantur, & ex amore magna ex parte earum comercia cum Dæmone ortũ duxerunt, vnde Heroes ab amore, qui Græcè Heros vocatur, dicti ſunt, vt Plato teſtatur. Tenentur profeſsi lenocinia hæc tractare, vt ad huiuſmodi comercium adducant quaſcunque poſſunt, tam virgines, quam viro coniunctas: varioque prætextu, tam viros quàm mulieres alliciant in ſacrilegam ſocietatem. Quicunque verò ſegnes in huiuſmo

di

A di præſtandis fuerint, plectūtur à Dæmone, vt multi eorum retulerūt.
Ex quibus colligere licet omnia ſuperſtitionum genera vim habere à
Dæmone ob fœdus contractum cum hominibus vt prædictum eſt.
Nam apud eos, qui non dum recepti in eam ſocietatem fuerint, nec pa
ctum aliquod cum Dæmone contraxerint, nullam vim habent, tum
verba, tum characteres, & reliqua ab illis obſeruata. Hinc fit, vt artes hæ
veluti per manus tradantur ab ijs qui profeſsi ſunt, non per doctrinam
aliquam comparentur, vt de Poetis atque alijs, qui Diuino furore per-
citi ſunt, teſtatur Plato. Quemadmodum enim, inquit, Magnes lapis
cum anulum ferreum traxit, vim quoque eandem illi tribuit, vt ſubin-
de alius alium trahat, vt veluti anulorum concatenatio pendentiũ fiat:
ſic Muſa Poetas diuino inſtinctu concitat: Poetæ conciti alios furore
corripiunt, vnde ſeries connectitur. Nam Poetæ inſignes non arte, ſed
diuino afflatu mentecapti præclara poemata canunt. Sic Corymban-
B tes mente non ſana ſaltant: & Bacchantes fœminæ mel, & lac ex flumi
nibus hauriunt, ſana autem mente haurire non poſſunt: idque tunc ef-
ficit eorum animus, quod narrant: aiunt enim nobis Poetæ quod è fon
tibus, quibus mel ſcaturit, haurientes: & a Muſarum viridarijs colli-
buſque decerpentes carmina ad nos afferant, quemadmodum mel, ex
floribus apes: & inſtar Apum volare ſe dicunt. Qua in re vera loquun-
tur: res enim leuis, volatilis, atque ſacra Poeta eſt: neque canere prius
poteſt, quam Deo plenus, & extra ſe poſitus, & mente alienatus ſit.
Hæc Plato. Inſinuat autem in his non ſolum quod dictum eſt, non in-
genio noſtro & arte has facultates haberi, ſed & modum quo hæc ef-
ficiantur præclara ſupra vires humanas. Animum enim Deo plenum
volare, & res aſportare tradit. Simile apud nos repertũ eſt. Cum enim
in itinere quidam in prato ſedentes prope torrentem expeterent in ci-
bis illud genus butyri ſeu lactis, quod extracto caſeo recoquitur præci
C puę bonitatis in menſe Maio, ferunt vnum ex ſodalibus dixiſſe, quam
primum id paraturum, ſi pauliſper expectauerint. Mox hunc poſitis ve
ſtibus in torrentem ingreſſum eſſe, ac dorſo contra aquæ fluxum ſeden
tem, & manibus vtriſque fluxum aquæ ad dorſum compingentem in-
terim verbis quibuſdam prolatis, quam primum lac quale dictum eſt
tuliſſe in magna copia non abſimili forma & ſapore ijs, quæ vendun-
tur in foro. Vt igitur Plato de lacte & melle aſſeruit, idem dicendum
de hoc, non inibi genitum, neque arte præſtigioſa confictum, ſed aliun
de collectum & aſportatum opera Dæmonis fuiſſe.

CAP. XV.

HIs explicatis ſoluendæ ſunt rationes in oppoſitum adductæ,
quibus oſtendebatur aut Dæmones non eſſe, aut opera ab il-
lis fieri non poſſe caduca, neque ſine medijs naturalibus. Ra
tio igitur Ariſtotelis, qua oſtenditur, non dari corpus ſimplex intelle-

ctu

ctu diſcretiuo prædicum in ijs quæ manſiua non ſunt, non negat Dæmones eſſe: ſed tantum probat nō eſſe eo modo, vt multi aſſerebant, corpora ſcilicet aerea intellectu prædita: Quamuis enim huiuſmodi intelligentiæ magnitudini aſsiſtant, non tamen proprium illis aſsignatum eſt corpus, vt cæleſtes orbes proprijs intelligentijs: ſed promiſcuè materia ſublunaris mutationibus obnoxia intelligentia boni & mali pulchri & turpis illuſtratur ac denigratur. Quod ſi aerea ſubſtantia aut ſpiritu aliquo vtantur ad opera quædam præſtanda, non ob id proprium eſt Dæmonū corpus. Idcirco non fuit neceſſe quemadmodum animalibus ſenſum tribuere, aut inſtrumēta, quibus ſpiritus huiuſmodi includeretur cōſeruareturque. Quemadmodum enim homines inſtrumenta multa ſibi parant ad vſus diuerſos, eademque cū libet reijciunt: Sic Dæmones corporibus diuerſis vtuntur, cum eorū ſubſtantia ab omni corpore ſit ſeiuncta. Quo autem pacto ab immortali ſubſtantia opus mortale ſequatur, non difficile eſt videre totius naturæ ordinem contemplanti. Ab immortali enim & æterno motore motus primus æternus ſit ſecūdum Ariſtotelem, ab hoc autem reliqui oriuntur finiti & inter ſe cōtrarij. Formæ quoque omnes generabiles & corruptibiles clarius & obſcurius ab ingenerabili ſubſtantia habent eſſe per quandam eius participationem in materia: Et intellectus agens in homine æternus ex caducis Phantaſmatibus caducam parit ſciētiam. Nec ob id offenditur illud Axioma: æternorum ſcilicet æterna principia, & corruptibilium corruptibilia. In omnibus enim corruptibilibus æternum quid ineſt tum ratione materiæ, tum ratione formæ, cuius gratia principia æterna ſunt: at quatenus caduca ſimiliter eorum principia caduca ſunt, & aliorum alia: nec mutatio ob id in rebus ęternis eſt earum ratione, ſed tantū ratione noſtri. Illud ſolum relinquitur perquirendum, vtrū Dæmones medijs naturalibus vtantur ad ea præſtanda quæ ſupra naturam cenſemus fieri: an alio modo agant. Dicendum profecto eſt, nihil fieri quod impoſsibile ſit fieri, determinata enim eſt vniuſcuiuſque rei potentia tum ad agendum, tum ad patiendum, vltra quā impoſsibile eſt quicquam agere aut pati. Si quid autē eſt, cuius potentia immenſa ſit, vt de primo motore demonſtratur. 8. Phyſ. in fine, impotentia nulla apud ipſum erit, & nihil impoſsibile. At reliqua omnia præter ipſum quemadmodum eſſe determinatum adepta ſunt, ſic & potentiam operationēque. Cum igitur Dęmon intelligentia quædam ſit inferiori mundo deſtinata, quatenus quidem ſpeculatiua eſt, nullius actionis eſt cauſa, ſpeculatiuus enim intellectus ad opus non dirigitur, ſed ſolum circa verum & falſum verſatur: quāquam is intellectus cuius ſubſtantia actus eſt, appetitum naturalem rebus indat, vnde motus naturæ fiunt, vt in Quæſtionibus Peripateticis explicatur: Quatenus autem actiua quædam intelligētia eſt vel factiua, veluti artes & prudentia in hominibus, principium ſit multorum

ope-

A operum, quæ ſupra naturã fieri dicimus. Si enim homo per hoc principium quam admirabilis eſt in artificijs multis condendis, eo magis Dęmon ſimilia & multo admirabiliora efficere poſſe putãdus eſt, quo eſt homine natura præſtantior ac ſapientior: non enim inſtrumentis corporeis impeditur, ſed in quodlibet corpus ſpiritu inuiſibili ſe inſinuat, cõmouet, transfert, cõponit, ac diuidit, abiungiturq; ab eodem cum libet. Quemadmodum autem artifices motu certo inſtrumentorum opera perficiunt, ſemper tamen rebus naturalibus utentes, vt faber ferro ad ſecandum, Medicus plantarum ſuccis ad ſanitatem præſtandam: eodem pacto Dæmonem efficere putandum eſt: non enim fiunt quæ impoſsibilia ſunt. Sed vt aliqua ex parte id aperiatur, non inutile fuerit in ſingulis Dæmonum operibus, quæ nobis hucuſque manifeſta ſunt, modum perquirere.

B CAP. XVI.

PRIMO igitur patet, nõ in verbis, aut characteribus, aut aliis ſuperſtitionibus vim vllam agendi eſſe: nulla enim ars ijs inſtrumentis quicquam efficit: neque igitur Dęmones ijs mediis ea ratione vtũtur, quia vis aliqua in ipſis ſit. Tantũ ijs veluti ſignis quibuſdam allici, aut etiam cogi Dæmones videntur ad agendum ob pactum cum hominibus contractum, vt ſuperius patuit. Nam apud illos, qui huiuſmodi fędus ſiue tacitũ, ſiue expreſſum non inierunt, aut quibus poſtea illud diſſolutũ fuerit, eadem verba, & reliquæ ſuperſtitioſæ obſeruationes irritæ redduntur. Idem cẽſendum eſt de quibuſdam ſiderum obſeruationibus, & temporũ momentis: non enim in cęlo vniuerſali agente, quod lumine & motũ, tenebris & immobilitate totam hanc molem calefacit, & refrigerat, & reliquis huiuſmodi af-
C fectionibus tranſmutat, vis ineſt particularis, vt ſparſim hæc quidem alteret, illa verò nequaquam. Quod & in morbis manifeſtum eſt. Qui enim ob cęli ſtatum fiunt, populos & totas prouincias inuadunt: qui autem ſparſim, ac varij infeſtant, non ob eam cauſam, ſed ob prauam victus rationem ſingulorũ propriã, & alia errata cõtingunt, vt optimè medici animaduerterunt. Obſeruant autem Magi aliquando quorundam ſiderum exortus, aut alias figuras Aſtronomicas non tanquã cauſas, ſed tanquã ſigna temporis, in quo aduocari Dęmon cupit ad agendum. Simili ratione ſeducuntur, qui putant rerum inchoationes fauſtas, vel infauſtas eſſe ſub hoc, aut illo ſigno cœli: & qui hominum naſcentium bonam, vel malam fortunam, & alias multas ineptias prædicunt ex totius cęli cõfiguratione, ſuperſtitionis enim quid hæc ſapiũt. Nam credentibus ſæpe Dæmones ſecundum prędictionẽ operantur: vt in Augurum diſciplina conſtat Plinio referente: Neque diras aues,

neque

neque vlla auſpicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, D
obſeruare ſe ea negauerint. Imo & magnarum rerum facta,& oſtenta
verbis permutari. Cũ enim in Tarpeio fodientes delubro fundamen-
ta caput humanum inueniſſent Romani,miſsis ob id à Senatu legatis:
Hetruriæ celeberrimus vates præclarum id fortunatumq; cernens, in
ſuam gentem trãsferre tentauit. Nam in ſolo deſignata ante ſe templi
imagine legatos interrogabat. Hoc ergo dicitis Romani? hic templũ
Iouis optimi maximi futurum eſt? Hic caput inuenimus? Cõſtantiſ-
ſima annalium affirmatione trãſiturum fuiſſe fatum in Hetruriam, ni
præmoniti à filio vatis legati Romani reſpondiſſent: non planè hic,
ſed Romæ inuentum caput dicimus. Idem ſæpe contingit ijs, qui fu-
turam circa ſe ipſos fortunam curioſi magis quam fas eſt, prænoſſe ex
Aſtronomis,aut Chiromanticis,aut alijs huiuſmodi vatibus cupiunt:
nam ſæpe ob eorum credulitatem Dæmones fati alicuius improbita-
tem in ipſos conuertunt. E

CAP. XVII.

DE Maleficiorum autẽ inſtrumẽtis conſiderandum eſt,vtrum
ijs vt ſignis, an vt agentibus vtantur malefici. Pleraq; igitur
eorũ ſigna eſſe manifeſtum eſt. Nam cæreæ imagines ſub li-
mine, aut alio loco abſconditæ quid aliud repræſentant,quã eos,qui-
bus inferenda maleficia ſunt? Repertum enim eſt ſimiles lęſiones eos
perpeti,quales in imaginibus fuerint deſignatæ: & quibus puſtulę in
toto corpore obortæ fuerãt, reperta ſunt ſemina diuerſa,aut milij,aut
leguminum puſtulis,quas patiebãtur, ſimilia linteis incluſa. Vt igitur
in his, atque alijs multis ſimilitudo maleficij cũ læſione manifeſta eſt,
idem in cæteris ſe habere videbitur, in quibus ſimilitudinem difficile
eſt cognoſcere. Quemadmodum enim verba ſecundum placitum im- F
ponentium ſignificantia ſunt: ſic & characteres,imagines, & res ipſæ
aſſumi poſſunt,vt ſecundum placitũ ſignificent. Nam dicere corpora
huiuſmodi occultata vim aliquam ex ſe habere ad odiũ inducendum
aut amorem,aut ſterilitatem,aut reliqua,quę dicta ſunt,perpetranda,
egreditur omnem rationem. Si enim in illis huiuſmodi vires à natura
ineſſent,vt in magnete ferrum trahendi,& in torpedine ſtuporem in-
ferendi, efficerẽt nulla adhibita ſuperſtitione: at id nequaquam con-
tingit. Sed hæ vanitates ex artibus Magicis fluxerunt, putantibus ea,
quæ ſignificandi tantum gratia adhibentur, cauſas eſſe efficientes, &
proprietates quaſdam occultas continere. At verò ſi ſolũ ſigna ſunt,
nõ debuiſſent opera Dæmonis parari,ſed ſolum à Magis,vt per ea Dę
moni ſignificentur,quæ præſtari cupiunt. At multa maleficiorum in-
ſtrumenta à Dæmone cõponuntur,ſæpe ex rebus ignotis:& condun-

tur

A tur locis diuerſis, aut domus, aut lecti: in puluinaribus, culcitris, aliiſq; locis abſque vlla manifeſta, aut parietum, aut aliarũ rerum labefactatione. Quin & in ipſis corporibus humanis multa, & varia eodem modo recondita inuẽta ſunt. Contigit autem hoc anno Piſis hęc vidiſſe multis teſtibus ſpectantibus. Nam inter ſacras virgines quarum ſuperius mentio facta eſt, quædã à Dæmonibus obſeſſa ſæpius modo inter abiurandum, modo poſtea eiecit vomitu corpora, & magnitudine, & forma per ſe ineptiſsima, vt deuorarentur: clauos ferreos prælongos, oſſa, lapides, globos laneos, carbones, aliaq; multa. In culcitra autem ea regione, qua thorax incumbebat, præcipuè qua cor, globuli multi ex plumis reperti ſunt affabre efformati diuerſis figuris, ſed plurimi inſtar roſarum perpetuis plumarũ tenuiſsimarũ ordinibus, nunc filo impliciti, nunc ſolo glutine. Alia genera reperta ſunt in ceruicali, qua caput reſidebat. Si igitur hæc nihil efficiunt, cur Dęmones iis vtũtur?
B Nam vt ſibi ſignificent res agendas tanquã excitantia memoriam, nequaquam eſt rationi conſentaneum. Dicẽdum eſt igitur quæcunque intra corpus conduntur inſtrumenta eſſe, quibus Dæmones vexant: qui enim fieri poteſt, vt ea quæ pauloante narrata ſunt, in ventriculo, aut aliis partibus latitantia nõ lędant? Patiebatur autẽ prædicta virgo inter cæteras vexationes, vomitus perpetuos: Quæ autẽ extra corpus poſita ſunt, aut tantũ ſigna eſſe, aut ſi agant fortè in imaginationẽ patientis agere: oſtenſum enim eſt in Peripateticis quęſtionibus imaginationem à rebus externis moueri poſſe nõ intercedente ſenſu: vnde recta fit quorundam ſomniorum iudicatio circa res externas, ac remotiſsimas, in quibus humana prudentia nihil præſtat. His igitur Dæmones aliquando hominũ mentes perturbant variis imaginibus mouentes. Idcirco magis huiuſmodi maleficiorũ inſtrumenta in cubili reperiuntur, & maximè qua cor, aut cerebrũ ſpectat. Quod aũt aliquando
C ex imaginatione tranſeat affectus in corpus, nil mirum, inſeparabilis enim eſt à corpore imaginatio: vt aliquando videre licet in animi deliquiis, quæ aut ob inſpectionem vulneris in altero, aut ob aliud quid ſimile contingunt. Sic aliquando dentes obſtupeſcunt, altero rẽ aſperam ſecante: Mulieres vtero gerẽtes ſiquid impenſe cõcupierint, eius veſtigium in fętu imprimi experimento didicerunt, eſt enim fętus earum pars, quandiu vtero eſt adnatus. Quidam autem ob hæc, & alia huiuſmodi tantam vim imaginationi tribuerũt, vt putauerint omnes magicas artes in ea ſitas eſſe. At qui fieri poteſt, vt imaginatio corpora aliena transferat in longinquas regiones: imperet aeri, vt det pluuias, excitet grandines & ventos: aut illa dicto obediãt? longè enim præſtantior eſſet intellectu. Non enim quia dicat rem eſſe, vel nõ eſſe, idcirco res eſt, vel non eſt, ſed è conuerſo: mouetur enim intellectus ab intelligibili. Si igitur ex imaginatione res fierẽt, aut mouerentur, imaginatio ſimilis eſſet diuino intellectui, qui verbo omnia fecit. Pręterea

neque in corpus proprium multa agere poteſt imaginatio: nã præter D
exempla, quæ recenſuimus, pauca alia reperiuntur. Debuiſſet autem ſaltẽ fixa imaginatio, qualis in melancholicis cõtingit, aliqua efficere. At multa quidem tũ melancholici, tũ reliqui delirantes circa ſeipſos, & ſuas partes imaginantur, quorũ nulla efficiuntur. Magis autem putandum eſt res ipſas imaginationẽ mouentes, non ipſam imaginationem corpus afficere. Nam & ſine media imaginatione agunt, quibus inſita vis fuerit agendi. Si vera ſunt, quæ de baſiliſco tradũtur, intuitu enecare, ſi prior aſpexerit, aut ſibilo: dubitationẽ afferre poſsit, vtrum media imaginatione, vehementi animi perturbatione, & terrore ingenito id accidat, an quia venenũ cum ſpirituoſa ſubſtantia ex oculis intuentibus, & ex ore ſibilante beſtia eiaculetur. Idem conſiderandum circa id, quod de lupo tradunt: raucedinem gignere in eo, quẽ prior aſpexerit. Magis autẽ rationi conſonũ eſt, efficaciam quandam ineſſe in iracundis lupi, ac baſiliſci oculis, vt effaſcinantium more afficiãt: repelli autem hanc vim ab ijs, qui priores intuendo aciẽ direxerint cum E
proprio ſpiritu: quomodo & baſiliſcum interfici tradunt hominis intuitu: ſpirituoſa enim ſubſtãtia ex oculis egreſſa aliquãdo, vel in ſpeculis manifeſta eſt contracta macula ex intuitu mulieris, dum patitur menſtrua. Hinc lippientium oculi ſæpe lippitudinem pariunt ijs, quos aſpexerint: & vetularũ quarundam aſpectus infantes lædit, quam vocant faſcinationem: vis enim tabifica earum oculis ineſt, quæ eiaculari cum ſpiritu eo vſque poteſt. Tradunt in Africa familias eſſe effaſcinantium, quarum laudatione intereant prata: areſcant arbores: emoriantur infantes. In Triballis quoque, & Illirijs eſſe, qui viſu quoque effaſcinent, interimantq́; quos diutius intueantur iratis præcipuè oculis, quod eorum malum facilius ſentire puberes: ineſſe autem his binas in ſingulis oculis pupillas: ſed hæc nequaquã imaginationi tribui poſſunt, ſed aut peculiari eorum veneficio inſito, aut arti magicæ. F
Neque illud mirum, quod referunt, qui à ſerpente aliquando fuerint læſi, aut canis dente eorum interuentu aggrauari vulnera, vitiari gallinarum accubitus, & pecorũ fœtus abortu: ſic enim venefici fiunt venena paſsi. Quod verò aiunt quidam, occiſorum cadauera horrorem incutere tranſeuntibus, quamuis eorum nõ ſint conſcij, forte ad imaginationis vim referri poſsit, quæ à rebus externis aliquãdo mouetur, non intercedente ſenſu: animaduertitur autem affectio corporea fugiente imaginationis motu ob varia impedimẽta, quæ in libro de Diuinatione ſcribuntur. Ex his igitur manifeſtũ eſt imaginationem per ſe nullam vim agendi habere in corpus proprium, tãto ergo minus in alienum, niſi aliquid aliud agat. Tandem ſi ſola imaginatione nullo alio cooperante moueri poſsint externa: id non ſolis hominibus contingeret, ſed & multis alijs animalibus, quibus data eſt imaginatio. At nulla videmus agere poſſe quicquam præterquam facultate natu-

rali,

A rali, quæ toti ſpeciei ineſt, non quibuſdam ſolum. Si homines quoque naturali aliqua vi illa efficerent, quæ diximus: omnibus ineſſet magica ars, naturaliter enim inſita eſſet in omnibus.

CAP. XVIII.

RELINQVITVR igitur primum quidem ob intelligentiæ proprietatem, qua homo à Brutis differt, opera hec miranda ab eo tantum fieri, mens enim eſt diuina pars in homine. Deinde ob eiuſdem intelligẽtiæ diuerſam applicationem, diuerſas eſſe hominum actiones, & mores, qui nequaquam naturales ſunt, vel quia ſequuntur partem, quæ ſupra naturã eſt, vel quia ex noſtro ſtudio comparantur, vt artes, & ſcientiæ. Sicubi autem cũ homine cooperetur diuina virtus, aut Dęmon, id neque ex noſtra poteſtate pendet, neque ex
B natura, ſed aliunde principium ducitur: nulla enim ratione, nullo ſtudio, neque diſciplina aſſequi id poſſumus, niſi vocemur, aſſentiamusq́; oblato fęderi. Nam puella octo annorum, cuius mentionem ſuperius fecimus, cũ ab ortu fuiſſet à matre Dęmonibus oblata, efficiebat quidẽ in ea ętate prodigioſa multa: Quamprimũ autem abnegato fędere cũ Dæmonibus contracto, & ad Deũ conuerſa reſtituta fuit Eccleſię, vim omnem Dæmoniam amiſit. Non pendere igitur artes magicas ex natura, neque ex imaginatione, neque ex ſtudio ex dictis patet. Vt autẽ vnde diſceſsit reuertatur oratio, dicimus maleficiorum inſtrumenta, quæ extra corpus recondita ſunt, ſiue à maleficis, ſiue à Dæmone, pleraq́; ſigna eſſe non minus quam imagines, aut characteres, aut verba, agere tamen cooperante Dæmone ſecundum eorum ſignificationes aliquãdo in imaginationem, aliquando in corpus: & eum vſum præſtare, quem
C impreſſori plumbei characteres pręſtant, & ędificatori exemplar. Cum autem ad odium inducendum, aut amorem, aut alias animi affectiones ſæpe ſufficiat imagines mouere, vt vehementer in imaginatione figantur. Ad corporeas autem affectiones non ſufficiat motus localis, quem per ſe Dæmon excitare poteſt, ſed actus requiratur ſimilis qualitati introducendæ, vt caliditas, frigiditas, & aliæ huiuſmodi, neceſſe eſt materiam à Dæmone ſeligi talem, cui naturalis inſit facultas alterandi ſecundum propoſitas affectiones. At verò corpora ipſa in ſua craſsitie inepta ſunt ad penetrationem in quamlibet partem alterabilis. Rationi igitur conſentaneum eſt, vt ex rebus tenuiorem ſubſtantiã eliciant operi commodam: Et quemadmodum medici ſuccos eliciunt, ſic Dæmones ſpirituoſam ſubſtantiam ſeparent veluti formam à materię craſsitie purgatam: eo autem ſpiritu vtantur tanquam proximo animę inſtrumento, quo affectiones quaſcunque ferè momento tẽporis inducant. Spiritus enim vndequaque tranſit, ac breuiſsimo tempore agit, vt patet in peſtilenti aeris ſtatu, ſerpentũ venenis, & omnibus ferè morbis contagioſis.

Huius gratia putandum eſt plurima maleficiorũ inſtrumenta ex ſerpen D tibus parari, aut eorũ partibus, & ranis Rubetis: nam præter ſignificandi rationem aliquis inde ſpiritus veneficus ſubminiſtrari poſsit, aut ſaltem in ijs conſeruari, qui aliunde petãtur. Simile quid medici quidam induſtrij faciunt, cum ex medicamentis quibuſcunque relicta materia vires in ſpirituoſa ſubſtantia eliciunt: vtuntur enim aqua ardente inter cæteras maximè ſpirituali, quæ infuſorum medicamentorum vires efficaciſsimè attrahit, quam quintã eſſentiam vocãt. At Dæmones longè tenuiorem ſubſtantiam ſeligere poſſunt, cum inuiſibili ſpiritu vtantur. Maleficiorum ergo inſtrumenta inter cæteros vſus hunc quoque præſtabũt, vt veneficos ſpiritus, aut ex ſua natura ſubminiſtrare poſsint, aut aliunde collectos conſeruare: Hoc autem pacto inerit illis virtus agendi naturalis Dæmonis arte comparata. Quod & experimento compertum eſſe teſtantur. Aiunt enim ea, ſi ex loco proprio transferantur, & alijs etiam inſcijs in cubili ſupponantur, vredines toto corpore, & tu- E multus ijs concitare, qui ſuperdormierint. Quo pacto igitur Dæmones medijs naturalibus vtantur, & quis vſus inſtrumentorum, quibus vtuntur ad maleficia, explicatum eſt. Quibus principijs viſis non difficile eſt reliquorum operum cauſas inueſtigare.

CAP. XIX.

PRimo autem illud conſiderandum eſt, quo pacto Dæmones cõmercia habere poſsint cũ hominibus. Dubitabit enim meritò quis. Quomodo Dæmones ſentiant, quæ geruntur, videant, audiant, colloquantur, cũ ſenſu careant. Intellectus enim non verſatur circa ſingularia. Præterea ex ijs eſt, quorum ſubſtãtia actus eſt, non poteſtate, vt diuinæ intelligẽtiæ: huiuſmodi autẽ non ſunt aliorũ receptiua, ſed ſui ipſius tantum, aut eius intelligentiæ, quæ ſuperior eſt, F à qua pendent. Cum igitur neque intellectu, neque ſenſu Dæmones percipere hęc poſsint, nullum erit eorum cõmercium cum hominibus, & videbuntur ea, quæ de illis traduntur, fabulis ſimilia. An Dæmones quatenus magnitudini aſsiſtunt, neceſſe eſt operationes quaſdam coniunctim efficere? cuiuſmodi ſunt animi motus, vt amare, odiſſe. Nã & intelligẽtiæ orbium cęleſtium amore indito orbes mouẽt. Intellectum præterea practicũ, & factiuũ Dęmonibus ineſſe oportet, quia verſantur circa ea, quæ tranſmutabilia ſunt. Intelligentijs verò cęleſtium corporũ huiuſmodi nõ fuit neceſſarius, quia ęterna earũ, & inuariabilis eſt operatio, ad quam præſtãdam ſpeculatiuus intellectus ſufficit ęternus exiſtens, & immutabilis. Quoniam verò practicus intellectus diſcurſu vtitur ab vniuerſalibus in ſingularia, quæ ſunt agenda: ob id notiones tũ vniuerſalium, tũ ſingularium ineſſe oportet nõ minus quã hominibus. Cum autem vniuerſalia omnia in ſingularibus ſint, non enim dantur

ſepa-

A ſeparata, neceſſe eſt vniuerſalia intelligentẽ phantaſmata ſpeculari: ex quibus patet. Phantaſiam, ſeu imaginationẽ Dæmonibus ineſſe oportere. Sic enim ijs inerit tũ ſingularium,tũ vniuerſalium cognitio,& tãdem diſcurſus. Hucuſque igitur nullum ſequitur abſurdum. Vlterius autẽ procedenti videbitur impoſsibile eſſe,ſi imaginatio ſine ſenſu eſſe nequeat: ſenſus autem ſine inſtrumentis corporeis,non enim ſufficiũt ſpiritus, vt fortè ad ſenſus internos imaginationem, & memoriam. Si autem vera ſunt,quæ ex libro de Diuinatione collegimus,imaginationem à rebus externis moueri poſſe, non intercedente ſenſu, nulla erit difficultas. Quemadmodum enim homines aliquãdo in inſomnijs vident illa, ad quæ & ob locorum diſtantiam,& alia impedimẽta, neque ſenſus corporei,neque vlla humana prudẽtia peruenire poteſt; Sic Dæmoni omnia,quæ fiunt,& facta ſunt,patẽt: de futuris autem, quorum nulla adhuc inchoatio eſt,alia eſt ratio: nõ enim ab eo,quod nondum B eſt,moueri quicquam poteſt. Iure igitur Ariſtoteles appellauit inſomnia Dæmonia: ſimilis enim eſt viſio,quæ in inſomnijs fit, Dæmonum ſenſui. At verò ſi hæc animæ facultas homini,& brutis multis data eſt, propter quid adiuncta illis ſunt ſenſuũ inſtrumenta, cum ſine illis percipi poſsint ſenſibilia? An in cauſa eſt animæ vegetatiuæ opus? mortalia enim ſine hac anima non ſunt,quæ ſaltem ſecundum ſpeciẽ reddantur immortalia. Fieri autem nequit,vt ſpiritus animalis continua ciborum euaporatione perturbatus motus eos percipiat,qui in imaginatione fiunt: Patet id in inſomnijs, nam quæ matutino tempore apparent ſedato motu ex coctione alimenti facto,clariora ſunt: rariſsima tamen ſincera,& recta videntur ob alios motus perturbãtes. Vt igitur animalia externos motus perſentirent,illis adiuncta ſunt ſenſuum inſtrumenta,in quibus ſpecies collectæ, ac veluti innouatæ vehementius in ſpiritum animalem infigerentur. Simile quid cõtingit ijs,qui viſum habent C hebetem, extrinſecus enim ſibi parant auxilium vitreis perſpicillis, aut chryſtallis quibuſdam diſperſam lucem colligentibus. Et qui auditum habent obtuſum,ſolent manus palmã auriculæ admouere,vt eius concauitate ſonus melius colligatur. Hoc idem natura in ſenſuum inſtrumentis effecit: In oculo enim pilam chriſtallinam condidit,in qua ſpecies colorum vehementius fulgerent: & aurem cauernoſam fabricata eſt,vt ſonos ex ampliori auriculæ ſpatio in anguſtiorem meatũ colligeret. In cęteris quoque ſenſuũ inſtrumentis ſimile artificiũ contemplari licet. His autem nõ egent Dæmones, quoniam nullo impediente corporeo vmbraculo perſpicacius abſque inſtrumẽtis ſingula perſentiunt virtute imaginationis. Videtur igitur imaginatio proximè accedere ad naturã intellectus, & antiqui nõ immeritò mentẽ appellabant omnem ſenſum interiorem: videtur enim ſeparari à ſenſu, & vegetatiuo in immortalibus,vt intellectus.Secus autem in animalibus ob prædictas cauſas. Patet igitur ex dictis Dæmones optimè callere quæcunque fiunt,

X 3 &no-

& noſtras voces audire ſine ſenſuũ inſtrumẽtis. Quo autem modo colloqui ſine lingua, & voces edere ſine pulmone, & reliquis partibus ad vocem articulandam facientibus, & tandem cõceptus proprios aperire valeant, non difficile eſt coniectari: ſimilia enim inſtrumẽta ſibi ex ſpiritu inuiſibili, aut viſibili corpore cõſtruere poſſunt, vt libuerit. Socratis Dæmon vox erat nullo viſibili corpore. At incubi venerem agentes non ſolum viſibili, ſed & tangibili conſtant corpore. Verũ id omnino impoſsibile videtur prolem gignere poſſe, cũ anima careãt vegetatiua. Quod ſi prolificũ ſemen emittant, oportet corpus id vnde deciditur, viuens eſſe & verũ, non fictum. Proprium enim ſubſtantiæ eſt gignere ſibi ſimilem. At ſi verũ id animal fuerit, aut homo; ars quoque poſſet ſubſtãtias efficere, & vera animalia. At hæc impoſsibilia omnino ſunt. Quæ enim natura conſtant principium habent intrinſecũ. Ars autem principium eſt externũ, ſiue ab homine, ſiue à Dæmone fiat. Quomodo igitur ex Dæmonum concubitu Gigantes, & Heroes orti ſunt? veri enim homines fuerunt. An Dęmon fęcunda ſemina colligere poteſt, eaq; aſportare, & corporibus fictis introducere in vterum fęminarum? Quo pacto igitur Dæmones commercia habere poſsint cum hominibus & colloqui, & cætera præſtare explicatum eſt. D E

CAP. XX.

QVo autem modo res mouere poſsint motu locali, vt transferant etiã pondera ingentia per aerem, quæ videantur incredibili velocitate volare, conſiderandum eſt. Cũ quatuor modis cõtingat aliquod mouere alterum. 7. Phyſ. tex. 10. Impulſione, tractione, vectione, vertigine: nullo iſtorum modorũ videtur fieri poſſe à Dæmone corporũ tranſlatio. Non vertigine, quamuis hic modus animæ proprius videatur: Cœli enim motus vertigo quædam eſt, & animaliũ motus fit membris, iuxta articulos partẽ circuli deſcribẽtibus, in lib. de Comm. an. motu. At corpora, quæ transferuntur à Dæmone, non omnia articulos habent, & quæ habent, non vtuntur eis: neque circum rotantur, ſed potius vehi, & aſportari videntur. At omne quod vehitur per accidẽs, mouetur ad motũ vehentis, vt accidit, ijs quæ in naui ſunt. Oportebit igitur aut Dæmonẽ per ſe moueri, aut aliud corpus, in quo res aſportẽtur. At ſubſtantias incorporeas, quales Dæmones eſſe oſtenſum eſt, impoſsibile eſt moueri, non enim per ſe mouetur niſi corpus. Si quod ergo corpus à Dæmone primo mouetur, non vectione id fiet. Quod ſi neque vectione, neque vertigine, relinquũtur duo, aut impulſione, aut tractione, ad quos reducitur etiam vertigo: Nam in vertigine hæc quidem pars impellitur, hæc verò trahitur. At non impellit, neque trahit niſi id quod mouetur. Quod enim impellit, è loco trudit id quod impellitur, dum eius locũ occupat, quia duo corpora nõ poſſunt F

eſſe

A eſſe in eodem loco, vt patet in dilatatione, cũ generatur ignis in aliquo loco anguſto. Quod autem trahit, comitari oportet ab eo, quod trahitur, quamdiu velocior fuerit eius motus, quàm eius, quod trahitur inclinantis in oppoſitum trahentis: quod contingit, quia corpora nõ patiuntur dari vacuum: adeo vt in quocunque motu neceſſe ſit adiacentium corporũ hoc quidẽ cedere, hoc verò inſequi. Si quid ergo primũ à Dæmone mouetur, nõ per impulſionem, neque tractionẽ mouetur: oporteret enim Dæmonem corpus eſſe, & moueri. At ablato omnino motu à Dæmone, vt neque moueri, neque mouere poſsit, neceſſe eſt reliqua omnia opera auferri, quæ tradita ſunt, non enim fiunt ſine motu. Quod ſi conceſſerimus Dæmones habere corpora ſibi connaturalia, vt multi putãt, aerea: quemadmodum de Anima teſtatur Ariſtoteles ſpiritum conſitum habere: ideoq; tanquam animalia huc illuc vagari, eoq; modo corpora aſportare. Primò repugnat id demõſtrationi Ari
B ſtotelis. 3. de An. tex. 62. vbi probatur nullum progreſsiuũ corpore ſimplici conſtare, quia neceſſe eſt ſenſum tactus habere. Deinde illud etiã abſurdum eſt contineri poſſe ſpiritũ, ſeu corpus illud aereum, quin diffundatur in ambientem: cũ in animalibus neceſſe fuerit concludi vaſculis robuſtiſsimis, è quibus ſi fortè euanuerint, vires collabi neceſſe eſt. Dicimus igitur Dæmones ſubſtantias eſſe incorporeas, nullumq; corpus habere conſitũ, ſed abiungi à quocunque poſſe, vt reliquæ ſubſtantiæ abſtractæ: idcirco immobiles eſſe, præſtare autem diuerſa opera modo hic modo illic abſque loci mutatione: vt enim indiuiſibilia, ſunt & non ſunt ſine motu & mutatione, ſic ſubſtantiæ abſtractæ hic, & ibi ſunt ſine motu locali: nec repugnat earum naturæ, vt etiã in pluribus locis ſimul pręſentes ſint, vt contingit eidem imagini in pluribus ſpeculis, & eidem viſibili in pluribus oculis, & ſenſui tactus in pluribus particulis ſentiẽtibus. Has aũt ſubſtantias mouere poſſe corpus quod-
C cunque cui aſsiſtit, nullo tamen prædictorũ modorum: nam illi repetiuntur tantum, in quibus mouens mouetur, & in motu violento. At grauia & leuia, & cęlum nullo eorum modorũ mouẽtur, cũ ſecundum naturam moueantur. Simili modo neceſſe eſt corpus aliquod primum à Dæmone moueri nõ præter naturam. Quis igitur fuerit hic modus? & cuius corporis? cum omnia quæ hic ſunt, grauia ſint, vel leuia, quorum motus naturales à grauitate, & leuitate fiunt: qui ergo præter dictas inclinationes fiunt, præter naturam erunt. An eadem habitatio contingit circa motum animalium: motus enim eorum, qui fit ab anima, naturalis eſt, quamuis corpus contingat & natura, & præter naturam moueri, prout graue, aut leue fuerit. 8. Phyſ. tex. 27. Similis igitur erit ſolutio: & dicemus, motum qui fit à Dæmone, quamuis fortè pręter naturam fuerit corpori graui, aut leui, non præter naturam eſſe corpori vt corpus, cui aſsiſtit. Et ſi enim natura corporea, qua corpus eſt, nullam inclinationem habeat ad motũ, ſeu à medio: ſeu ad medium,

X 4 ſeu

ſeu circa medium, nõ tamen eſt immobilis, moueri enim poteſt ſecundum quoſcunque pro nutu Dęmonis, perinde ac ſpiritus animalis nutu animæ huc illuc fertur ad libitũ, vt has, vel illas partes moueat. Corpus autem primum maximè promptum ad quemcunque motum iure optimo aer fuerit, aut huiuſmodi ſubſtãtia ſpiritualis, vnde Dæmones nomine ſpiritus appellantur, & creduntur eſſe corpora aerea: aptus eſt enim aer in loco proprio & grauis eſſe & leuis, vt commodiſsimus ſit ad quemcunque motum præſtandum, vt apparet in proiectis. 3. Cœli, tex. 28. Si igitur aliquando ui ventorũ, aut turbinis eleuari videmus põdera grauiſsima, cur nõ liceat Dæmoni hoc medio corporum tranſlationes efficere? & tanto velociores, quãto eius natura diuinior eſt virtute corporea, & cui minus obſiſtat corporum grauitas: cum in omnibus corporibus inſit trina illa dimenſio, cui aſsiſtit intelligentia tanquam eius Domina. Cum igitur voluntati Dæmonis obediat corpus quodcunque, nõ mirum ſi multa ex hoc principio fiant dictu incredibilia. Nam quemadmodum ars motu inſtrumentorum formas in materia inducit, ſic Dæmones motu varia componere, & efformare poſſunt. Vbi autem alteratione opus eſt, nec ars, nec Dæmon perficere quicquam poſſunt ſine agente naturali. Ars enim medendi non alterat corpora ægrotantium, ſed vires medicamentorum, quibus vt inſtrumentis vtitur medicus. Dęmones quoque etſi mouere poſsint ſolo nutu, alterare tamen nequeunt corpora ſine medijs naturalibus, non enim ineſt in illis qualitas vlla tangibilis.

D (beside line 1) — E (beside "quodcunque ... incredi-")

CAP. XXI.

QVÆ autem circa præſtigioſas deluſiones, & apparentias verſantur, duplici ratione fiunt, aut idolo in organis videntis genito, vt videatur extra eſſe, quod intus eſt, quemadmodum F
contingit ijs, qui ſuffuſionem patiuntur, & quibus propter vapores à ventriculo ad oculos tendentes viſa ſuffuſis ſimilia apparent. Phreneticis quibuſdam aliquando ſimili ratione auditus, guſtus, & reliqui ſenſus tum externi, tum internus decipiuntur, nullo exiſtente extrinſecus ſenſibili, quale ipſis videtur. Hoc modo à Dæmone idola fieri quid prohibet? Altero autem modo extrinſecus intromitti poteſt à re viſa ſpecies deprauata, vt in ſpeculis inflexis, & aquis cõmotis videre licet. Diſtorquẽtur enim imagines in varias figuras: aut alijs interpoſitis corporibus alia occultantur, vt viſus obiectum eo modo vt eſt, percipere nequeat. Facillima autẽ hæc ſunt Dæmoni; vel alijs corporibus aliunde tranſlatis, vel aereo circumpoſito corpore, vel medio quoquo modo immutato. Quæ igitur omnibus, aut pluribus apparent, mutationẽ extrinſecus factam oſtendunt in re. Quæ autem vni tantum in oculo videntis non extra eſſe id quod videtur, vt ijs contingit, qui in Phiala

A vitrea videre ſe putant furta commiſſa, cum cæteri circumſtantes nihil eorum intueri poſsint. Sed corporum mutationes in alias formas, vt de Circe ſcribitur, & Metamorphoſes à Poetis decantatæ præſtigia ſunt alterius generis. Verè autem nulla eo modo tranſmutari poſſunt, repugnat enim naturæ talis tranſmutatio: oſtenſum enim eſt Dęmonum poteſtatem ſine medijs naturalibus nihil efficere poſſe, vt artes. Ad diuiniorem autem ſubſtantiam ſpectat tranſcendere quemlibet naturæ ordinem. Sed hæc prætermittatur. Illud relinquitur conſiderandum, quo pacto Dæmones habitare dicantur in corporibus eorum, qui dicuntur obſeſsi: non enim ſemper quicunque ex maleficio morbo aliquo detinentur, aut præſtigioſis illuſionibus capti ſunt, in ijs habitare Dæmones dicendum eſt: ſubminiſtrari enim extrinſecus à Dæmone ea poſſunt. Cum autem Dæmon intra corpus illabitur, ſpiritus aliquis aut extrinſecus intromiſſus cum eo, aut in ipſomet corpore genitus,
B pro nutu Dæmonis motus, mouet organa quædam præter voluntatem obſeſsi. Sic enim aliquando Dæmoniaci loquuntur nō proprios conceptus: ſed Dæmonis, & motus alios præſtant, vt in conuulſionibus, & palpitationibus, ac cæteris huiuſmodi motibus contingit ob cauſam inuoluntariè mouentem. Sed hic perdifficilis oritur dubitatio, quo pacto plures animæ in eodem eſſe poſsint: immo innumerabiles, vt Dæmonum legiones inhabitare aliquando dicantur. An in ſede animæ abſurda hæc forent? non enim in ſpiritu animato plures animę eſſe poſſunt, quamuis plures ſint eius potentiæ. Dæmonum igitur ſpiritus extra hanc ſedem fuerint: non enim in toto corpore anima reſidet, teſte Ariſtotele, ſed in corde. At ſi contingat immundum ſpiritum ad cor labi, repente interire neceſſe eſt, cum à minimis quibuſque vehementer offendatur: Eſſe autem immundos Dæmonum ſpiritus, vel ex eo patet, cum è corpore abiurationibus excluduntur. Quamuis
C enim è lingua, vt plurimum egrediantur, tamen fœtorem modo ſulphuris modo rerum putridarum in longinquum eiaculantur. Latitant autem plerunque circa articulos, aut ſpatijs inanibus, quæ intra cutem ſunt. Vexant autem aut neruos petendo, aut cerebrum, aut partes ſentientes, vt ventriculum, & alia huiuſmodi. Hoc autem modo nequaquam abſurdum eſt innumeros huiuſmodi ſpiritus in corpore latitare. Vtrum autem contingat ex pluribus vnum fieri, & vnum in plura diuidi, quemadmodum de anima viuentiū teſtatur Ariſtoteles, quæ ad diuiſionem corporis diuiditur, vt tota in vtraque parte remaneat, non eſt dubitandum. Vbique enim ſubſtantia indiuiſibilis per ſe eſt: diuiſio autē omnis ratione materiæ contingit. Minus autem perſiſtere viuentia diuiſa poſſunt ob neceſsitatem organorum: at Dæmoni nulla eorū neceſsitas eſt. Multę alię quęſtiones, vt circa Dęmonū facta inhabitantiū modo circa ſepulchra, modo circa domos, atque alia loca, & corpora, conſulto à nobis prętermittūtur, pertinēt enim ad Theologiam.

Nobis

Nobis autẽ illud collegiſſe ſatis eſt in homine varias affectiones à Dæmone oriri,& multa præſtari admiratione digna, quæ & ſi nõ ſine medijs naturalibus fiant,dicuntur tamen ſupra naturã fieri:quia principiũ motus eſt à Dæmone,qui ſupra naturam eſt,vt in ijs, quæ ab arte fiunt, eſt artifex. Quod autem Ariſtoteles in Problematibus ad cauſas naturales reducit eos, qui diuino afflatu inſtigari creduntur,ad caliditatem ſcilicet atræ bilis, nõ repugnat ijs,quæ dicta ſunt, vtitur enim Dæmon medijs naturalibus. Sed quoniam verba innuere videntur non eſſe,qui verè ſpiritu diuino afflentur, vt apud Platonem legitur, ſed credi tantum: idcirco conſiderandum eſt, quid atrę bilis caliditas in ijs pręſtet. Profectò cum ſedi mẽtis in vicino fuerit, inſanias parere poteſt, & melancholica deliramenta, vt medici fatentur: At diuinationem,& præclara carmina nequaquam: hæc enim nõ atræ bili, niſi aliquando per accidens tribui poſſunt,vt patet in libro de Diuinatione: vbi hæc motui aſcribuntur, qui in imaginatione fit à rebus externis. Idcirco enim quibuſlibet accidunt hæc, & nõ prudentiſsimis. Nam intelligentia horum non eſt curis affecta, ſed tanquam deſerta, & vacua omnibus, & mota ſecundum mouens ducitur. Et quod quidam eſtatici præuident, cauſa eſt, quoniam proprij motus non infeſtant, ſed longè proijciuntur, extraneos ergo maximè ſentiunt. Melancholici etiam propter vehementiam,& celerem permutationem eorundem motuũ,qui in imaginatione fiunt,quę remotiſsima ſunt,perſentiunt,& varia cõnectunt. Hæc Ariſtoteles. Ex quibus patet aliquam eſſe præparationem in atra bile ad vaticinia,& præclara carmina canenda,non tamen talem eſſe,vt ſine ea fieri hæc non poſsint. Aliæ enim ſunt cauſæ, quæ motus in imaginatione efficaces præſtare poſſunt, vt intelligentia curis vacua,& eſtaſis. Præcipua autẽ præparatio ad opera Dæmonia eſt intelligentia deſerta: hæc enim facillimè moueri poteſt non ſolum à motu,qui ſponte à rebus externis fit,ſed & qui à Dæmone. Hactenus igitur explicatum eſt non ſolum in morbis, ſed & in multis alijs ſæpe Diuinum quid haberi, & qua ratione fiant multa portentoſa, & adeo admiranda, vt aliquando fides omnino abnegetur ijs, quæ toto orbe famoſiſsima ſunt, ac multis ſeculis comprobata: celeberrimis prætereà, ac grauiſsimis authoribus conſcripta: ac tandem in ſacris literis tradita habentur.

D E F

CAP. XXII.

RELIQVVM eſt autem vt eorum morborum dignotionẽ & curandi rationẽ aggrediamur. Mirum profectò videri debeat Hippocratem nullibi hæc docuiſſe,ſi quidem eſſe huiuſmodi morbos putauit,& à medico præcognoſci oportere. At recta ratione à naturali medico prætermiſſa eſt eorundem dignotio & curatio,tũ quoniã egreditur eius artis limites,tũ quia celebres ſemper fuerũt, vt nunc

A quoque ſunt peculiares eorũ artifices. Nã eadem ætate qua Hippocrates Medicinam, Democritus Magicã illuſtrauit teſte Plinio. Magicam autẽ è Medicina natam nemo dubitat:ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe velut altiorem ſanctioreq; quam Medicinam : Hæc Plinius. Quemadmodũ ergo teſte Hippocrate Aſtronomia ad rem medicam plurimũ confert, quãuis ea in Medicina nõ explicetur:ſimiliter & hæc pars,quę id quod Diuinum in morbis eſt,inquirit,magnã utilitatem & gloriam Medico præſtare poteſt.Omne igitur genus morbi ex maleficijs inferri poſſe ſuperius oſtenſum eſt,qua autẽ arte dignoſcantur à cæteris, in quibuſdã profectò difficile eſt inuenire in quibuſdã facile. Facile quidem, vbi effectus quidam ſupra naturã fiunt, quod in quibuſdam obſeſsis contingit. Quamdiu autem ſpiritus malignus latitat in aliqua particula,difficile eſt cognoſcere: nã præter eius particulæ affectũ aliquas functiones offendentem,aliud quid nõ oſtenditur. Plurimis tamen horum prauæ
B inſunt imaginationes præcipuè in ſomnis,quę malignũ ſpiritũ produnt: nec tamen ob id aſſerere licet Dęmoniacum eſſe,nã ſępe eadem Melancholicis contingunt.Quędam inter ſacras mulieres Piſanas cũ vltra annos decẽ ex crurum reſolutione laboraſſet, nullis remedijs ex arte Medica iuuantibus,tandem cõperta eſt à ſpiritu maligno obſideri : Sacris enim exorciſmis cõmotus ſpiritus,dum fertur ad ſuperiora, verba ſuggerit Dæmonia,& ſolutis cruribus ambulare permittit: Hæc,priuſquã proderetur Dæmon,præ cunctis ſapiẽtiſsima uidebatur. Spiritu igitur locũ mutante iam aliqua ex parte manifeſta fit Dęmonis habitatio: nã tãquam animatus obambulat,& plerũque dicto ſacerdotis eſt obediẽs interim partes quas petit,palpitatione quadam cõmouet.Cũ ad gulam aſcendit,tumefacit,ac tuſsiculam ſiccam mouet : linguã petens mouet præter voluntatẽ,aliquando exerens incredibili oris hiatu, aut contorquens inflat : aliquãdo impellit ad loquendũ non ęgrotantis cõceptus
C ſed Dęmonis.Iam verò ex his maxime patefiunt opera Dęmonia,cum aut alienis linguis loquuntur,aut alios loquentes incognita ęgrotantis lingua,intelligunt.Quidam ex his cũ à vexatione conquieſcerent,retulerunt,vocẽ quidem loquentis Dæmonis in ſuis inſtrumẽtis ſenſiſſe,at ſententiã nequaquam percipere potuiſſe,vt pote quibus mens detenta eſſet. Alij interrogati quid egerint aut dixerint,faſsi ſunt nullorũ ſe meminiſſe,quãdiu ſpiritus in capite fuiſſet: Dum autẽ obambularet,ſenſiſſe aiunt veluti formicas ſub cute repentes. Vidi ab eodẽ ſpiritu veſiculam in lingua excitari,& confeſtim diſparere : aliquando plures huiuſmodi apparuerunt, aliquando innumerabiles minutis granulis ſimiles, vnde & Dæmonum numerum arguunt. Si oculos petierit, diſtorquet: Si dorſum,conuulſiones tum in poſteriora,tum in anteriora: aliquando toto corpore rigentes & inflexiles reddit,vt quacũque ui adhibita flecti nequeant. Omnino videretur tertia illa ſpecies Epilepſiæ, quam Medici tradunt à membris extremis excitari aura quadam ad ca

put

put repente,niſi aura remearet vnde diſceſsit,accerſireturque imperio D
ſacerdotis. Solent autem ſacerdotes in pedem ſiniſtrũ relegare. Si fe ratur in partes internas,ut prope cor aut pulmonem,excitat anhelationes,palpitationes,& ſyncopem : Ad vẽtriculum ſingultus & vomitus, vt aliquando cibum aſſumere nequeant,aut aſſumptum continere: rugitus & alia huiuſmodi ſymptomata. Vidi hoc anno duas virgines peculiari quodam modo uexatas, nam alternatim modo riſus intempeſtiuus & grauis affligebat, modo rugitus in Hypochondrijs excitabatur, prout ſpiritus modo ſeptum tranſuerſum aut muſculos intercoſtales titillando conuellebat, modo ad ventriculum vergens flatus commouebat. Signum verò certiſsimum eſt Dæmonis inhabitantis atque inſeparabile : impediri diuinorum cultum: neque enim proferre,neque audire diuina verba poſſunt: tunc enim magis vexantur,cũ vel intereſſe diuinis celebrandis coguntur,vel cæremonias Eccleſiæ peragere. Altera earum quas dixi riſu infeſtari,cum extra tẽplum eſt nullam omnino perturbationem patitur, mẽte conſtat, & tandem omnes operationes inculpatas edit. Idem cõtigiſſe reperio Sacerdoti cuidam Spirenſi, qui Romam ductus liberationis gratia,alioqui bene valebat: tunc autem ſolum vexabatur, cũ in templo eſſet. Teſtantur autẽ obſeſsi quando mente conſtant,velle quidem ritus Eccleſiæ peragere, & cupere ex ſacris auxilium : ſed eſſe in eorum membris quid inſitum , quod repugnat. Signa igitur obſeſſorum hæc ſunt. Cæteri autem morbi ex maleficio ortum ducentes difficillime cognoſcuntur: nam præter ægritudinem,quæ ſuas cauſas naturales habere uidetur, plerunque nihil oſtenditur,quod ſupra naturam ſit. Idcirco relinquuntur tantum ſigna deſumpta à cauſis , & à iuuantibus & lædentibus. A cauſis quidem, vt ſi morbus incęperit ex amore alicuius impẽſo,aut odio præter rationem: Si ex maledictis alicuius malefici : aut tandem ſi rem habuerit cum maleficis, quales vt plurimũ ſolent eſſe meretrices. Si maleficij inſtrumentum patuerit,quale ſuperius dictum eſt. A iuuantibus autem & lædentibus maximum ſignum habetur . Quãdiu enim maleficium perſiſtit, affectio non cędit remedijs naturalibus, quamuis ſecundum rectam rationem adhibeantur. In hac re maxime neceſſaria eſt prædictio,ſi quid Diuinum ineſt in morbis. Nam alioqui medicus effugere nequit infamiæ periculum, cum remedia nihil proſint.

E

F

CAP. XXIII.

SED apud maleficiorum artifices extant modi quidam peculiares tum ad deprehendenda maleficia , tum ad ſoluenda. Explorant enim vtrum morbus ex maleficio ſit hoc modo. Plumbum liquefactum in aquam fundunt, opus hoc peragentes ſuper ægrotum,maxime autem ſuper particulam ægrotantem,interim verba

quædam

A quædam proferentes: oſtendi enim in Plumbo coagulato afferunt & maleficiũ & eius genus pro varia figurarũ cõpoſitione: putant enim in Plumbo inditam eſſe hanc vim à Saturno, vt prodat maleficia. At ſi id ſuccedat, Dæmonis opera putandum eſt fieri. Ferunt quidam Sacerdotes fide digni: Dæmoniacos nequaquam perferre poſſe roſarum odorem, vt neque cogi poſsint iuxta roſarium pertranſire, quo ſigno deprehendi. Odore quoque ſulphuris & alijs ſuffumigijs ſpiritus concitari experimento didicerunt. Quaſi vt ſolet epilepſia odoribus quibuſdam præcipue Gagatis deprehendi, ita ſpiritus latitans huiuſmodi odoribus exagitetur. Reperio apud antiquos ſulphuris ſuffitu domos expiari ſolitas. At verò quatenus ſpiritus corpora quædam ſunt naturalia, aut ex naturalibus extracta, affici aliqua ex parte poſſunt à rebus naturalibus aut ſimilibus aut contrarijs: quatenus autem Dęmonem continẽt, nequaquam. Impaſsibilis enim eſt ſubſtantia. Ad Dæmones igitur ma-

B nifeſtandos aut eijciendos vnica ratio eſt, ſeu corpora inhabitent, vt in obſeſsis, ſeu extrinſecus affligant, vt in cæteris maleficijs, per ea quæ cõmunicant cum eorum natura: ab ijs enim ſolis affici vnaquæque poſſunt. Reperio autem duas rationes inter ſe maximè diſtantes, quibus Dæmones compelluntur ad prodenda maleficia ac ſoluenda: quarum vna petitur ex eadem arte magica: vt qui authores maleficiorum extiterint, ijdem ſanitatem procurent. Quoniam verò non ſemper homines qui maleficia intulerunt, ſuperſtites ſunt, nec omnes eam facultatem habent, vt ſuperius explicatum eſt: Idcirco eos conſulunt, quibus peculiaris ineſt huiuſmodi facultas Dæmonum aut eorundem aut aliorum opera utentibus. Altera ex religione petitur omnino magicæ aduerſa. Illa enim Dæmonum inuocatione vtitur. Hæc diuinis nominibus & ſacris omnem Dæmonis poteſtatem ſoluit. Antiqui non ſatis diſtinguebant inter eam quæ inferorum vel ſupernorum Diuinorumque

C opem implorabant: vtramque enim magicem vocabant & ſacrã diuinamque exiſtimabant, ac in religione habebant. Vnde Hippocrates Diuinum vocauit quod in morbis habetur, cũ potius Dæmonium dicendum eſſet. Nam Plinius inquit: aliam magices factionem eſſe à Moſe & Iochabela Iudæis pendentem multis ſeculis poſt Zoroaſtrem. Summam autem claritatem literarum gloriamque ex ea ſcientia antiquitus & penè ſemper petitam. Ad hanc diſcendam nauigaſſe exilijs verius quam peregrinationibus ſuſceptis Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem: hanc reuerſos prædicaſſe: hanc in arcanis habuiſſe. Sunt & noſtris temporibus, qui de occulta Philoſophia conſcriptis commentarijs præclarum quid & eximium polliceri uidentur, cum tamen citra ſacram Theologiam in rebus ſupra naturam nihil ſit, quod non execrabile habeatur, & ab unoquoque probo viro fugiendum. Celebrant alij tanquam ſacram artem, qua euocari putant numina ſuperna, Cabalam vocantes, quam præcipue Hebræi quærunt: hac

arte

arte putantes Moſem colloquia cum Deo habuiſſe,ac ſigna multa pro D
digioſa oſtendiſſe: non animaduertentes neque in nobis eſſe mouere diuina numina: neque fas eſſe tentare. Vt plurimum enim veluti abortus fit,cum ante ſtatutum tempus frui diuino lumine feſtinamus, vt in hac vita exiſtentibus contingit. Sed hac diſputatione prætermiſſa, nõ enim noſtrum inſtitutum eſt res Theologicas tractare. Neque quo pacto aduerſus maleficia religione, & abiurationibus in Eccleſia inſtitutis vti oporteat. Quemadmodum enim tempore Hippocratis, vbi ſuſpicabantur aliquid Diuinum in morbis eſſe, ante omnia confugiebãt ad diuina numina, vt in libro de Fœminea natura dicitur, & piamentis carminibuſque vtebantur in lib. de Sacro morbo: aut precioſiſsima veſtimenta aliaque munera Dianæ dicabant in lib. de Virginum natura. Sic noſtris temporibus optime ſtatutum eſt, vt æger prius ſacramentis fulciatur, quam Medicus manus admoueat, faciunt enim hæc non ſolum ad ſalutem animæ, ſed etiam quodcunque maleficium ſol- E
uere poſſunt.

CAP. XXIIII.

ILLVD tantum relinquitur quærendum, vtrum humana arte aliquod auxilium præſtari ijs poſsit, qui aut à Dæmone vexantur, aut cæteris maleficijs detinentur. Nam reperio apud antiquos multa remedia inter Amuleta, quæ huiuſmodi veneficijs reſiſtunt. Scylla enim tota in limine Ianuæ ſuſpenſa mali medicamenti noxam aufert, teſte Dioſcoride. Betonica ſecundum Antonium Muſam & Dioſcoridem in altera eius mentione, animas hominum & corpora cuſtodit & nocturnas ambulationes à maleficijs & periculis. Cyclamini radix vbi ſata fuerit, nihil nocere mala medicamenta poſſunt, vt Plinius teſtatur. Moly laudatiſsima herbarum Homero teſte, qua ſumma F
veneficia arcentur, oſtenſa Vliſsi aduerſus Circes inſidias: nam contra omnes magicas artes præcipua habetur, deinde Mitridatium: Scordotis: Centaurium, vt Plinius recenſet. Hypericon ſimilem facultatem habere uidetur, cum à recentioribus quibuſdam fuga dæmonum appelletur. Extant multa in fine Dioſcoridis conſcripta, quæ ex magicis deſumpta videntur, vnde & ſpuria iudicantur, vt hoc. Rhamnus effoſſa in coitu Lunæ cum Sole & geſtata tuebitur contra medicamenta & maleficos homines: pecori quoque alligata, & nauigijs circundata defendit à periculis: Faunos occurſuſque malos abigit. Artemiſia manu contenta nocentes feras & Dæmones fugat. Pentadactilon carpenda Solis ortu Luna creſcente ad faſcinationes & Dæmonia. Buphthalmon collecta augente luna formidines, Dæmonas, mala medicamenta, faſcinationes demolitur. Pæonia legitur flagrantiſsima æſtate ſub canis ortum antequam compareat Sol, dein ſuſpenditur aduerſa medi-

A camentis, faſcinationibuſque: Dæmones & nocturnos incurſus finit. Aiunt in monte quodam infeſto Dæmonibus nata repente Pęonia, retro abiiſſe, refugiſſeque tædia illa. Moly præciſa radice & geſtata defendit à veneficijs & faſcinationibus. Quercus maritima deficiente luna roſaceo admixta, & facie inuncta bonos incepti negocij euentus promittit, geſtata conceptionem procurat, metus nocturnos, faſcinationes, & omnia maleficia abigit, & corpora tuetur à faſcinantium aggreſsione, nam illis appropinquantibus dehiſcit, abſcedentibus contrahitur. Chryſanthemon ſi eruas à terra ante Solis ortum, & corpori circumalliges, vel ſuſpendas è collo, veneficas mulieres & faſcinationes cunctas auertit. Multa quoque huiuſmodi apud Plinium leguntur non ſolum inter plantas, ſed & animalia ac lapides. Sed pleraque cum ſuperſtitionis quid adiunctum habere uideantur, vt ſtellarum obſeruationes, geſtationes, ſuſpenſiones in collo, aliaque huiuſmodi, uim B non ex natura propria habere putandum eſt, ſed ex Dæmone. Naturales enim facultates non eo modo agunt. Idcirco plurima eorum famoſa magis ſunt quam comperta. Multa autem huiuſmodi remedia apud medicos tum antiquiores tum recentiores ſcribuntur ex magicis in naturalem medicinam inſerta. Ideo ob vanitatē vtentes deludunt. Vbi enim Dæmon nequaquam cooperatur, inutilia reperta ſunt. Neque tamen negandum eſt in aliquibus vires contineri naturales ad huiuſmodi morbos depellendos: quatenus enim Dæmones utuntur medijs naturalibus, vt ſuperius dictum eſt, aduerſus huiuſmodi, remedia extant naturalia. Cum autem ſpiritibus quibuſdam immundis & veneficis vtantur, conſentaneum eſt rationi, vt aduerſus eos remedia petantur inter Alexipharmaca: venefici enim ſpiritus ſunt ſiue faſcinantium ſiue quicunque ex maleficio intromittuntur. Venenis autem reſiſtunt non quæcunque mediocrem temperaturam habent, ſed aut ve-C hementer frigida extinguentia contagij ſemina, aut vehementer calida eadem comburentia: ignis enim omnem vim veneficam delet: huius gratia maleficiorum inſtrumenta igne cremanda ſunt, ne amplius inficiant. Quoniam vero quæcunque vehementer excedunt in qualitatibus, corruptiua ſunt noſtri corporis non minus quam uenena: Idcirco ea ſelegerunt Medici aduerſus venena, quæ aliquam partem haberent naturæ noſtræ familiarem, qua corpora noſtra tuerentur, dum venena depellerent. Quæ huiuſmodi facultatem habere comperta ſunt, Amuleta & Alexipharmaca appellata ſunt ob totius ſubſtantiæ proprietatem id ſortita: plurima per experientiam inuenta & longo vſu confirmata. Ex his autem ea maximè opportuna ſunt cenſenda, quæ ſpirituoſam & multam efflant huiuſmodi vim: tum quia intimius penetrant, tum quia cum ſpiritibus conueniunt: ſic enim & permiſceri atque eos alterare poſsint, aut pellere. Idcirco aromata & ſuffumigia his maxime proſunt. Ruta pueris circumuallata ea ratione defendit

dit à faſcinatione, vt hodie vulgus nouit, maximè ſylueſtris. Sclarea & D
fœniculus pręcipue oculos tuentur ab ingreſſu maligni ſpiritus: efflat enim ex his cũ odore ſpirituoſa quędam ſubſtantia. Qua ratione etiã comprobare poſſumus Galeni experimentum de Peoniæ radice collo puerorum ſuſpenſa aduerſus Epilepſiam. Balſamũ fragrantiſsimo odore & ſubſtantiæ proprietate omnem immunditiam ſpiritualem vincit tum inunctione tum potu. Antidotum Alchermes & quæ recipiunt odoratiſsima quęque vt ambram, moſcum, cinnamomum, nardum, lignum aloes, & cætera huiuſmodi, quorum ſylua non mediocris eſt, his multum proficere poſſe putandum eſt. Theriaca & Mitridatum, vt aduerſus omnia venena fuerunt inſtituta, ſimiliter & in hoc genere opem ferent, præcipuè ſi ſpirituoſo aliquo liquore diluta propinentur, cuiuſmodi eſt aqua ardens: nam citiſsimè in omnes partes vim medicamenti fert, ac vires ægrotantium adaugent. Ad diuerſas autem affectiones ex maleficio relictas remedia à Medicis conſcripta non minus pollent, quam ſi alia ratione contigiſſent. Quamdiu tamen viget E
maleficij inſtrumentum vim veneficam fouens impoſsibile eſt ſanari: cuius gratia partim religione partim antidotis prædictis pugnandum eſt. Quod ſi in omnibus naturalibus remedijs pro ſuperſtitione addatur religio, non minorem vim ad fugandos Dæmones & ſoluenda cætera maleficia habebunt, quam magicæ artes ad veneficia inferenda. Vt enim ſuperſtitione vis Dæmonis inuocatur, ſic religione diuinum auxilium: optimè igitur iis conſultum fuerit, ſi cibi & potus, medicamenta ac veſtes, & tandem habitationes ipſæ benedictionibus ſacris fulciantur: & tandem nihil immundum relinquatur ſeu circa ęgrotantis conſcientiam, ſeu circa aſtantes omnes. Neque inutilis fuerit locorum mutatio & veſtium, ac reliquorum vtenſilium, quibus vis uenefica ſæpe abſconditur. Hæc habui Antiſtes Reuerendiſsime, quæ dicerem de morbis, in quibus Diuinum quid habetur. Si quid autem profecerim, tibi profectò aſcribendum fuerit, qui & morum ſanctitate F
qua polles, & officij dignitate, qua exornatus es, à Deo optimo maximo impetraſti, vt in tua iuriſdictione eorum exempla, quæ hactenus occultante Dæmone Piſis viſa nunquam fuere, inter tot huius Almæ Academiæ ſapientes manifeſta fierent, & mihi inter eos minimo ſcribenti, hæc in mentem venirent. Vale.

Dæmonum Inueſtig. Peripat. Finis.

SERENISSIMO

FERDINANDO

MAGNO HETRVRIAE

DVCI III.

Andreas Cæſalpinus Aretinus S. D.

NON *ambitio, non laudis humanæ aucupium, neque præmij ſpes impulit me Sereniſſ. Ferdinande ad exiguas has in Medica facultate lucubrationes edendas: ſed ne ſi quid boni mihi à Diuina prouidentia elargitum eſt, fruſtra accepiſſe viderer. Ingrati enim animi nota exiſtimari poſſet, ſi beneficiorum, quæ mihi collata ſunt, fructus aliquos non rependerem. Cum igitur Medicina donum Cœleſte ſit ad publicam vtilitatem languoribus mortalium propellendis: nephas eſt, quæ quis didicerit, inuide ſupprimere, & genus humanum ijs, quæ opem aliquam ferre poſſint, defraudare. In dies quidem hæc à veteribus tradita augetur, atque expolitur: adeo vt*

nihil ei addi poſſe videatur. Sed cum ſæpe contingat multitudine ſcriptorum artis ſynceritatem caligine potius obduci quam illuſtrari, quandoque etiam deturpari: ſaltem prauorum ſeminum ipſam obruentium extirpatione egere videtur: quo antiqua dogmata à grauiſſimis authoribus tradita, ac tot ſeculis comprobata reuiuiſcant. Vt enim in iudicio non licet ex quorumcunque placitis ſententiam ferre, ſed ex probatiſſimis tantum authoribus eam elicere. Sic Medico, in cuius manu repoſita eſt hominum ſalus, non licet decernere ex eorum opinionibus, qui à veterum ſententia recedunt. Nam vbi quid præter ſpem contigerit, nequaquam culpa vacabit, qui authores diu approbatos dereliquerit. Noua quidem remedia atque optima noſtris temporibus reperta ſunt antiquis incognita: at vtendi occaſio non à quolibet tenetur, ſed ab ijs tantum, qui veterum Medicinam didicerunt. Hanc ego in his profiteor: Hanc expurgare à quibuſdam prauis opinionibus, quæ ſæpe ægrotantes ad interitum ducunt, pro viribus enitor. Idque ſub tuis auſpicijs, vt intelligas, ſi quid profecerim, quantumcunque id fuerit, tibi iure optimo deberi, cuius munificentia, & anteceſſorum tuorum adeptus ſum. Viue fœlix virtutum omnium, exemplo auorum tuorum, protector optime. Ex Piſana Academia.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI,

QVAESTIONVM MEDICARVM LIBER PRIMVS.

Medicum agere de omni corpore tangibili. *Quæſtio 1.*

CVm ſpectet ad Medicum corporis humani & partium eius ſcientiam habere, quatenus ſanitatis & ægritudinis ſuſceptiua ſunt: Ad hæc ſignorum eaſdem affectiones oſtendentium, & cauſarum, vt in arte Medicinali traditur: Nullum eſt corpus tangibile, quod C Medicinæ ſcientiam effugiat. Nam ſaltem materia Medica, quæ ſpectat ad cauſas, in omni corpore tãgibili reperitur: omne enim vim habet agendi in corpus humanũ ſaltem primis qualitatibus, quę tangibiles ſunt: ſeu in genere plantarum, ſeu animalium, ſeu ſint corpora inanimata, vt metallica, & elementa Terra, Aqua. Aer, Ignis. Ex omnibus enim his medicamentorum ſylua paratur, aut ad tuendam ſanitatem, aut ad morbos propulſandos. Ideo perquirit ſingulorum temperamenta & vires, quibus agant in corpus humanum, quatenus eſt ſanitatis vel ægritudinis particeps. At ſi hæc vera ſunt, qui erũnt limites Philoſophiam naturalem à Medicina diuidentes? Vt enim Medicus omnium tangibilium vires & temperaméta perquirit, ſic Philoſophus eorundem principia, & affectiones indagat. Si igitur vires, quibus agunt in corpus humanum, naturales ſunt, non minus ad Philo-

loſophum ſpectabunt, quàm ad medicum: neque videtur ſufficere D
conſiderationis cõtractio ad ſanitatem, quaſi hoc proprium ſit medi-
ci, nõ philoſophi. Nam vt ſanitas, & ęgritudo affectiones ſunt, de qui-
bus agit Philoſophus: Sic & medicamentorum vires ad eundem per-
tinebunt, cum naturales ſint. An etſi Philoſophus de ſanitate agat, &
ęgritudine, non tamen conſiderat, quatenus conſeruari, aut tolli poſ-
ſint. Hoc enim eſt artificis proprium, qui appellatur medicus. Simili
modo etiam de facultatibus medicamentorũ dicendum. Philoſophus
enim ſimpliciter corporum affectiones cõſiderat, & facultates ad agen
dum, vel patiẽdum. Medicus autem quid hominem calefacere poſsit,
aut refrigerare, & ſecundum reliquas qualitates afficere, vt ſanitas con
ſeruetur, & morbi propellantur. 1. Simpl. vlt. & 3. Simpl. 5. Quamuis au
tem huiuſmodi facultates ſint naturales, quippe quę ex proprio vniuſ-
cuiuſque temperamento prodeant, non tamen Philoſophus in ea re-
latione ad ſanitatem conſiderat. Speculatur enim tantum ea, quæ per E
ſe ſunt: at ſanitatem in homine præſtare poſſe, accidit: non enim hu-
ius gratia diuerſa plantarum temperamenta facta ſunt, licet medicus
ad hunc vſum transtulerit. Sed clarioris doctrinæ gratia exemplo hoc
fiet manifeſtum. In ligno ſecundum naturam quidem ineſt mollities
quædam, qua ſecari & dolari poſsit, etiam leuitas, per quam aquæ ſu-
pernatat. Artifex materiam hanc vidit aptiſsimam ad nauẽ conſtruen
dam: nemo tamen dicet potentiam hanc ſecundum naturam in ligno
eſſe, fieret enim nauis à natura, nõ arte: ſed accidit, vt quod præ mol-
litie dolari poſsit, & præ leuitate aquæ ſupernatet, commodiſsimum
ad nauem conſtruendam exiſtat. Sed non huius gratia natura lignum
effecit. Eodem modo natura plantis animalibus, & metallicis varia tẽ-
peramenta dedit, vnde vires conſurgunt aptæ ad ſanitatem conſeruan
dam, & morbos propellendos, nõ tamen huius gratia ea condidit, ſed
vt ſingula in ſuo genere perfectionẽ ſortirentur: accidit igitur, vt me- F
dicas facultates habeant. Cum autem de eo, quod eſt ſecundum acci-
dens, non ſit ſcientia, non pertinet ad philoſophum naturalem de hu-
iuſmodi facultatibus agere, quatenus reſpiciunt ſanitatẽ, aut morbos.
Sed apud medicũ, cuius per ſe eſt ſanitatis conſideratio, quatenus con
ſeruari, aut reſtitui poteſt; per ſe erunt quæcunque hunc finem reſpi-
ciunt, ſeu corpora ſint ſanitatis ſuſceptibilia, ſeu ſigna, ſeu cauſæ, adeo
vt neque excludantur, quæcunque per accidens ſanitatem efficiunt,
vt quæ refrigerando calefaciunt, aut euacuando refrigerãt. Quamuis
enim per accidens ad ſanitatem faciant, per ſe tamen à medico conſi-
derantur, quia ſanitatis gratia accipiuntur non temere, vt cum fortui-
to ſanitas contingit. Hinc patent limites philoſophiæ naturalis, & me-
dicinæ: De omnibus enim corporibus naturalibus philoſophia conſi-
derat principia, & paſsiones per ſe inexiſtentes, inter quas eſt ſanitas,

& ęgri-

A & ęgritudo. Medicus accipiens à philoſopho ſanitatem, & ęgritudinem in homine: Veterinarij in Brutis: Agricolæ in Plantis, diligẽtius omnia, quæ ad eorum ſanitatẽ, & ęgritudinem ſpectant, perquirunt. Cùm enim ad vniuſcuiuſque ſanitatem conſeruandam, & reſtituendam non ſufficiat vniuerſalis philoſophi contemplatio, ſed oporteat minimas quaſcunque differentias ſenſibiles tenere. Ideo medicus corpus humanum non in quatuor elementa reſoluit, ſed in quatuor humores, quorum differentias, & partium ex ijs conſtitutarum vſque ad minimum perquirit, & ſigna, atque cauſas tũ ſalubres, tum inſalubres rimatur, non quatenus in ſua natura ſunt, ſed quatenus hominem vel calefacere, vel frigefacere, aut alio quocunque modo alterare poſſunt. Quamuis igitur medicinæ ſcientia adeo latè pateat, vt de omni corpore tangibili tractet, nõ tamen ingreditur in philoſophiæ meſſem: neque philoſophus ad medicinæ theoremata deſcendit: deſinit enim B vbi medicus incipit, principia inde ſumens.

Medicina artem in cauſarum ſalubrium inuentione, conſiſtere. *Quæſt.* II.

QVAMVIS medicina ſcientia ſit ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, ſiue corpora ſint eorum ſuſceptibilia, ſiue ſigna, ſiue cauſæ: Ars tamen dicitur, quatenus ex ea ſcientia, quantum arti datum eſt, ſalubres cauſas inuenit, quæ remedia appellantur vnicuique opportuna. Sic enim habitus redditur factiuus, vt cæteræ artes, cum per hoc medium effectiuum ſyllogiſmus fiat effectiuus ſanitatis, cuius concluſio eſt operatio, ideſt ſanitatis conſeruatio, vel reſtitutio. Quo proceſſu non exiſtente neceſſario, fit vt aliquando medicus fine fruſtretur, nec ſanitatem optatam conſequatur, vt in cæte- C ris effectionibus contingit ob varia impedimẽta. Neque tamen ob id ars damnanda eſt: nam & natura, quę ab intelligentia nõ errante ducitur, aliquando fine fruſtratur ob impedimenta, cum monſtra parit. At in inuentione medij, ſeu remediorũ, ſi aberrare contingat, nequaquam culpa vacabit: adeſt enim ratio ex neceſſarijs non minus, quàm in cæteris ſcientijs, nempe quæ ex fine procedit ad ea, quæ finis gratia petuntur. Inuentio igitur cauſarum ſalubrium, quæ ex ſanitatis notione fiet pro lapſu vniuſcuiuſque corporis aut particulæ ſine errore continget. Quãtum autem quis in ea notione errabit, vt corporis, vel particulæ ſtatum naturalem ignoret, vel lapſus qualitatem, ac quantitatem, tantundem neceſſe eſt aberrare in remediorum inuentione. Verum cognitio ſtatus naturalis corporis humani, & ſingularum partium merito nomen ſcientiæ meretur: nã in Philoſophia naturali continetur, quamuis diligentius in medicina: Cognitio quoque lapſuum

à ſtatu naturali, quæ in medicina è ſignis habetur, cum adhuc non includat operationem aliquam, ſed ſolam veritatem, ſcientia meritò appellari poteſt,quamuis aliquando coniecturis vtatur. Nam & in partibus Philoſophię naturalis non vbique exacta ſcientia haberi poteſt,vt in rebus Meteorologicis. primo Meteor. cap.1. Relinquitur ſola cognitio cauſarum ſalubrium, quæ prætergreditur ſcientiæ finem, cum operationem includat: Cauſæ enim ſunt, quia corpus alterant & immutant ad ſanitatem, aut conſeruant, vnde principia ſunt operationum. At dicet quis: etiam in natura datur cognitio cauſarũ efficientium, quæ principia ſunt eorum, quæ à natura fiũt, continetur tamen intra limites ſcientiæ. Cur igitur ſimiliter in arte huiuſmodi cognitio non fuerit ſcientia? An eorum, quæ ab arte fiunt,nõ eſt ſcientia? ſunt enim per accidens, cum pendeant ab artifice, non à natura. Principia autem effectionum naturalium non ſunt principia alicuius actionis in ſciente, nam ſciens inuenta veritate quieſcit: nõ ſic medicus: Inuentio enim cauſarum ſalubrium principium eſt operationis ex arte. Non immeritò igitur aliqua pars medicinæ theorica dici poteſt,aliqua pars practica: Quæ enim verſatur citra corporis humani,& partium eius cognitionem, ſeu quatenus ſana ſunt, ſeu ęgra, cum ſuis ſignis, meritò theorica appellari poteſt, quamuis dirigatur ad remediorum inuẽtionem,quod operationis eſt principium: Nam intellectus in ea ſpeculatione perficitur, licet vlterius non progrediatur. At remediorũ inuentio,cũ verſetur circa ea, quæ per accidens ſunt, non perficit intellectũ ſpeculatiuum, ſed eum, qui operationis gratia eſt: vnde hanc partem Practicam vocant, cuius gratia medicina inter artes numeratur. Quidam nomen practicæ calumniantur in artibus: quia praxis ad mores, & ciuiles actiones pertinet: Artibus autẽ factio tribuitur, cuius principium eſt intellectus factiuus,non actiuus. Verũ in artibus,quæ conſultatione vtuntur, practicus intellectus eſt neceſſarius. Conſultatio enim ad practicum pertinet, non ad factiuum. Dum enim conſultat quis, non operatur aliquid extra. Non omnes autem artes cõſultant: nam quæ certæ ſunt, non deliberant, vt naui factiua: quod adduxit Ariſtoteles pro exemplo.2.Phyſ.tex.86.vbi dicebat: Naturã quidem agere propter finem, licet nõ deliberet, nam etiam ars non deliberat: namq; ſi eſſet in ligno nauis faciendæ ars, haud ſecus,atque natura faceret. Ineſt tamen in quibuſdam artibus conſultatio, quæ minus certæ ſunt, vt in arte medica,& pecuniaria, & gubernandi arte, quod teſtatur Ariſt.3.Ethic.cap.3. Conſultamus enim de ijs, quæcunque per nos fiunt, neque ſemper eodem modo eueniunt: ſi enim ſemper eodem modo euenirent, vt in naui fabricanda, nequaquam conſultaremus. Maximè autem in arte medica ex vſu eſt conſultatio,quia multa ſimul conferre oportet. Vt enim cito tuto, & iucundè curatio perficiatur,

A ciatur, inter multa ad idem remedia ſeligenda ſunt opportuniſsima: & ad plures morbos cauſas, & ſy mptomata ea ſunt accommodanda, quę ſeſe non impediant: & vtrum ſimul pluribus affectibus ſuccurrendũ, an vni prius quam alteri, vel magis: & tãdem vtrum natura corporis, vel particularum ſufferant excogitata remedia, an reſpuant. In omnibus his diligens conſultatio requiritur nõ ſolum circa genus remedij, ſed & circa qualitatem, quantitatem, ordinem, tempus, & cæteras conditiones. Non conſultamus autem neque de fine, neque de ijs. quę ex neceſsitate faciunt ad finem conſequendum: neque in quibus vnica ratio eſt: vt neque de ſanitate, neque de morbi calidi refrigeratione, neque de membri luxati repoſitione, neque tandem de cõtrarietate, qua morbi tolluntur, ſed vbi per plura, aut pluribus modis fieri quid poſsit. Quod igitur pars quædam medicinæ practica dici poſsit, ex his patet. Et quomodo ratione inuentionis cauſarum ſalubrium ars di-
B cenda eſt. Reliquas autem partes ad theoricam pertinere, vnde ſcientia proprié appellari poſsit, non eſt abſurdum.

Remedia, vbi natura non adiuuet, inutilia eſſe: Quæſt. III.

COLLIGITVR hæc ſententia ex Hipp. 5. in 6. Epid. 1. vbi inquit: Naturæ morborum medicatrices. Probatur autem inductione. Nam adiectio & ablatio, quibus definitur Medicina ab Hippocrate, abſque natura cooperante fieri nequeunt. Adijcitur enim, quod à natura conuertitur in ſubſtantiam: deficiente autem calore natiuo nutrimentum attrahente & concoquente, deficit & appoſitio & tandem nutritio, vt in ſenectute & morbis multis. Si
C enim in ijs copia alimentorum ſupra vires exhibeatur, cum nequeant concoqui, corrumpuntur, aut vertuntur in excrementa, quæ tandem oneri ſunt ipſi naturæ. Ablatio veró quæ per inediam fit, opus eſt caloris innati abſumentis iam repoſitum alimentum, cum nouum nequa quam ſuppetat. Frictio & exercitatio & balnea calorem augendo idẽ præſtant. Euacuationes veró ſenſibiles non omnes videntur ope naturæ fieri, in quibuſdam tamen manifeſtum eſt. Quæ enim per medicamenta purgantia fiunt, aut per vrinam, aut ſudores, ſine expultrice facultate non perficiuntur: & quo magis naturam habemus adminiculantem, eò fœlicior ſuccedit purgatio. Sed quæ opera manus fiunt, vt venæ ſectio: Cucurbitulis, hirudinibus, non videntur egere auxilio naturæ, totum enim opus inſtrumentis artificis perficitur: ſic amputationes partium putridarum: calculi aut teli extractio: repoſitio luxatorum: abſceſſuum diſruptio & alia huiuſmodi, ſola Chirurgia ſanari videntur. Sed in his eſto, vt totum ablationis opus ſit artificis,

non tamen ex hoc ſolo opere ſanatio contingit, relinquitur enim aut inęqualitas quædam, aut partis imbecillitas, aut ſolutio continui, aut quid aliud, quod naturam requirit ſanantem: Patet id in magnis abſceſsibus diſruptis, ſi enim totum ſimul pus erumpat, virtus collabitur, vt ſæpe ægrotantes pereant: & in puerperis ſi fœtus vi extractum fuerit, relinquuntur inſignes circa vterum labores. Quamuis enim id quod oportebat, eductum fuerit, relinquitur tamen alius morbus, qui naturæ auxilio eget. nempe facultatibus naturalibus partes ad priſtinam integritatem reſtituendo. Idem inducere licet & in cęteris morbis, qui ſola alteratione egent. Alterantia enim ſeu intus aſſumpta, ſeu extrinſecus applicata non agunt, niſi à calore innato reducantur ad actum: nam alioqui medicamentorum vires deliteſcunt, priuſquam à calore corporis fuerint excitatæ quamquam in diuerſis diuerſo modo. Quæ enim calida poteſtate ſunt, ad actum reduci ab eo, quod actu caliditatem habet, omnibus notum eſt. Sed qui fieri poſsit vt à miti calore animalis, qui in homine temperatus eſt, medicamenta calefacta calidiora reddantur, quam animal, adeo vt quædam etiam vrant, dubitationem non mediocrem affert. An in motu naturali non eſt abſurdum, id quod mouetur amplius moueri, quam mouens moueat? impetus enim naturalis, quæ natura eſt, ſufficiens eſt principium ad tantum motum perficiendum, quantus eſt impetus, poſtquam à mouente externo moueri cęperit, vt in grauibus & leuibus patet: pro maiori enim grauitate & leuitate motus fit velocior & tardior. Idem contingit in alteratione naturali elementorum. Aqua enim calefacta, ſi ab ambiente refrigerari incipiat, ad tantam frigiditatem ex natura ſua veniet, quantus eſt eius impetus, non quanta fuerit ambientis frigiditas; & combuſtibilia concepta aliqua caliditate externa, ignem concipiũt ſecundum naturam propenſionis magis aut minus. In motu autem violento contrario modo ſe habet: tantus enim fit motus, quanta eſt potentia efficientis, vltra quam impoſsibile eſt moueri, cum in patiente nullus ſit impetus ad talem motum, vt patet in proiectis, & in calefactione aquæ: cum enim ei ſit præter naturam calefactio, tantum, & eouſque calefiet, quantus fuerit, & quandiu perſeuerauerit ignis. Medicamenta igitur poteſtate calida ab eodem calore animalis ad ſuũ actum reducuntur pro natura eorum, non ſecundum menſuram calefacientis. Contingere tamen poteſt, vt medicamentum propter eius craſsitiem aut duritiem, vel propter caloris imbecillitatem, qui in animali eſt, non reducatur ad actum. Hinc enim fit, vt quæ adhibentur contrita in partes tenuiores, facilius & citius ad actum reducantur: quæ autem ob tenacitatem & craſsitiem conteri nequeunt minus ad actum reducuntur, vt Calamus & Capilli, vt teſtatur Gal. 1. ſimpl. 12. Item ſi corpori perfrigerato medicamenta adhibeantur quamquam ve-

hementer

A hementer calida poteſtate non actu, non calefaciunt, niſi frictione, aut alijs calorificis actu reuocetur calor. Ob eandem rationem oleum corpori temperato applicatum, modice calefacit, ob tegumentum potius quam medicamentum poros illinendo, & calorem quem inuenit, conſeruando: non enim ab eo calore poteſt conuerti in ſubſtantiam quam poteſtate habet. Si vero patienti Eryſipelas applicetur, vehementer calefacit, etiam ſi frigidiſsimo vtaris, reducitur enim tunc ad actum 2. ſimpl. 21. Quæ autem poteſtate frigida ſunt, non eodem modo ad actum reduci à calore animalis teſtatur Gale. 3. ſimpl. 20. Calidi enim eſt per ſe calefacere non refrigerare. Tamen etiam medicamenta frigida refrigerandi potentiã à nobis quadamtenus accipere vult, vt calida calefaciendi; Commune enim in vtriſque eſſe alterationis principium ex paſſuro corpore in acturum medicamentum procedens. Nam quæ poteſtate calida ſunt, in eo alterari, quod incaleſcunt à no-

B bis: at quæ natura frigida ſunt, vt refrigerent, egere comminutione in tenues partes & motu aſcititio, qui ab arterijs attrahentibus fit, vt penetrent in profundum: vtrunque autem fieri à calore noſtro, non quidem innatam frigiditatem vincendo: nam calefacerent vt alimenta: ſed tantum attenuando, & in profundum trahendo, antequam eorum frigiditas vincatur: ſic enim interim refrigerare. Hæc habet Galen. 3. ſimpl. & 18. & 20. Sed aduerſus hæc dubitatur. Non enim videtur neceſſarium, vt medicamenta poteſtate calida aut frigida à calore innato corporis incaleſcant, aut comminuantur, vt agere poſsint pro natura eorum: Nam applicari poſſunt calefacta ab igne, & comminuta arte. Si igitur hoc modo applicata agunt quamprimum, non egent alteratione, quæ fit à calore animalis. Si adhuc non agant, aliud igitur perpeti oportet à calore innato, quam actu incaleſcere aut comminui: iam enim actu calida & comminuta ſuppoſuimus applicari. Num ad-

C huc egent, vt trahantur in in profundum? quod calore & pulſu arteriarum fieri diximus? At ſaltem in ſuperficie alterabunt, quam primum tetigerint, vt reliqua omnia actu exiſtentia: quod in medicamentis nequaquam videmus: ſi enim calefacta igne admoueamus, calefacient quidem primum ſecundum caliditatem ab igne contractam, poſtea vero ſecundum naturam propriam alterabunt, vt patet in cauſticis, non enim quamprimum vrunt, ſed aliquando poſt multum interualſum. Idem ſi actu frigida admoueantur, prius enim vnumquodque agit ſecundum eam qualitatem, quæ actu eſt, poſterius verò ſecundum eam quæ poteſtate, ſeu calida ſeu frigida ſint. Solum igitur calidum innatum animalis, non quod ab igne aut alio ingenio procedit, ducit ad actum vires medicamentorum, quamuis eorumdem diuerſæ præparationes aliquid præſtent, vt citius, aut commodius agant. Sed quid hoc ſit, quod à calido innato præſtatur, difficile eſt videre. Vi-

ſum

ſum eſt enim hoc vnum ex difficillimis problematis: cur Cicuta, Mandragoras & alia, quæ ſumma frigiditate interimunt, citius & magis in calidis naturis ſuas vires prodant quam in frigidis. Cum igitur medicamenta non eaſdem vires in quocunque animali habeant (non enim quæ hominem refrigerant aut calefaciunt, cętera animalia ſimili modo alterant: vt Cicuta homines enecat frigiditate, ſturnos autem nutrit, & calefacit: Hordeum hominibus nutrimentum frigidum exhibet & modicum: equis autem calidum & multum.) Dicendum eſt contingere hæc omnia ob variam eorum alterationem à calido innato factam. Eſt enim natura calidi innati, quam ab anima habet, res conuertere quantum poteſt in naturam ſibi ſimilem: pro varietate autem ſubſtantiæ, quæ humiditas eſt vnicuique propria, & pro intenſione, ac remiſsione caliditatis, res vario modo alterantur. Quod etiam in externis alterationibus patet. Ad elixanda enim legumina incoctibilia, non qualibet aqua vtuntur, ſed pluuia, aut cui nitrum adiectum ſit, aut lixiuium: Ad lapidum ſolutiones aceto, aut ſucco acido limonum: Ad metalla ſoluenda aquis acerrimis, ad reſinas autem oleo vtuntur. Non abſimilem vim habent humiditates vniuſcuiuſque animalis propriæ cum ſua caliditate. Ventriculus enim hominis cum ſua pituita priuatus fuerit, nequit cibos ſolidiores concoquere, neceſſaria enim eſt pituita ad ciborum elixationem. In ventriculis canum etiam oſſa contabeſcunt in ſuccũ. Sic in diuerſis diuerſa corpora concoquuntur pro ſingulorum natura. Hinc colligere licet medicamenta in homine, cui tantum relata conſiderantur in Medicina, quam alterationem conſequuta ſunt ab eius calore innato, talem vim manifeſtare. Quæ enim ex toto conuerſa ſunt in ſubſtantiam alterantis, augent ſolum quantitatem ſubſtantiæ calidæ, non gradum, & ſimpliciter nutrimenta ſunt. Quæ autem ſecundum ſubſtantiam conuerti nequeunt, ſoluta tamen humido partium & alterata à calore, agunt in corpus pro natura ſubſtantiæ, quæ nequaquam aſsimilata eſt: Sic reperta ſunt quædam calida, quædam frigida, quædam humida, quædam ſicca: & ſecundum vnamquanque qualitatem, quædam mitiora, quædam vehementiora: Quas vires non oſtendebant antequam humido partium ſoluerentur, & à calore innato veluti ſtimularentur. Vnumquodque enim quantum poteſt, reſiſtit & pugnat aduerſus cauſas corrumpentes. Cum igitur calidum innatum nitatur omnia in ſui naturam conuertere, ab iiſdem repatitur magis & minus ſeu calida fuerint, ſeu frigida, ſeu humida, ſeu ſicca. Sic aliquando in pugna calidum innatum vincit lædentes qualitates, vt cum piperis feruorem extinguit, quod ſolet in primis venis, vt eius feruor non pertranſeat hepar: & cum lactucæ frigiditatem conuertit in calidam ſubſtantiam. Sed antequam vicerit, neceſſe eſt affici ab iiſ ſecundum eorum vires. Quomodo igitur ex calido innato

nato

A nato excitentur medicamentorum vires, explicatum eſt. Ex quibus patet remedia omnia alterantia, quæ medicamentorum qualitatibus poteſtate exiſtentibus fit, naturę auxilio egere vt reducantur ad actū. Quæ verò actum ex ſe habent, vt aquæ frigidę potus, & uſtio ab igne: & tandem motus omnis, qui Chirurgi opera fit, & ſi ſtatim agunt abſque ope naturæ: ſanitatem tamen per ſe ſola non reſtituunt, in omnibus enim natura egemus vel remedium amplectente, aut inæqualitatē & relictos morbos tollente, & tandem afflictas partes inſtaurante.

Medicamentorum vires in ſecundis qualitatibus magis conſiſtere, quàm in primis. Quæſt. IIII.

QVANQVAM ſecundæ qualitates ſine primis non agant: omnis enim actio, & paſsio ſecundum primas qualitates tan
B gibiles fit. 2. de Gen. & cor. tex. 8. Secundę tamen qualitates, ſeu conditiones ſint primarum, ſeu illis adiunctæ, aut inſequentes, vires poſsident longè maioris momēti, quàm primæ. Aſſeruit hoc Hippocrates in libro de Veteri medicina, eo argumento: Quod ſi quis triticum comedat crudum, aut carnes crudas, & bibat aquam, tali victu proculdubiò ęgrotabit, & ſi diutius perſeueret, cito morietur. Huic auxilium neque ex calidis, neque ex frigidis, neque ex humidis, neque ex ſiccis, quæ ſimplices qualitates ſunt, præſtari poterit: ſed ex mutatione victus, vt pro tritico panem optimè elaboratum edat, & pro crudis carnibus coctas, & pro aqua vinum bibat. Non enim panis quia calidus aut frigidus ſit, humidus aut ſiccus iuuat, aut lædit, ſed quia aut purus ſit, aut furfuri admixtus, multa aqua ſubactus, aut contra: crudior, aut ſuperaſſatus. Idem de cæteris cibis dicendū eſſe inquit: adeo enim variæ, & magnæ vires in diuerſis ſunt, vt unum alteri ſimi-
C le non reperiatur. Has igitur medicum quærere, quomodo ab ijs homo afficiatur: Nam & primi inuentores, iuxta hominis naturā eas inueſtigarunt, artemq; dignam cenſuerunt, vt Deo aſcriberetur. Ij non quia calidum, aut frigidum, humidum aut ſiccū quid eſſet, hominem lædere, aut iuuare putauerunt, ſed quia ſuperari, aut non ſuperari poſſet ab homine. Id verò eſſe, quod ſaporē præſefert inſignem, aut temperatum. Omnem enim inſignem ſaporē lædere, inter dulcia quod dulciſsimum eſt, inter amara quod amariſsimum, inter arida aridiſsimum, & in cæteris omnibus quodcunque excedit. Similiter in homine humores eſſe diuerſis ſaporibus præditos, qui quandiu inter ſe mixti fuerint, & temperati, nequaquam conſpicuos eſſe, neque lædere: vbi verò affuerit aliquis ſeiunctus per ſe exiſtens, tunc conſpicuū eſſe, & lædere. Non ſic qualitates ſimplices calidum, frigidum, humidum, & ſiccum: nā præterquam, ꝙ fortè impoſsibile eſt reperire abiunctas

ab aliqua alia ſpecie qualitatum: ſi fortè ob exceſſum earum morbus D aliquis ortus ſit, facilè ſuperatur plerunque nō egens auxilio externo. Sed ſi amarum quid aut ſalſum, aut acidum lædat, vt in febribus acutis contingit, in quibus non ſolus feruor lædit, non cito liberantur. Ex quibus, & alijs huiuſmodi concludit, in caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate non magnam vim ineſſe ad morbos gignendos, ſed longè potentiores eſſe facultates ad alterandum corpus humanum in ſaporibus, quas inter qualitates ſanandas reponimus. Sed quoniam hæc ſententia repugnare videtur ijs, quę Hippocrates habet. primo de Nat. hum. 7. Quatuor qualitates primas morbos parere, vnde multæ morborum formæ, & curationes. Et videtur deſtruere principia medicinæ apud Galenum in libris de temperamentis, & de morborum differentijs, in quibus ſupponitur omnes partes ſimilares ex quatuor primis qualitatibus conſtare, & ſanitatem in earū temperamēto quodam conſiſtere: morbos autem in earundem receſſu à medio. Idcirco à pleriſque prior ſententia refellitur, & liber de veteri medicina inter ſpurios Hippocratis recenſetur, cum præſertim in eo reprobentur ij, qui artem nouo modo aſtruunt ex ſuppoſitione calidi, frigidi, humidi, & ſicci, quam videmus recipi ab Hippocrate. Primus enim fuit, qui elementa hæc ſtatuerit, vt Galenus teſtatur primo de Elém. cap. 9. At verò ſi Hippocrates huius ſuppoſitionis inuentor fuit, quis poſt ipſum auſus ſit damnare authorem adeo grauem, & principium adeo certum? Quin ſi ea conſiderentur, quæ in eo libro ſcribuntur, inuenientur maximè gennina, & omnino Hippocraticæ doctrinæ cōgrua. Quæ enim in primo de ratione victus in acutis habentur de ſorbitione, potu, & ſolidiori cibo, quibus ſingula conueniant, eorum originem in libro de veteri Medicina explicat: & de fame, & intempeſtiua ciborum aſſumptione & conſuetudine ferè ad verbum tractat. Præterea in libro de Natura humana 1. tex. 21. & 2. Progn. 44. laudat humores optimę permixtos: ſinceros enim & impermixtos valde periculoſos eſſe: Cuius rationem affert in libro de veteri Medicina ſatis euidentem: quia ſincera potentias habent validiſsimas vt ab homine vinci nequeant. Quod autem pertinet ad ſententiam de calido frigido, humido & ſicco, ſi optime eius verba perpendantur, nulla inuenietur controuerſia inter eius dicta. Inquit enim ſtatim in principio libri de veteri Medicina. Quicunque aggreſsi ſunt de Medicina dicere aut ſcribere, ſibiipſis hypotheſim ratione ſupponentes: Calidum aut frigidum, aut humidum aut ſiccum, aut aliud quodcunque voluerint, ad breuitatem reducentes: idem principium hominibus & omnibus, quod morborum & mortis cauſa ſit, vnum aut duo proponentes, in multis quidem, quæ dicunt, manifeſte errant. In his verbis Hippocrates damnat in medicina tradenda ſuppoſitiones ratione tantum excogitatas,

E (margin, beside "Idcirco"); F (margin, beside "laudat humores")

A gitatas, cum ars niti debeat certis & vulgo notis ſententijs, vt paulo mox declarat. Simile quid in initio de Nat. hu. dicebat: Non eſſe ſtatuendum hominem ex vno conſtare, vt multi faciebant, innitentes ijs quæ non ſunt manifeſta. Et paulopoſt tex. 5. inquit. Qui ſtatuebant hominem ſanguinem eſſe, aut bilem, aut Pituitã, in eo conueniebant, quod omnes vnum id, quod cuique appellare viſum eſt, formam & facultatem mutare dicebant à calido vel frigore coactum, & dulce amarum, album, nigrum, & omnimodum fieri. Quorum ſententiam refellit, quia ſupponunt hominem ex vno conſtare: tollitur enim mixtio: ablata verò mixtione non conſurgent ex calido & frigido dulce & amarum & reliqua. In hunc igitur modum in libro de veteri Medicina Hippocrates derogare videtur primis qualitatibus, multum autem tribuere ſecundis, ut ſaporibus. Accipit enim primas qualitates circa vnum quid agentes, vt Medici illi ſupponebant. Sic enim mu-
B tuo ſe ſe expellere, non mixtionem facere: quo modo facillima eſſet omnium morborum curatio. Hoc autem repugnat experientiæ: non enim ſolis qualitatibus primis tolluntur morbi, ſed multo magis per dulcia, amara, acria, & alia huiuſmodi. Cum enim ſimplex fuerit intemperies, & nihil aliud adiunctum, vt in febre Ephemera, facillima eſt curatio, nam ſponte euaneſcit calore extincto, aut modicis auxilijs eget. Et inter intemperies ſiccas prima ſpecies Hecticæ facillime ſanatur, antequam facultas adeo imbecillis reddatur, vt cibos conficere nequeat, & quod deperditum eſt, inſtaurare. Vbi verò id quod lædit, fuerit humor aliquis aut acris aut ſalſus, aut acidus, nequaquam per ſimplicem alterationem in calido aut frigido, humido aut ſicco tollitur, ſed per euacuationem aut concoctionem. Hæc ſententia ſatis pulchre innuitur in libro de veteri Medicina, cum inquit. Si ex frigiditate ſola grauedo fiat, nullo alio accedente, omnibus liberatio hæc eſt:
C vt ex frigiditate quidem affecti percalefiat, ex ardore vero perfrigerentur: atque hæc breui accedunt, & concoctione nulla opus habent. Reliquæ autem omnes fluxiones, quas propter humorum acrimonias & intemperantias ego fieri ſentio, reſtituuntur & curantur, vbi temperatæ fuerint & concoctæ: & quę ſequuntur. Et paulo poſt inquit: coquuntur autem cum miſcentur & inuicem temperantur, & ſimul elixantur. Iterum paulopoſt: Cum amaritudo quædam diffuſa fuerit, quam bilem flauam appellare ſolemus, quales ſtatim anxietates, & æſtus & impotentiæ occupant? Verum vbi liberati fuerimus ab illa, & purgati aut ſponte aut per medicamentum, ſi modo tempeſtiue quid ipſorum fiat, manifeſte & à doloribus & à calore liberamur. Quanto autem tempore eadem eleuata fuerit, & cruda, & meraca, ac intemperata, nulla arte neque dolores neque febres ſedare poſſis: Et quos acuta actiſque & æruginoſa bilis affligit qua-

les

les mox rabies, & morſus viſcerum, ac pectoris, & deſperatio? Non D
ſedantur autem hæc, priuſquam eadem expurgetur, & proſternatur, & aliis permiſceatur. Concoqui autem & permutari, alternariq; & craſſeſcere in humorum ſpeciem per multas, & omnigenas ſpecies contingit. Multa quoque alia in eo libro habentur atteſtantia, non ſimplices qualitates primos morbos parere, & mortem inducere, vt ij ſupponebant, qui ex vno hominem conſtare dicebant. Sed cum homo ex quatuor humoribus conſtet inuicem optimè commixtis, & temperatis, tunc ęgrotat, cum aliquis eorum ſuperabundat, aut impermixtus manet: hinc enim ſapores praui, & lædentes conſurgunt, qui euacuatione, aut concoctione tolluntur. Quod autem humores faciunt, idem & quæ aſſumuntur, aut extrinſecus applicantur, præſtant. Quæ enim facilè vinci poſſunt à calore innato, minimè lædunt: quę autem ſapore conſtant inſigni, ea & difficilius vincuntur, & maximè lędunt. Patet igitur efficaciores facultates eſſe in ſaporibus, qui ſunt inter ſecundas qualitates, quàm in primis: neque contradictionē eſſe in verbis Hippocratis. Derogat enim primis qualitatibus ſecundum ſuppoſitionem eorum, qui nouo modo ſuis temporibus ex vno, aut duobus conſtare hominem dicebant, non per craſim quatuor humorũ. Craſim hanc non negat Hippocrates fieri ſecundum primas qualitates, vt patet primo Nat. hum. 12. Elementa enim eſſe nō ſolum hominis, ſed & omnium corporum, in quæ iterum reuertuntur in interitu. tex. 15. Sed quia diuerſæ craſes, ſeu temperamenta diuerſos ſapores efficiunt, dulcem tanquam affinem temperamento humano: amarum, acrem, acerbum, & reliquos intemperatos, tanquam deſtruētes hominis temperiem: hinc dictum eſt in libro de veteri medicina, primos medicinę inuentores non ſiccum neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quicquam ex his putaſſe hominem lædere, neque aliquo horum opus eſſe, ſed quod in vnoquoque validum, & huma- F
na natura potentius eſt, quodq; ipſa ſuperare non poſſit, hoc ipſum lædere: & hoc auferre conatos: cuius modi ſunt ſapores inſignes. Optima autem ratione venit in hanc ſententiā Hippocrates: Quanquam enim ſecundæ qualitates ex primis oriantur, vires tamen medicamentorum non in primis, ſed in ſecundis continentur, vt patet. Abſtergentem enim facultatem non quodcunque calidum habet, ſed quod amarum eſt: fortè & inter frigida quædam reperiuntur, vt cicorium. Repellit non quodcunque frigidum, ſed quod acidum fuerit, aut auſterum: eodem modo in cæteris contemplari licet. Præterea manifeſtæ ſunt in ſaporibus vires, non manifeſtum, an ratione caliditatis, aut frigiditatis, ſiccitatis, aut humiditatis exiſtant: hoc enim valde ambiguum eſt, adeo vt errores multi contingere poſſint in ratione: nam potius mixturam certam ſequuntur. Idcirco deridet Hippocrates eos,

qui

A qui ſecundum eorum ſuppoſitionem imperabant ęgrotis, vt calidum quid aſſumerent, aut frigidum: ſtatim enim ęger interrogabit, quid ſit illud, vt nugas producere neceſſe ſit, aut confugere ad ea, quæ cæteri exhibent. Sed vt clarius pateat hæc ſententia, conſiderandæ ſunt vires in ſingulis ſaporibus exiſtentes, qua ratione inexiſtant. Cum ſapores diuerſi ex varia corporum mixtione oriantur: in ſimplicibus enim elementis non eſt ſapor: non ſolum ſecundum primas qualitates varia proportione acceptas ſapores variantur, vnde varia temperamenta conſurgunt, ſed etiam ſecundum alias conditiones miſcibiliũ: refert enim multum, ſi craſſarum aut tenuium ſint partium: ſi denſa, vel rara: ſi grauia, an leuia: ſi aſpera, aut lubrica: ſi materia metallica, aut ex animalibus, aut ex plantis deſumpta. Datus eſt enim animalibus ſenſus guſtus, vt eo diſcernat, quod nutrire poſſit, & quod alienum ſit à nutritione. Quod admirabile eſt in lingua, vt diſcernat B proprietates ſecundum totam ſubſtãtiam. 4. Simpl. 15. Nutrire autem poſſunt, quæ tota ſubſtantia ſunt familiaria: hæc autem non eſt neceſſe conuenire in temperamento, ſæpe enim diſsimilia ſunt: ſed requiritur vt eorum materia neque grauis ſit, vt ſalſum: quod enim nutrit, leue eſt ſurſum aſcendens, teſte Ariſtotele: neque aſpera, vt acerbum & amarum: neque ex materia metallica, remotiſsima enim eſt à natura viuentium, præcipue hominis. Cum igitur ad ſaporum conſtitutionem non ſolum primæ qualitates concurrant, ſed & multæ aliæ, non mirum ſi vniuſcuiuſque rei proprius ſit ſapor, & nulli alij in totũ ſimilis: ac ſæpe in eodem temperamento ſecundum primas qualitates, diuerſi ſapores ac diuerſæ facultates reperiantur. Quamuis autem fermè infinitus ſit eorum numerus, reducuntur tamen ad paucas ſpecies, quibus nomina ſunt impoſita. Dulce & amarum tamquam contraria, quia in ſenſum guſtus contrarias affectiones gignunt: Nam dul C ce repletiuum eſt, & naturę hominis familiare, ideo nutritiuum & iucundum. Amarum abſtergendo aufert, naturæ aduerſum, ideo iniucundum & abominabile. His quatuor tanquam medij ſapores adduntur ab Ariſtotele, quia partim iucundi, partim iniucundi. Auſterus, acerbus, acidus, acris: & vt ſex in totum ſint ſaporum ſpecies. In plures etiam diſtribui poſſunt addendo pinguem, qui reducitur ad dulcem: & ſalſum, qui conſequitur amarum apud Ariſtotelem. Eſt & Nitroſus medius inter ſalſum & amarum apud Galenum: & inſipidus qui reducitur ad dulcẽ apud Theophraſtum. Sed hoc pacto innumeri fieri poſſunt ſapores à ſuccis diuerſis nominati: vt vinoſus, lacteus, aqueus, melleus, felleus, & huiuſmodi alij: eodem enim modo denominantur, vt ſalſus à ſale, nitroſus à nitro, pinguis a pinguedine. Alio autem modo ſaporum contrarietas conſideratur medicamentis apud medicos, quatenus tactiuis qualitatibus agunt: hinc enim facultates cale-

calefaciendi, refrigerandi, humectandi, ſiccandi, magis & minus ſecundum gradus vſque ad quartum, qui ſummus eſt. A quibus ſuccedunt aliæ quæ ſecundæ, tertię, & quartę appellantur, ob varias conditiones adiunctas præcipue tenuitatis, craſsitiei, aſperitatis & læuitatis & cæterarum: & tandem materiæ ſimilitudinis, aut diſsimilitudinis: vt emolliendi, ſuppurandi, rarefaciendi, digerendi, incidendi, attenuandi, aperiendi, incraſſandi, condenſandi, glutinandi, occludendi, repellendi, attrahendi, abſtergendi, erodendi, colliquandi, illinendi. Hæc enim & huiuſmodi alia inter ſecundas facultates numerantur. Adhuc tertiæ dicuntur, quæ magis particulares, adiunctis ſcilicet alijs conditionibus ad primas, & ſecundas: vt gignendi lac & ſemen, mouendi vrinam, aluum, vomitum, ſudores, menſes: & oppoſita, vt extinguendi lac & ſemen, ſiſtendi motus quoſcunque: tandem quartæ intelliguntur maximè particulares: vt frangendi calculum, lienem extenuandi, membra ſingula reſpiciendi, roborandi, vnde Hepaticæ facultates, Cordiales, Cephalicæ, Nephriticæ, Stomachichæ, & alias huiuſmodi, quas Galenus enumerat. 5. Simpl. 2. Qua autem ratione in ſingulis ſaporibus huiuſmodi facultates inſint, explicemus. Conſiderantibus igitur hoc modo ſapores, ſcilicet ſecundum tactiles qualitates; Dulcedo in medio reponitur tum calefacientium, & refrigerantium, tum humectantium, & ſiccantium: maximè enim congruit temperamento hominis: ideo ſolus hic ſapor nutrit. Reliqui omnes recedunt hi quidem ad frigidius, vt acidus, auſterus, acerbus, inſipidus: hi verò ad calidius, vt ſalſus, nitroſus, amarus, acris. Eorundem quidam ad humidum, quidam ad ſiccum: Quidam tenuium partium, vt acidus, acris: Quidam craſſarum, vt auſterus, acerbus: ſed hæc melius in ſingulorum explicatione patebunt. Dulcis ſapor magnam habet latitudinem, vnde conſurgunt differentiæ quædam: Nam alia eſt dulcedo eorum, quæ multum nutriunt, vt panis, carnis, ouorum, lactis, leguminum, piſcium, & cæterorum, quibus vtimur in cibo quotidiano: hęc in calido, & frigido maximè accedunt ad medium, differũt in humiditate, & ſiccitate, craſsitie, & tenuitate: vnde quædam extenuantia dicuntur, quædam incraſſantia: Alia eſt dulcedo mellis, ſacchari, ſapę, & huiuſmodi, quæ etſi dulciſsima appellentur, non tamen maximè nutriunt, quoniam eorum caliditas magis recedit à temperato, & quodammodo accedit ad naturam ſalſi: ideo aliqua ex parte abſtergunt, ad ſecundum gradum caliditatis, & ſiccitatis accedentia, quæ & facilè bileſcunt. Alia eſt dulcedo eorum, quæ ad inſipidum vergunt, ſeu aqueum ſaporem: Huiuſmodi in pleriſque oleribus reperitur, vt lactuca, intubo, cucurbita, cucumere, & pleriſque fructibus ęſtiuis. Quorũ temperamentum recedit à medio ad frigidum, & humidum vſque ad ſecundum gradum. Nutrimentum ex his pituitoſum gignitur: corrigit

D E F

A rigit autem acres humores, & ſalſos. Quarta eſt dulcedo pinguis, vt
olei, & pinguedinis parum nutriens ob multam aeream ſubſtantiam
calidi, & humidi temperamenti circa primum gradum: Emollit, la-
xat, ſupernatat in ventriculo ob leuitatem, ideo nauſeam gignit: glu-
tinoſa ſubſtantia, & leni illinit, ideo emplaſtica eſt, ſed ob tenuitatem
ſubſtantiæ non claudit poros: corrigit ſalſa, auſtera, & acerba. Salſus à
dulcedine diſcedit, quia in terreſtri ſubſtantia conſiſtit, & graui, atte-
nuata tamen ob aduſtionē: ideo non nutrit, ſed in condimentis dul-
cedinem præſtat, vbi dulcedo ad inſipidum vergat: Calidus eſt in pri
mo gradu, ſiccus in ſecundo. Incidit, extenuat, digerit, abſtergit,
conſeruat res ne putreſcant, quia eius ſubſtantia imputreſcibilis eſt:
conſtringit ſimul, & exſiccat. Nitroſus dicitur qualis in nitro, aut li-
xiuio: conſiſtit in ſimili ſubſtantia vt ſalſum, ſed calidiori, ac tenuiori:
nam calidus, & ſiccus eſt in ſecundo gradu: eadē præſtat, quæ ſalſus,
B ſed efficacius abſtergit, aluum mouet, ſtomachum turbat. Amarus
tantum ſuperat nitroſum, quantum nitroſus ſalſum: omnes enim hi
in terreſtri ſubſtantia conſiſtunt, ſed à calore magis, & minus attenua-
ta. Ideo amarus excedit reliquos in tenuitate & caliditate: nam acce-
dit ad tertium gradum caliditatis, & ſiccitatis: efficaciſsimus in abſter
gendo, attenuando, & digerendo: obſtructiones aufert, vermes ne-
cat. Acris in materia ignea conſiſtit, ideo reliquos ſapores excedit te-
nuitate, & caliditate: peruenit enim eius caliditas, & ſiccitas ad quar-
tum gradum: mitior tamen, aut feruentior reperitur pro ſaporis inten
ſione, quod & in cæteris obſeruatur. Sed pro diuerſa materia, in qua
ſapor acris eſt, varia præſtare poteſt: adeo vt quædam inter venena re-
ponantur corrodentia, & putrefacientia: Quædam in cibis, & con-
dimentis aſſumantur ſine noxa, quamuis ad quartum gradum calidi-
tatis, & ſiccitatis acceſſerint, vt piper, allium. In materia autem metal-
C lica ſæpe ſiccitas caliditatem ſuperat, vt in alumine, chalchantho: hæc
carnem tenellam, & ſordes auferunt: cicatricem inducunt in vlceri-
bus malignis. At quæ ad ſummū caliditatis, & ſiccitatis peruenerunt,
omnia vrunt, cruſtas excitant ad ſimilitudinem ferri igniti, & putrefa-
ciunt: ideo venenis aſcribuntur, vt chalcitis, auripigmentum, argen-
tum viuum præcipuè ſublimatum. Imponuntur tamen vtiliter vlceri-
bus exedentibus, & gangrenis, vrunt enim vt ignis. Pauca autem hu
iuſmodi reperiuntur in materia plantarum & animalium, vt cantharis,
aconitum. Quorū autem materia familiaris eſt, vt à calore noſtro vin-
ci poſsit priuſquam vires ſuas impreſſerint, etiam ſi in extremo calida
ſint, & ſicca, tuto aſſumi poſſunt, vt piper, ſinapi, pyrethrum: Allia
quoque cæpæ, & bulbi, quoniam & ipſa guſtui feruentia ſunt, in quar
to gradu caliditatis ſtatuuntur, ſed quia humore tenaci conſtant, cui
aliqua dulcedo ineſt, nō pariter ſicca, in cibis aſſumuntur. Attrahunt

hæc ex alto,& vehementer digerunt,rubificant, & aperiunt ora vena- D
rum. Quæ mitiorem habent acredinem,vt origanum,ſerpillum, thymum, calida & ſicca ſunt in tertio ordine. Adhuc minus mentha,ocymum calida in ſecundo, & ob quandam humiditatem minus ſicca. Horum vires digerendi, ſecandi, attenuandi,mouendi vrinas, & menſes. Quæ in hoc genere adhuc minus acria ſunt,& tenuium partium, vt chamæmelum, anethum in primo gradu calida, & ſicca ſunt, vim habent rarefaciendi, ſedandis doloribus commoda, quæ verè anodyna dicuntur. Corrigitur hic ſapor aſtringentibus: ſed metallica oleoſis. Acidus inter frigidos tenuium eſt partiũ in materia aquoſa, duorum generum. Quidam exortus eſt ex acerbi ſolutione, affluente humore tenui, vt qui in omphacio, ſucco granatorum, limonum. Alius ex dulci per quandam putredinem, vt cum fructus poſt maturitatem humore madefacti aceſcunt, & vinum expirato calido in acetum vertitur. In his aliquãdo remanet aliquod veſtigium caliditatis ex putre- E
dine. Superat tamen in omnibus frigiditas ob aqueam ſubſtantiam, & ſiccitas in his quidẽ ob veſtigium ignis ex putredine, in illis autem ob acerbi, quod terreum eſt, ſolutionem. Vtraque qualitas in plurimis ſtatuitur in ſecundo gradu: Acetum tamen,& citri acidus ſuccus in tertio vtriuſque ponitur. Incidunt, & extenuant craſſos, & lentos humores cum refrigeratione: ideo in febribus putridis pręcipuè conferunt ab obſtructione ortis: faciunt & aduerſus putredinem refrigerando & ſiccando, & ob tenuitatem penetrando in profundum. Repellunt, appetentiam reſtituunt: ſitim extinguunt. Sed ob morſum nocent partibus neruoſis, & valde ſentientibus: lędunt & melancholicos ob ſimilitudinem temperamenti, & quia fermentant, attollunt, & multiplicant,pręcipuè acetum. Corriguntur à dulci. Sapores aſtringentes duo ſunt, auſterus & acerbus, qui differunt ſecundum magis, & minus: vtrique in materia craſſa, & terreſtri, vnde aſperitatem fa- F
ciunt. Auſterus terreã ſubſtantiam habet humore dilutam ad ſecundum gradum frigiditatis,& ſiccitatis pertingens: vt in malis cydonijs, meſpilis: Condenſat, indurat, comprimit, occludit, repellit, partes roborat: obnoxius tamẽ eſt obſtructionibus,corrigitur ab acri,& amaro. Acerbus in materia craſſa, & exactè terreſtri conſiſtit,cuius ſiccitas ad tertium gradum pertingit, frigiditas ad ſecundũ,vt in galla,ſorbis immaturis, malicorio. Sed hic ſapor in metallicis non eſt ſine caliditate, vt in alumine chalcanto: admixta enim eſt acredo. Efficacius aſtringit, & condenſat, & exaſperat, putridis vlceribus ſiccandis, glutinandis,& cicatrice obducendis. Inſipidus inter ſapores numeratur tanquam priuatio. Quidam eſt in materia ſicca, qualis eſt terra pura, & calx exactè lota: cadmia elota: gemmarum pulueres: auri, & argenti bracteæ: Hæc in caliditate,& frigiditate parum à medio recedunt:

A dunt: frigida in primo gradu, ſicca in ſecundo. Exſiccant ſine morſu: poros infarciunt: emplaſtica. Inter hæc quæcunque agglutinata non lapideſcunt, (contingit autem id gipſo, calci, ceruſſæ, quæ hauſta venas occludendo ſtrangulant) reſiſtunt putredini, & venenis putrefacientibus, febribus peſtilentibus, exſiccant enim abſorbendo lichores prauos, nec lædunt exceſſu qualitatum. Aliud genus inſipidorum in materia humida conſiſtit, qui ſapor aquoſus dicitur, qualis in aqua puriſsima, ſed hic inter dulces reponitur, nam iucundus eſt. Qui autem ob aliquam mixtionem iniucundus eſt, indicibilem quandam præſeferens qualitatem, vnde fatuus ſapor à quibuſdam dicitur, in ſubſtantia aquea, & craſſa conſiſtit, frigida vſque ad quartum gradum, humida paulo minus, aut etiam ſicca ob terrei admixtionem. Ineſt autem hic ſapor magis, & minus in ſemperuiuo, cotyledone, papauere, hyoſcyamo, mandragora, cicuta, ſolatro, & alijs huiuſmodi.
B Extinguunt feruorem quemcunque, etiam calidum innatum: vnde obſtupefaciunt, ſoporem inducunt, & largius aſſumpta interficiunt: latet autem ſæpe hic ſub alijs ſaporibus, quia quod priuatum eſt, facile recipit alienas qualitates. Sub dulci ineſt in fungis maleficis, & in cholchicò: ſub amaritudine in Opio. Corrigitur ab acribus. Sed horum omnium demonſtrationes videre licet apud Galenum, lib.4. Simplicium. Miſcentur autem ſapores inuicem cuiuſcunque generis, vnde & vires mixtæ proueniunt. Ex quibus patet in ſaporibus, qui manifeſti ſunt ſenſui, vires medicamentorum conſiſtere, non in ſimplici caliditate, aut frigiditate, humiditate, aut ſiccitate. Qualitates enim hæ actu exiſtentes in medicamentis extraneæ ſunt, non ex natura propria. Quæ autem ſecundum potentiam dicuntur, latent ſub quolibet ſapore, vnà cum reliquis facultatibus ſecundis, tertijs, & quartis. Ideo ad vniuſcuiuſque vires noſcendas, ſatis eſt ſapores optimè
C nouiſſe: nam & temperamẽtum proprium vniuſcuiuſque, & gradum primarum qualitatum, & materiæ conditiones in tenuitate, craſsitie, & cæteris, in quibus ſaporum varietas continetur, innoteſcent.

Febrem eſſe conuerſionem natiuæ caliditatis in igneam. Quæſt. V.

QVAMVIS multæ tradantur febris definitiones, nulla tamen exactius eſſentiam eius explicat, quã prædicta, quæ traditur à Galeno. 1. Aph. 16. & 1. Acut. 18. Hæc enim, & formam exactè oſtẽdit, nempe conuerſionem in igneum: & ſubiectum natiuam caliditatem. Forma quidem imperfectè explicatur, cum dicitur: eſt intẽperies calida per totum corpus diffuſa. 9. Meth. 14. & in illa: Febris eſſentia in nimio calore cordis cõſiſtit. 3. de Pręſ. 5. non enim

patet ex his conditio propria caloris febrilis. Perfectius explicatur, D
cum additur læſio actionis, vt 2.Meth.7. Eſt calor auctus in vniuerſo
corpore, adeo vt lædat actiones. Nam alioqui nõ eſſet inter morbos,
vt ira. Sed omniũ perfectiſsimè explicatur per conuerſionẽ in igneam
caliditatem. Non enim poſſumus dicere ſimpliciter eſſe igneam caliditatem: nam cum igne perfecto non ſtat caliditas innata, neque vita, quæ tamen in febricitantibus ſunt. Sed quandiu conuertitur in ignem, participat de vtroque. In hoc igitur conſiſtit febris eſſentia, vt neque ſit ignis, neque caliditas extranea tantum, ſed quæ conuertatur in igneam. Neque tunc eſt neceſſe addere læſionem actionis, ignem enim caliditas, vt deſtruit innatam, ſic non poteſt operationes caloris innati non lædere. Sed huic ſcientiæ illud obſtare videtur, quod igneæ caliditati ſemper eſt adiuncta ſiccitas, ignis enim calidus eſt, & ſiccus. At febris reponitur inter ſimplices intemperies. 1.diffe. fe.3.& 2.Meth.7. & 8. Meth.1. ſcilicet in ſola caliditate. Patet etiam E
ex diuiſione: quædam enim traduntur aridæ, vt quæ ex laſsitudine 2.Criſ.13. quædam humidæ, in quibus prima die ſudores proueniunt copioſi, vt ſcribitur in libro contra Lycũ: & in Quotidiana.1.Gla.7. Non eſt ergo ſiccitas de eius eſſentia, ineſſet enim omni. At verò in oppoſitũ non deſunt authoritates, & rationes, quæ omni ineſſe oſtendunt. Nam præter rationem deſumptam ex calore igneo, extat Hippocratis ſententia.1. Aph.16. Victus humidus omnibus febricitantibus confert. Ergo omnis febris eſt paſsio non tantum calida, ſed & ſicca, ſi remedia debent eſſe contraria affectioni. Et 9. Meth.14. Febris quatenus febris poſtulat humectantia, & refrigerantia: ergo omnis. An ſiccitas, quæ in diſpoſitione eſt, & fit, non adhuc morbus eſt, niſi eius ratione lædat actiones? Omnis autẽ febris exſiccat quidem, nam etiam calor naturalis exſiccat, niſi humectante alimento reparetur.1. Aph.14. Nõ tamen ea ſiccitas ſemper eſt morboſa: eget autem F
humectatione ſaltem ad præcauendum: præterquam quod victus humidus facilius digeritur: facilius enim eſt impleri potu, quàm cibis. Adhuc inſtabit quis etiam calorem febrilem quandoque in diſpoſitione eſſe: Galenus vocat febrem ἐνσχέσει. 8. Meth.1. tamen morbus eſt. Præterea ſi omnis morbus diſpoſitio eſt facta: quę autem fit non morbus, ſed Pathos vocatur à Galeno.2.Meth.3. Conuerſio in igneũ non erit morbus, cum eſſentiam habeat in fieri, non in facto eſſe. Reſpondetur: omne quod fit, dum fit, habet aliquid facti. 6.Phyſic.59. Si igitur aliqua ex parte igneus calor factus eſt, etiam morbus erit, neceſſe eſt enim aliqua ex parte calorem natiuum corruptum eſſe. Non contingit autem idem in qualibet calefactione: nam & ſi quod calefit, habet aliquid calefacti, non tamen ex neceſsitate gradus ille caliditatis acquiſitus morbus eſt, nõ enim qualibet caliditas ſuperans actio-

nes

A nes lædit,at ignea ſemper. Optima igitur ratione cõuerſio in igneum diſpoſitio eſt morboſa non ratione eius quod fit, nam hæc non dum eſt, ſed ratione eius quod factum eſt. Non autem accipitur hic calor igneus quicũque ab igne fit, ſed qui materiam,in qua eſt,conuertit in ignem,vt ardeat. Neque melius explicari poterat calor febrilis quam per conuerſionem in ignem. Eſt enim ignis continua conuerſio humidi in ſiccum.2.Meteo.cap.2.quæ proprie arſio dicitur,& ardere,vnde ſemper alia atque alia eſt flamma,deficiẽte autem pabulo extinguitur. Sic calor febrilis abſumit ſemper ſuum pabulum, quod in cæteris alterationibus non eſt neceſſe,tum in calido, tum in frigido, humido aut ſicco. Vrgebit amplius quis. Si ignis conuerſio eſt humidi in ſiccum, conuerſio in ignem erit conuerſionis conuerſio, & ſic nugatio. An tollitur Sophiſma: Per ignem intelligit Medicus ſummam caliditatem, quæ in febre continuè fit in calore natiuo. Sed quoniam cali-

B ditas augetur,dum calor natiuus fit igneus, dubitationes contingunt. Auctio enim caloris non videtur deſtruere minorem, ſed perficere: continet enim minorem vt maior numerus. Præterea deſtructio fit inter contraria,non inter ſimilia: at calor calori non eſt contrarius,cum ſint eiuſdem ſpeciei,vt animaduertit Galenus in libro contra Lycum. Male igitur poſitum eſt, calorem febrilem deſtruere innatam caliditatem,& eius operationes impedire. An auctio duobus modis contingit: vel ſecundum quantitatem, vt paruus ignis ſe habet ad maiorem; vel ſecundum qualitatem, vt auctio ſecundum gradum. Quæ igitur ſecundum quantitatem nequaquam deſtruit minorem, ſed perficit: maior enim ignis efficacius vrit,quam paruus: & qui plurimum calidi innati habent melius concoquunt, & reliquas operationes naturales perfectius edunt. At in auctione ſecundum gradus contrarietas adeſt, vnde oritur alterius deſtructio: non quod calorem deſtruat, ſed frigi-

C dum, quod ineſt in minori caliditate: minor enim gradus caliditatis opponitur maiori non tamquam calidus, ſed vt frigidus: nam intenſio & remiſsio fiunt per admixtionem contrarij. 5.Phyſ. tex. 19. quomodo omnia media contraria ſunt utriſq; extremis: alteri enim comparata opponuntur vt alterum contrarium. Sic calor innatus vt frigidum ſe habet ad calorem febrilem,& differunt ſpecie: contraria enim non ſunt eiuſdem ſpeciei. Nec mirum ſi inuicem agant, & patiantur, vt patet in febricitantibus,cum modò vincat calor natiuus coctionem præſtans, modo febrilis putredinem augens. Præterea dubitare licet, ſi in febre calor natiuus igneus factus eſt,nõ eſt amplius natiuus, quod enim mutatum eſt,abiecit oppoſitam affectionem,alioqui non mutatum eſſet. At hoc modo in febricitantibus nulla remanebit operatio caloris natiui,imò neque vita: hęc enim in calido innato cõſiſtit, quod deletum eſt facto igneo. An vera hæc forent,in mutatione ſecundum

totum, non enim remanerent contraria. At in mutatione ſecundum D
partes non abſurdum, imò neceſſarium remanere aliqua ex parte con
traria. Bene igitur dictum eſt, febrem conuerſionem eſſe caloris natiui in igneum, non ignem eſſe: quod enim conuertitur, partim eſt in termino à quo, partim in termino ad quem. Quod ſi pars facta accipiatur ad morbi cõſtitutionem: ea neque ignis eſt ex toto, neque calidum innatum, ſed quid participans de vtraque natura. Ideo eius operatio partim ſecũdum naturam calidi innati eſt, vt coctio: partim præter naturam, vt putredo: miſcenturque affectiones, pluribus modis, prout vel ignis ſuperat, vel calidum innatum, primo diff. feb. 6. Tertio circa hæc dubitatur. Si remanet calor igneus cum natiuo, contraria in eodem ſubiecto erunt: circa idem ſubiectum fit mutatio omnis. An vtraque refracta in eodem eſſe non eſt inconueniens? ſic enim & mixtio fit ex contrarijs. Sed contra: poſtquam vtraque contraria refracta fuerint ad medium aliquod, non amplius agunt inuicem, vnum enim E
facta ſunt: at omne agens alterum eſſe oportet ab eo quod patitur. Non ergò calor natiuus aget in igneum, neque igneus in natiuum: at falſa hæc ſunt, pugna enim ſemper fit inter morbum & naturam, donec alter vicerit, tunc enim fit quies. An & ſi calor natiuus & igneus vnum ſubiecto ſint, non tamen ſecundum eaſdem ſubiecti dimenſiones inſunt, vt in Quæſtionibus Peripateticis explicatur: innata enim caliditas in profundo eſt, ignea autem in ſuperficie, vt frigiditas & calor in aqua calefacta. In diuerſa etiam ſubſtantia vigent vtræque in ſingulis generibus febrium: Cum enim ignea caliditas contracta fuerit in ſpiritibus, innata vigebit magis in humoribus, & ſolidis, aut è conuerſo in cæteris generibus. Quomodo igitur per conuerſionem in igneum pars formalis febris optime explicetur, dictum eſt. Pars autem materialis nempè ſubiectum exacte oſtenditur per verbum: Calidum innatum. Nam quæri ſolet, vtrum vniuerſum corpus ſit proprium fe- F
bris ſubiectum, vt innuitur. 9. Meth. 14. Eſt intemperies calida per totum corpus diffuſa. At ſatis eſt in pluribus partibus eſſe accenſam, vel nobiliſsimis. 1. in 6. Epid. 29. Alibi cor traditur eſſe proprium ſubiectum. 3. de Præſ. 5. vbi inquit. Febris eſſentia in Cordis nimio calore conſiſtit. At dicuntur febre laborare etiam cæteræ partes, ideo indeterminate loquitur. 7. Meth. 8. inquiens: locus febris vel cor, vel totum animal. Aliquando genus venoſum huiuſmodi ſubiectum ponitur. 1. Criſ. 7. Eſt paſsio generis venoſi: ideo ex vrinis eius indicia habentur. At ſi venæ ex Hepate ortum ducunt, prima accenſio erit in Hepate non in corde. At cor primum febrem concipit. 10. Meth. 8. Vtrum igitur per genus venoſum ſolas arterias intelligamus? At indicia ex vrinis vtrumque genus affici oſtendunt. Ideo Auicenna omnia hæc oſtendens ſubiecta, inquit: Febrem eſſe calorem extraneum accen-

ſum

A ſum in corde tendentem in vniuerſum corpus per venas & Arterias mediante ſanguine & ſpiritu, & quæ ſequûtur. At breuius & exactius per ſubſtantiam calidi innati ſignificatur proprium febris ſubiectum. Cum enim eius fons ſit in Corde, neceſſe eſt primum in Corde oriri, deinde per venas & arterias diffundi in totum corpus, aut in plurimas partes, aut in principaliſsimas. Cum autem ſubſtantia calidi innati ſint ſpiritus, & ſanguis & ſolidæ partes. 1. Aph. 15. hinc tria genera febriũ orta ſunt, in ſpiritibus Diaria, in humoribus putrida, in ſolidis Hectica. Sed aduerſus hæc dubitationes contingunt. Si admittatur hæc ſententia, videtur confirmari ſententia Ariſtotelis de principatu Cordis: deſtrui autem Galeni placitum de quatuor principijs. Nam ſi tam venæ quam Arteriæ diſtribuunt calorem febrilem in totum corpus, cor erit principium tam venarum quam arteriarum: quod enim calorem febrilem diſtribuit, etiam natiuum, cum ſint vnum ſubiecto. At partes

B tes quæ diſtribuunt à corde calorem natiuum, ortum ducunt à Corde, vt habetur in Arte Medicinali. Aſtruitur prætereà ſanguinis principium in Corde eſſe non in Hepate. Cum enim ſubſtantia calidi innati conſiſtat in tribus, nempe in ſpiritu, ſanguine, & ſeminali humiditate, ex qua fiunt partes ſolidæ. 1. Aph. 15. Accipiamus calorem natiuum in ſanguine, tunc licet hoc pacto argumentari. Vbi eſt principium ſanguinis, ſi mutetur in igneum, erit primum febris: At in Hepate eſt principium ſanguinis ex Galeno, Ergo in Hepate primum febris erit. At ſuppoſitum eſt, in corde primum. In corde igitur eſt principium ſanguinis. Eodem modo argumentari licet de ſeminali humiditate, cuius origo ponitur in teſtibus. Vbi eſt origo inſiti caloris, ſi vertatur in igneum, primum febris eſt: At in teſtibus eſt origo inſiti caloris ſeminalis. 1. de Sem. 15. Ergo ſi vertatur in igneum, in teſtibus erit primum febris. At ſuppoſitum in Corde eſſe. Seminis igitur ori-

C go in Corde eſt. De ſpiritu quoque argumentatio procedit in hunc modum. Cum ſpiritus alius uitalis ſtatuatur, qui in Corde gignitur: Alius animalis in Cerebro: De accenſione ſpiritus vitalis nulla eſt ambiguitas, febrem enim in Corde primum gignit. At de animali dubitatio cõtingit. Si enim & hic ſubſtantia quædam calidi innati eſt, quæ per neruos toti corpori diſtribuitur: eius accenſio febris erit & primũ in cerebro. Quod ſi in Corde primum febris omnis accenditur, ſiue ſit in ſpiritibus, ſiue in humoribus, ſiue in ſolidis: Cor erit principium omnium, in quibus ſubſtantia calidi innati conſiſtit. Reſpondetur vnicum eſſe fontem caloris innati cor, cuius calore totum corpus regitur. 6. vſ. par. 7. vnde vnicum principium caloris febrilis. Cum autem dicitur in Hepate ſuum eſſe calorem, quo ſanguis gignitur, quique per venas cum ſanguine toti corpori diſtribuitur facultatem naturalem ferens, vt Galenus vult; non accipiendum, eſſe vt alterum fontem calo-

ris: niſi enim calore Cordis foueretur, extingueretur illico. Sed Hepa D
tis caliditas, vt cæterarum partium potentia tantum eſt, reduciturque
ad actum à calore cordis: hic enim ſolus in corpore actu eſt per ſe:
ideo cætera viuunt, quia adnata ſunt cordi, vt dicit Ariſtoteles in li-
bro de communi animalium motu: & priuata eius calore moriuntur.
Nec dicendum eſt, vt quidam putant, calorem inſitum in ſingulis
partibus miſceri cum calore influente à corde, atque effici tertium
quendam calorem, quo ſingularum operationes perficiantur. Si enim
eſſet actu aliquis calor inſitus in ſingulis partibus non communicatus
à corde, non extingueretur deſinente eo qui influit: per ſe enim ſup-
ponitur ineſſe non aliunde communicatus. At videmus omnia per-
frigerari, cum deſtituuntur calore cordis. Præterea nulla eſſet neceſ-
ſitas febrem in corde primum eſſe: cum in calore inſito totius corpo-
ris accendi poſſit primum. Sed inſtabit quis: poni à Galeno inſitum
quendam calorem in Hepate & ſanguine tepidum abſque calore cor- E
dis, qualis eſt in domibus æſtiuo tempore, in libro de For. fœtus cap. 3.
At hoc dixit Galenus dari in formatione fœtus, antequam cor geni-
tum eſſet: tunc enim à corde non poteſt calefieri nondum exiſtente,
vt ipſe vult. Habet tamen eam caliditatem à corde Matris. Alioqui
ſibi ipſi repugnaret, cum in primo, de Temper. cap. vlt. dixit. Sanguis
ipſe à corde ſuum calorem accipit. Idem de teſtibus dicendum eſt:
communicatur enim iјs à corde calor ſibi proprius, qui non ex duo-
bus caloribus conflatur, ſed ex potentia, quæ inſita eſt, & actu, qui in-
fluit à corde. Non eſt autem abſurdum, vt inde tanquam ex altero
principio in totum animal ſpargatur, quod execta demonſtrant: fri-
gidiora enim redduntur altera inſiti caloris origine priuata, primo de
Sem. cap. 15. Sic Hepar aliud principium euadit, cui facultas natura-
lis tribuitur: non tamen primum ſubiectum febris eſt, quia calorem
actu non participat niſi à corde. Illud autem ex dictis colligere poſ- F
ſumus: Quodammodo cor eſſe omnium facultatum principium: eius
enim calore omnes naturales operationes perficiuntur 8. Plac. 7. Quo
pacto Ariſtoteles vnicum principium conſtituit: vnicus enim fons ca-
loris innati cor. Quodammodo autem plura principia, vt Galenus
vult: quatenus inſtrumenta proxima facultatum plura ſunt. Bene igi-
tur poſitum eſt, ſubſtantiam calidi innati eſſe proprium ſubiectum fe
bris. Cum enim hæc ex unico principio tanquam fonte in totum cor
pus diffundatur: calor febrilis ſimili modo ex eodem principio in to-
tum corpus ſpargitur.

Ex tri-

A

Ex triplici ſubſtantia calidi innati triplex genus febrium haberi. Quaſt. VI.

RATIONI conſentaneum eſt, ſi proprium febris ſubiectum eſt ſubſtantia calidi innati, vt ſuperius probatum eſt: tot eius eſſe genera, quot ſubſtantiæ. Triplicem autem eſſe ſubſtantiam calidi innati colligere licet ex Gal. 1. Aph. 15. vbi inquit. Tria eſſe corpora, quæ primæ noſtræ naturæ ſubſtantiam compleuerunt: Spiritum, ſanguinem, & ſeminalem humiditatem, ex qua partes ſolidiores animalis fiunt. Hęc Hippocrates. 6. Epi. 8. appellauit: Continentia, contenta, & impetum facientia: vt exponit Galenus. 1. de dif. fe. 1. Eandem ſententiam habet Ariſtoteles. 3. de Gen. an. 10. inquiens. In corpore humor, in humore ſpiritus, calor animalis in toto eſt. Aliquando
B tamen duo tantum recenſentur, vt. 8. Plac. 7. ex Platone, qui in ſanguine & venis calorem quendam veluti ignis fontem ſtatuit: quo loco prætermittuntur ſpiritus: & paulo poſt inquit: Inſiti caloris ſubſtantiam in ſanguine & pituita ſubſiſtere, humores tantum ſignificans. Alibi humores derelinquens, ſpiritus & corpora ſolida recenſet. Nam 12. Meth. 5. quærens in quibus robur virium conſiſtat, affert ſpiritus & corpora ſolida: eorumq; tantum curam habet, vbi vires labefactatas inſtaurare & conſeruare oporteat. Eandem ſententiam habet. 11. Meth. 1. vbi naturam ex tribus his partibus conſtare inquit. Ex ſpiritus & earum, quæ vere ſolidæ dicuntur, ſubſtantia, quas ex ſemine genitali conditas eſſe ſtatuit: & tertia ab ijs carnoſa, quæ cuiq; particulæ eſt ſua. Nam hic quoque humores derelinquit: ſolidarum ſubſtantiam in duas ſecans, ſeminalem ſcilicet & carnoſam. Verum in diuerſis locis pro diuerſa exigentia, nō eadem opportuna videntur. Si enim
C elementa reſpicimus, ex quibus conſtat animal, humores tantum dicemus eſſe calidi innati ſubſtantiam, nempè ſanguinem & pituitam: nam hæc veluti ſanguis eſt inchoatus: ſanguis autem ex quatuor humoribus eſt commixtus. Si verò conſideremus opera naturæ perfecta, quæ ex iiſdem elementis conſurgunt, duo reliqua genera afferemus, nempè ſpiritus & corpora ſolida: quorum alterum eſt commune animæ inſtrumentum: alterum vnicuique proprium. Spiritu enim ad omnes actiones anima vtitur: corporibus autem ſolidis ſigillatim ad vnamquamque pro vniuſcuiuſque natura. Ideo robur virium in his duobus generibus poſuit Galenus: nam hæ duæ ſubſtantiæ perfectionem adeptæ ſunt. Non tamen ob id tollitur, quin & in elementorum natura vires conſiſtant: ineſt enim & in ijs calor innatus. Nam ſi larga venæ ſectione aut alio genere euacuationis fiat vaſorum compreſsio, illicò vires collabuntur. Et in hyeme fiunt meliores coctiones, quia cum ſanguine

guine & ſpiritu calor innatus concurrit ad partes internas. 1.Aph.15. D
quod nequaquam contingeret, ſi etiam in ſanguine non conſiſterent vires. In tribus igitur ſubſtantijs tum calor innatus, tum vires ſubſiſtunt quamuis diuerſimode. Nam in ſpiritibus inſunt, tamquam in ſubſtantia diuiniori, quam omnis animæ virtus participat proportione reſpõdentem elemento ſtellarum. 2. Gen. an. 3. quamque Galenus aliquando eandem cum anima ſuſpicatus eſt. In ſolidis autem tanquam particularibus animæ inſtrumentis. In humoribus vt materia reliquorum duorum generum. His autem tria genera febrium meritò aptantur. Ephemera in ſpiritibus: Putrida in humoribus: Hectica in ſolidis, vt enim maximè differunt ſubiecta, ſic & calor febrilis ſingulorum. Sed aduerſus hæc dubitatur. Si febris eſt totius corporis morbus, non videtur differre ſubiecto. Præterea in humoribus conſtitui morbum aliquem videtur abſurdum: dicitur enim ægrotare corpus, cuius ſunt operationes, vnde earum læſio ſequitur: prauæ autem diſpoſitiones E
humorum ad cauſas pertinere videntur, vt colligere licet ex Hipp. 1. Nat.hu. 19. propter humores enim, inquit, ægrotat corpus. Non ergò humores ægrotant, ſed tantum ſunt cauſæ ægritudinis. Eadem ratione quis etiam ſpiritus negare poſsit eſſe ſubiectum ægritudinis. Si enim ęgritudo paſsio eſt ſolius corporis, affectiones humorum & ſpirituum ad cauſas tantum pertinebunt. Febres igitur nequaquam ſubiecto differunt. Verum hoc modo contemplanti, non ſolum tolletur morbus à ſpiritibus & humoribus, ſed ab omnibus illis partibus, quæ vſum tãtum tribuunt animali, non actionem. Si enim ſolius eius corporis eſt morbus, cuius eſt actio, vitium cæterarum partium non erit morbus, ſed cauſa morbi, cum non primò lædant actiones, ſed quatenus ob earum vitium aliæ partes ægrotent, quibus actio tribuitur. Cum autem omnis actio animalium ſit organica: Eſt enim anima actus corporis organici: nullus erit morbus niſi organorum. Hoc modo febris quæ- F
cumque tolletur ex numero morborum, cum ſit affectio ſimilarium partium conſtituentium organa ipſa, quorum ſunt operationes. Si igitur hæc abſurda ſunt, diſpoſitio morboſa lædens actiones non ſolum in partibus ponenda eſt, quibus tribuitur actio, ſed & reliquis vſum aliquem præſtantibus, vt fatetur Galen. 3.loc.aff. 3. Sic in humoribus ægritudinem ponere non eſt abſurdum: vt patet in cerebri affectibus facultatẽ animalem lædentibus, 3.lo.aff.5. Nam intemperie laborant aliquando vniuerſa vaſa: aliquando humiditas, quæ in corpus cerebri diſperſa eſt: aliquando ipſum met corpus cerebri. Omnem autem intemperiem morbum eſſe teſtatur. Gal. de ſympt. diff. 5. Quod igitur Hippocrates dixit: propter humores corpus ægrotare, non ſignificat per corpus partes ſolidas: ſed totum compoſitum ex elementis ſeu humoribus, quod ſuperius dictum eſt compleri triplici ſubſtantia, ſpiritu,

A tu, humoribus,& partibus ſolidis. Aegritudo enim & ſanitas paſsio eſt animalium, ſiue vitium ſit in vna particula ſiue in altera, ſiue in organicis, ſiue in ſimilaribus. Igitur tam in febre Ephemera, quam in putrida aut Hectica ægrotat corpus, ideſt animal. Idem dicendum de particularibus morbis, ægrotat enim manus, aut oculus, ſeu vitium ſit in eorum humoribus, aut carne, aut neruo, aut tunicis, aut alijs particulis. Quamuis per ſe eius particulæ ſit morbus, per accidens autem totius. de diff. morb. cap. vltimo; particulę tamen omnes gratia inſtrumenti datæ ſunt, ideo læduntur eius actiones. Inſtabit autem quis de humoribus, non reponi inter partes corporis, cum in ventribus contineantur, vel vt nutrimentum, vel vt excrementum: Partes enim animalium viuunt ſaltem vita vegetatiua participantes facultates naturales: At humores nec attrahunt, nec retinent, neque concoquunt, neque expellunt: ſed oppoſito modo attrahuntur, retinentur, concoquuntur,
B & expelluntur à corpore. Reponit tamen eos inter partes Ariſt. 2. de Part. an. cap. 4. Partium enim ſimilarium inquit, aliæ molles, & humidę ſunt, aliæ duræ, & ſolidæ. Humidæ, vel omnino, vel quam diu in concoctione naturæ manent: ſanguis, ichor, adeps, ſeuum, Medulla, genitura, fel, lac, vbi haberi ſolet, caro, & quæ ijs proportione reſpondent, & quæ ſequuntur. Patet preterea non ſolum vſum aliquem præſtare animali, vt ſuas operationes rectè edere poſsit: ſed etiam vim aliquam habere. Nam ſanguis craſsior, & calidior ad robur facit: tenuior autem & frigidior vim ſentiendi, & intelligendi obtinet pleniorem, vt Ariſt. teſtatur. Et apud Galenum calor innatus, qui in ſanguine eſt, adauget concoctionem in viſceribus, cum in Hyeme per antiperiſtaſim fertur intro: & in larga ſanguinis effuſione debilitatur adeo virtus, vt aut extinguatur animal, aut incidat in Hydropem, & cachexiam labefactata coctione. Non eſt igitur verum humores non participare fa-
C cultates naturales: ſi enim calor innatus in illis admittitur, & ſi ipſi nec attrahant nec expellant, faciunt tamen, & ad attractionem, & expulſionem, & reliquas animæ altricis facultates. Neque ſolum in ſanguine, quod nutrimentum eſt, vires huiuſmodi inſunt, ſed etiam ſi quid excrementi ſit, quamdiu calorem huiuſmodi obtinet, principium vitale habet, vt ſemen. 3. de Gen. an. cap. 3. Si autem ſanguis priuetur ſuo calore, exanimatus fit. De cibis bo. & ma. ſucci. cap. 4. tunc autem ſanguis æquiuocè dicitur, vt caro mortua. Vitia igitur humorum non abdicanda ſunt à morbis. Solum ea excremēta, quæ inutilia ſunt, & quæcunque abſceſſerunt à partibus vita præditis, vt oſsis caries, pus, & omnino putrida, aut quomodocunque aliena ſecundum totam ſubſtantiam, vt lapis: nequaquam ægrotare dicuntur: non enim participant naturā animalium. Hæc igitur quatenus afficiunt corpus cauſæ morborum ſunt, quatenus autem ex alijs morbis ortum duxerunt, ſymptomata.

mata. Humores verò ſemimali, cum aliqua ex parte naturam partici- D
pent, ægritudinis ſubiectum dici poſſunt: quatenus autem ex eorum affluxu aliquæ partes infeſtantur, cauſæ ſunt morborum: inquam ſententiam forte Hippocrates dixit: Corpus humanum continet ſanguinem, pituitam, & geminam bilem, flauam & atram: & hæc illi ſunt natura corporis, & propter hæc ægrotat, valetque. Valet quidem præcipuè, cum inter ſe copia, & virtute fuerint mediocriter temperata, & optimè mixta: laborat autem, cum eorum quippiam fuerit minus ampliuſve, aut in corpore ſecretum, neque cum omnibus confuſum: neceſſe enim, cum horum quid ſeparatum fuerit, & per ſe ſtet, non ſolum ex quo exceſsit locum morbo afficere, ſed etiam illum, vbi iam ſubſtiterit, & influxerit: & quæ ſequũtur. Si igitur ſanitas, & morbus in temperamento quatuor humorum, & mixtione ponitur ab Hippocrate: primum ſubiectum ſanitatis, & ægritudinis erunt humores: deinde partes vnde abſceſſerint, & in quibus manſerint, quod compræhendit E
morbos etiam inſtrumentalium, quorum cauſæ ſunt humorum vitia. Qui verò concedunt hæc vbique cauſas eſſe tantum non morbos, coguntur fateri febres putridas eſſe ſolidarum partium morbos non minus, quam Hecticas: Aut morbum eſſe quatenus ſolida caleſiunt tantum, quę conditio recedit à natura morbi. 2. Meth. 3. Nec ſufficit, quod in eo, quod fit, ſemper eſt aliquid facti: nam pars facta non differet ab Hectica. Verum eam ſententiã videtur admittere. Galenus. 8. Meth. 9. vbi inquit. Putridæ cauſas habent, quæ ipſas excitant, non Hecticæ. Illud namque commune eſt cum Diarijs, quod non amplius fiant. Quaſi putridæ habeant eſſe in fieri, reliquæ in facto eſſe. At non id ſignificat Galenus, ſed putridas habere cauſas internas, quæ fouent febrem, nempè humorum putredinem in aliqua parte corporis, à qua calor putridus communicetur Cordi febrem faciens: non ſic Diariæ neque Hecticæ. Nam in his conceptus in corde calor non ſemper ha- F
bet cauſam fouentem. Quamuis enim aliquando cruditates, & conſtipationes Ephemeram in longum producant: & pus in ſuppuratis, ac Phthiſi continue cor afficiat Hecticam conſeruans, ſæpius tamen deſinente cauſa, quæ febrem excitauit, perſeuerat in corde calor febrilis: quia vel accenſi ſunt cordis ſpiritus, vel partes ſolidæ: humores autem in caloris fonte non poſſunt putredinem concipere permanente vita: ſolum euaporationes putridas, & recipere, & tranſmittere poſſunt: vnde putrida continuè fit: deſinente autem euaporatione deſinit febris putrida: neque ob id tollitur morbum eſſe diſpoſitionem factam: nam in accenſione, quæ fit in humoribus cordis, ſemper eſt aliquid facti. Ad id autem, quod obijciebatur, ſi febris eſt totius corporis morbus, non differre ſubiecto: facilis eſt reſponſio. In toto enim corpore tria illa genera reperiuntur: ideò dum vnum eorum exardeſcit, reliqua

duo

A duo ſaltem incaleſcere neceſſe eſt: ſic enim decernit Galenus 1. diff. fe. 1. dum vnum genus eſt in calefacto eſſe, reliqua duo incaleſcunt: non tamen eſt neceſſe ardere, vt id quod incaluiſſe dicitur, quod eſt ignem concepiſſe: Ardet enim non arſit id quod eſt ſubiectum febris: reliqua genera incaleſcunt tantum, non ardent: vt lignum oleo illitum flammam concipere poteſt ex olei accẽſione intacta ligni ſubſtantia: ſic Diaria eſt: Poteſt & ligni tenuior ſubſtantia flammam edere relicta craſsiori: huic ſimilis eſt febris in humoribus: tandem ſi accendatur pars craſsior, non flammam edet, ſed ignis carbonis fiet: huiuſmodi eſt Hectica. Non tamen ſimilitudo omni ex parte quadrat: quia febris non eſt omnino ignis: poſſunt enim ſolidæ partes febrem concipere intactis tenuioribus ſubſtantijs apud Galenum. Incipere enim poteſt Hectica, licet raro, non præcedente Ephemera aut putrida, vt in excandeſcentijs, & vehementibus triſtitijs: in temperamento B valde ſicco. 3. de Præſ. 7. & 1. diff. fe. 7. & 9. Cuiuſmodi eſt prima ſpecies Hecticæ, quam ἐν σχέσει ideſt in diſpoſitione eſſe dixit. 8. Meth. 1. Nam facilè curatur antequam fiat tabida, quæ ἐν ἕξει. ideſt in habitu vocatur, quia eſt fixa & confirmata: quarum nullæ incipere poſſunt, ſed in progreſſu temporis adueniunt. 2. Criſ. 13. Non uideatur autem mirum, vri aliquando partes ſolidas, non vſtis ſpiritibus, neque humoribus, ſed tantummodo incaleſcentibus. Valde enim diuerſæ ſunt materiæ, & diuerſa egent præparatione, vt incendantur. Scintilla enim ignis in fungos aridos decidens, accendit: ſi in oleum, extinguitur. Putredo in re ſicca non concipitur; in humida facile. Patet igitur tria genera febrium tribus generibus ſubiectorum pei bel le aptari.

C *Ephemeram in ſanguine calefacto conſiſtere, non putrefacto. Quæſt. VII.*

REPERITVR hæc ſententia apud Gal. 1. diff. fe. 5. & 2. eiuſdem. 9. quæ patitur difficultatem. Si enim poſita eſt Ephemera in ſpiritibus, non in humoribus, quomodo in ſanguine erit, qui eſt humor? An ſpiritus qui accenditur in febre, eſt pars ſanguinis halituoſa? nõ enim ſine ſanguine reperitur. Qui autem in cerebro eſt, & per neruos fertur ſine ſanguine, non eſt ſubiectum febris: ſolus qui ex corde per venas & arterias fertur. Quamdiu igitur ſanguis excalfactus eſt abſque putredine: Ephemera dicitur, quia ex eo non cõburitur niſi pars halituoſa, quæ ſpiritus appellatur: Cum autem putreſcit, iam abſumũtur humores: Ideo febris in humoribus dicitur, quæ putrida eſt, quia reſoluuntur in elementa. Proportione autem reſpondent hæ cum duplici Hectica. Quæ enim abſumit ros partium ſolidarum,

reſpondet

reſpondet Ephemeræ:hæc enim halituoſam tãtum ſanguinis ſubſtantiam depaſcitur: Quæ verò inuadit profundam ſolidarum partium humiditatem,reſpondet putridæ, quę humorum ſubſtantiam in profundum diſſoluit. Duplex autem videtur Ephemera. Vna,quæ in tenuiori ſanguine conſiſtit,qualis eſt in arterijs, Altera in craſsiore,qualis in venis reperitur.Ex hoc genere eſt Synocha abſque putredine,eſt enim de genere Ephemeræ 9. Meth. 2. Et quæ ex inflammatione alicuius partis oritur,antequam ſanguis vitietur. 2.Criſ. 12. Sed aduerſus hæc dubitatur. Si in omni febre corrumpitur calidum innatum à caliditate extranea,quæ febrilis dicitur: omnis erit putrida: Eſt enim putredo corruptio natiuæ caliditatis in vnoquoque humido ab aliena caliditate.4. Meteo.cap.1. Quomodo igitur in Ephemera non putreſcet ſanguis aut ſpiritus? ſi in ſanguine aut ſpiritu continetur caliditas extranea,quæ innatam deſtruit? Simili modo argumentari de Hectica licet. Cum enim febrilis calor in humido partium ſolidarum cõſiſtat, calidum innatum earum deſtruens, ſine putredine fieri poſſe non videtur. Si reſpondeatur in conuerſione calidi natiui in igneum, non corrumpi calidum natiuum, ſed remanere alteratum ſolum non corruptum: ſequetur oppoſitum,ſcilicet: nullam febrem eſſe putridam. In omni enim putredine corrumpitur calor natiuus,aut ſecundum totum, aut ſecundum partem, vt in ſemiputridis. At ſola alteratio non corrumpit,vt patet in ſanguine calefacto non putrefacto.Num igitur in ſolis humoribus corrumpitur, in ſpiritibus, & ſolidis nequaquam? At ſi in omni febre calor natiuus conuertitur in igneum: neceſſe eſt calorem natiuum aut ex toto, aut aliqua ex parte corrumpi in omnibus, non alterari tantum. Nec magis in humoribus quam in cæteris corrumpi videtur. Nam aliqua ex parte remanere calidum natiuum in humoribus, oſtendit coctio. Ideo fuiſſe traditur ſententia Athenæi,omne genus febrium ex putredine oriri: cui aliqua ex parte aſſentiri videtur Galenus. 1. diff. fe.5. excipiens tantum Ephemeras, quas abſque vlla putredine fieri teſtatur: quaſi Hecticas ex putredine fieri concedat. At inſequi ad febres putridas manifeſtum eſt, eſſe autem putridas nequaquam manifeſte aſſerit. Sunt & qui Ephemeram peſtilentem graſſari in Anglia tradant,quæ vnica die occidat,aut ſoluatur: At peſtilens ſine putredine eſſe nequit. In cæteris quoque peſtilentibus,quæ ex inſpiratione aeris putridi fiunt,non ne ſpiritus inficiuntur putredine? Cur igitur in humoribus tantum ponatur putredo? Sed circa Ephemeras reſponderi poteſt: ſi cõſiſtunt in ſanguine calefacto tantum non putrefacto, vt dictum eſt, aer putridus, & ſi ſpiritus inficiat, non tamen febrem facit, niſi ſanguinem inuadat. Neque ob id Ephemera appellanda eſt, quia vnica die ſoluatur, ſed ſi in ſanguine ſine putredine contingat. Circa Hecticas verò maior eſt dubitatio.

Quæ

A Quæ enim ſuppuratis cõtingit, Hecticis aſcribitur, 2. Progn. 60. Et quę in Phthiſi ratione puriſ. 7. Aph. 16. At pus talem febrem inducens res putrida eſt, cum ex putredine ortum duxerit, & partes adiacentes putrefaciat. Præterea ſi datur febris in ſanguine nunc calefacto tantum, nunc etiam putrefacto: cur non in ſolidis nunc ſine putredine, nunc cum putredine? nam & corpora ſolida putreſcere poſſunt, vt patet in vlceribus exedentibus, & Gangrenis. Non igitur in ſolis humoribus datur febris putrida, ſed & in ſolidis. Num propter id genus Hecticarum, quæ ſuppuratis contingunt & Phthiſi, Galenus aſſentiri videtur antiquo dogmati: etiam Hecticas ex putredine oriri? Quaſi illæ tantum, quæ per ſe ſunt abſque partis inflammatione, aut ſuppuratione, aut vlcere, abſque putredine concedantur. Sed quid dicendum de ijs, quæ ad febres ardentes inſequuntur, aut ad peſtilentes ex ſola humorum putredine abſque partis inflammatione? Cum enim calor in om-
B nibus his putridus ſit, non videtur poſſe ſolidis partibus communicari abſque putredine. Indicium autem putredinis eſt, quod in vrinis eorum excernitur aut farinæ ſimile aut pinguedinis, & in deiectionibus colliquationes. Vt enim pus aut ſimile puri ex putredine humorum fit: ſic in ſolidarum partium putredine videmus varia genera puris & ſaniei emanare. Si quæ autem ſunt Hecticæ, in quibus nihil huiuſmodi excernitur, vt quæ ob ſiccitatem aut ex Ephemeris prouenerunt, aut ab initio per ſe ortæ ſunt, forte abſque vlla putredine manifeſta conſiſtunt. Appello manifeſtam putredinem, cum apparet ſubſtantia aliqua corrupta & fętens. 5. Simpl. 15. Corpora enim ſicca non dicuntur putreſcere 3. in 3. Epid. 1. quia ſine fętore diſſoluuntur: cum tamen omnia putreſcant excepto igne. Sed vt in ſummam contrahatur diſputatio, dicimus: In omni genere febrium aliquam ſubſtãtiam calidi innati conuerti in igneum, ſic deſtrui propriam eius generis ca-
C liditatem, reliquorum autem alterari tantũ non corrumpi: ut in Ephemera deſtruitur calor innatus ſpirituum, in putrida humorum, in Hectica ſolidarum partium magis & minus, vt dictum eſt: In eiſdem incaleſcunt tantum reliqua ſubiecta, vt in Ephemera humores & ſolida: in putrida ſpiritus & ſolida: in Hectica ſpiritus & humores: Calor autem innatus eorum alteratur tantum inſtar aquæ cum incaleſcit permanente eius ſubſtantia. Quibus hoc modo conſtitutis, iure optimo in humoribus putrida febris accenditur, vertitur enim humor aut omnino in corruptelam fętentem, cum calor innatus in humore putreſcente in totum deſtruitur: aut in pus minimè fętens, album, lene, & æquale, & ſi quid ſimile puri eſt in ſedimentis vrinarum: cum aliqua ex parte vicerit calor innatus concoquens, aliqua ex parte extraneus conuertens in alienam ſubſtantiam magis & minus, vt docet Galenus 1. diff. fe. 6. At in accenſione ſpirituum & ſolidorũ id non contingit:

tingit: nihil enim relinquitur putrefactum aut concoctum, ſed aſsimilantur eorum febres combuſtioni potius quam putredini. Abſumitur enim in combuſtione humidum: in putredine autem calidum remanente humido per aliquod tempus: quæ enim putreſcunt, primo redduntur humidiora, vltimo & ipſa redduntur ſicca. In ſpiritibus igitur accenſis cum non remaneat aliqua humiditas corrupta, ſed inſenſibiliter euaneſcat id quod accenditur, non adeſt putredo. In ſolidis poteſt quidem accendi calor putridus, vt in inflammationibus, & ſuppuratis, & forte in febribus ardentibus: non tamen in corde viuente animali ſolidarum partium putredo conſiſtet, cum vel minimam inflammationem perpeti nequeat, 5.loc.aff.2. Sed à pure aut alia putredine reliquarum partium ſi quidem Cor vapores putridos recipiat mediante ſanguine & ſpiritu, febris putrida excitabitur, quo modo omnes putridæ fiunt aſcendente ad cordis ventriculos calore vna cum putrida fuligine. 1.dif.fe.5. Si verò ſolum calorem per partes ſolidas venarum & arteriarum concipiat, febris Hectica orietur, quæ nequaquam putrida erit, prius enim æger deficeret, quā putredo particulæ ad cor perueniret. Cum igitur Hectica in ſubſtantia cordis conſiſtat, ſine putredine eſt, abſumitur enim cum natiuo calore eius humiditas, & inde totius corporis, nulla relicta ſubſtantia putrefacta. Si quæ autem colliquationes contingant, nō arguunt putredinem: cum enim torrentur partes molliores vt carnes & pinguedo, defluit multa humiditas, in qua neque coctio deſideratur, neque putredo conſpicitur, vt cum carnes ad ignem aſſantur. Poſſunt tamen ex loco putredinis excerni vna cum purulentis excrementis, vt ſimul oſtendantur ſigna putredinis & colliquationis. Ex quibus illud quoque manifeſtum eſt, accenſionem in corde perſiſtere poſſe, putredinem autem ne quaquam: licet putredo ex ijs ſit, quæ perſiſtere poſſunt ablata cauſa putrefaciente: quod enim putredinem concepit, non deſinit putreſcere, & adiacentia corpora putrefacere, licet abiunctū fuerit id, quod initio eam excitauit: quod & de quolibet igne verum eſt. At in corde ignis quidem febrilis conceptus perſiſtere poteſt ablata cauſa, vt in Ephemera & Hectica: Putredo autē nequit permanere, quia fons caloris innati putredinem ſubſtinere nequit vita permanente, ſed tantum à vaporibus putridis affici poteſt: vnde putrida continue fit, vt ſuperius viſum eſt. Patet igitur neque omnem febrem putridam eſſe, licet in omni corrumpatur aliqua ex parte calidum innatum: quem nullam, & ſi idem in omni aliqua ex parte remaneat. Sed Ephemeram atque Hecticam in ſanguine vel ſolidis abſque putredine calefactis conſiſtere. Putridam autem in humoribus cordis à putrida fuligine tentatis neque tamen putrefactis: ſed extra cor putredinem eſſe aut humorum tantum in febribus quæ per ſe dicuntur, aut etiam ſolida-

rum

A rum partium in partibus inflammatis aut ſuppuratis, aut quocunque modo corruptis. Sed circa ea quæ dicta ſunt, videtur cõtradictio quædam. Si enim Ephemera in ſanguine calefacto conſiſtit, quomodo in Ephemera tam humores quam ſolida ponuntur à Galeno in ipſo excalfieri? An calefactum eſſe in ſingulis generibus ſignificat ardere? Quia igitur in Ephemera non ardet ſanguis, ſed ſpiritus: Sanguinem autem ardere eſt putreſcere: Cum inquit Ephemeram in ſanguine calefacto conſiſtere non putrefacto, ſignificat paſsionem tantum in ſanguine eſſe, ideſt alterationem. At in Hectica ardent ſolidæ partes abſque putredine: quod in humoribus non contingit ob naturam humidam: quamuis aliquando flauæ bilis putredo ob ſiccitatem & ardoris vehementiam uſtioni aſsimiletur.

Febrium putridarum tria tantum genera eſſe ſimpliciſsima. Quæſt. VII.

B

VT ſumma genera febrium ratione ſubiecti diſtincta ſunt, ſic & putridæ ratione trium humorum in tria genera diſtributa ſunt, pituitæ aſcripta quotidiana: Flauæ bili tertiana: atræ quartana. Hæc enim tria genera ſunt ſimpliciſsima, quę partim ex mixtione, partim ex loco, in quo putreſcunt, multis modis variantur, ut quædam exquiſitæ, quædam ſpuriæ dicantur: quædam ſimplices, quędam compoſitæ: quædam intermittentes, quædam continuæ, & continuarum quædam unica acceſsione, quædam pluribus abſoluantur. Quod autem ratione trium humorum tantum genera putridarum ſumantur, tum in intermittentibus, tum in continuis, hinc fiet manifeſtum. Et ſi enim corpus humanum ex quatuor humoribus conſtet, ſanguine, pituita, bile flaua & atra: non tamẽ dantur ſeparati niſi tres, C cum ob aliquod vitium ſeparantur à ſanguine tanquam excrementa. Cum autem nomine ſanguinis intelligamus & miſcellam ex quatuor humoribus, & unum ex quatuor ſyncerũ, hunc à cęteris ſeparatum non dari vllo tempore teſtatur Hippocrates. 1. de Nat. hum. 28. Non enim ſeparantur à natura præter ea quæ aliena ſunt, vt excrementa: At ſanguis per ſe familiariſsimus eſt, & numquam excrementum, niſi vitiatus tranſeat in alios humores: amittit enim tunc formam ſanguinis: reliqui humores ſeparari poſſunt, minus enim participant de perfectione & calido innato, partim quia diminutè cocti vt pituita, partim quia amplius aſſati quam oportet, vt bilis vtraque. Eorum tamen perfectio eſt, ſi optime mixti fuerint cũ ſanguine. 1. de Nat. hum. 20. Cum autem putredo deſtruat in vnoquoque humido calidum innatum, tres humores facilius putreſcunt quam ſanguis: hic enim plus calidi innati habet, quod à putredine defendit. Si vero putreſcat ſan-

guis,non ratione quarti humoris putreſcit,non enim hic datur ſeparatus, ſed ratione excrementorum, qui in eo continentur. Non enim putreſcit ſanguis, niſi vitiatus fuerit. 1.dif.fe.3. Si igitur putredo aut in tribus humoribus ſeparatis contingit, aut in ſanguine ratione trium humorum, tria tantum erunt genera febrium putridarum: nec datur quartum genus in ſanguine quarto humore: quia hic non datur ſeparatus, nec excrementum eſt, ſed reliquos ſuo calore defendit à putredine. Neceſſe eſt igitur reliquos humores putreſcere prius quam perueniat putredo ad ſanguinem quartum humorem: quod contingere poteſt in alicuius partis inflammatione, cum tendit in ſuppurationem aut partis putredinem. Nihil enim prohibet hoc modo ſanguinem cum cæteris humoribus putreſcere. At hoc non facit genus febris diſtinctum à cæteris generibus, cum non ſit ſolius ſanguinis putredo: vt tertiana exquiſita ſolius flauæ bilis: & quotidiana ſolius pituitæ, & quartana ſolius melancholici humoris. Iure igitur Galenus. 2. Criſ. 12. negat dari quartum genus febrium putridarum ex ſanguine putreſcẽte. Nam in parte inflammata, dum bonus eſt, febrem facit ſimilem Ephemeris: vitiatus autem cæterorum humorum naturam recipit, precipuè bilis, vnde tertianam facit, vt patet in pleuritide, quando ex puitur ſanguinolentum: exacerbatur enim per tertium. Sed huic ſententiæ reclamat Auicenna & ferè omnes poſteriores putantes dari febrem propriam ſanguinis putreſcentis, quam volunt eſſe Synocham. Quod autem ex ſanguinis putredine febris non reducenda ſit ad tertianam, vt Galenus vult, argumentatur Auicenna. Primum, quia ex putredine ſanguinis non ſolum fit flaua bilis, ſed etiam atra: tenuior enim pars abit in bilem flauam, craſsior in atram. Ideo non magis ad tertianam reducenda eſſet, quam ad quartanam. Secundo ſi per putredinem aliqua pars ſanguinis conuertitur in bilem dum putreſcit, non eſt adhuc bilis, ergo neque febris tertiana. Tertio poſtquam ſanguis conuerſus eſt in bilem, non eſt neceſſe bilem putreſcere: quæ enim ex putredine oriuntur, non omnia ſunt putrida, vt animalia ex putredine genita: non igitur ex putredine ſanguinis fiet ex neceſsitate febris tertiana. Vltimo ſi reſpondeatur, ſtatim bilem eſſe, cum putreſcit ſanguis, inſtat: mendacium hoc eſſe, ſequeretur enim non ſanguinem putreſcere, ſed bilem. Quidam conciliant, modico tempore febrem dari in ſanguine putreſcente, nam cito tranſit in bilem: quod autem modicum eſt, non conſiderari à Medico. At concedit Galenus 9. Meth. 4. Synocham putridam per multos dies ex ſanguine putreſcente: eandem concedit 1. in 6. Epi. 2. Videtur igitur concedere, ut Auicenna putredinem ſanguinis proprium genus facere, quę nequaquam ſit tertiana, ſed ſynocha. Ideo Auerroes Galenum accuſat tanquam varium. At neque varius Galenus, neque Auicennæ argumen

ta

A ta eius ſententiam labefactant. Orta autem eſt deceptio, quia putaue runt Synocham inſequi naturam humoris, & aſcribi ſoli ſanguini. Neutrum autem eſt verum, cum etiam á flaua bile fiat ſynocha. 2.diff. ſe.2. & á cæteris humoribus, dummodo in omnibus venis aut maximis æquabiliter ſucci putreſcant, ideſt non magis in vna particula, quã in altera.2.diff.ſe.2.in fine. Quod enim unica fiat acceſsio ab initio ad finem, quæ ſynocha dicitur, non fit ob naturam humoris, ſed loci, putredine exiſtente in omnibus venis aut maximis. Acceſsiones autem plures fiunt cum in aliqua particula humores putreſcunt. Non eſt igitur varius Galenus, cum in pleuritide inquit, ex putredine ſanguinis fieri acceſsiones tertianæ: putredo enim in pleuritide eſt in una particula apta nata acceſsiones facere. Cum autem ſynocham fieri tradit, putredinem ponit non in unica particula, ſed in omnibus uenis æqualiter, aut maximis. Ad argumenta Auicennæ illud ſupponatur

B ex.2.dif.ſe.9. Ex ſanguinis putredine febrem fieri pro natura humoris, in quem tranſit, ſed benigniorem & ſimpliciorem: Præcipuè autem tranſire in flauam bilem, ideo maximè acceſsionum proportio eſt, qualis in tertiana, vt patet in pleuritide: Aliquando tamen in atram bilem, cum ſupramodum efferueſcit, vt patet in carbunculis. Ita autem accipi vult atræ bilis humorem, vt qui nondum exquiſite in atræ bilis naturam tranſierit, ſed in quodam confinio ſit conſtitutus. Et quidem pro varietate humorum, in quos conuertitur ſanguis, febres fient ſola bonitate vel malitia differentes: & quæ ſequuntur: Conuerti autem aliquando in pituitam, vbi ſanguis crudior, patet. 2. de Criſ.12.Nam inquit. In omnibus inflammatis particulis humorum impactio, quæ locũ bene difflari prohibet, ſtatim quidẽ humores putrefacit, ſimulq; calorem quendam excitat, qualis & in reliquis omnibus putreſcẽtibus oritur. Huius igitur caloris modus cũ ſimplex fuerit,

C earũ alicui, quas diximus, febriũ neceſſario aſsimilatur, vel potius vna ex illis eſt, vel ad amaram bilem, vel ad atram, vel ad pituitam attinens. Ex quibus patet ſolutio argumentorum. Nam ad primum conceditur totũ: non enim poſitum eſt putredinem ſanguinis ſemper tertianæ ſimilem facere, ſed maxime: Dicet quis debuiſſe in carbunculis circuitum quartanarium fieri, quod non eſt animaduerſum. Reſpondeo ſatis eſt formam acceſsionis quartanam redolere, licet Typus non ſemper reſpondeat, vt patebit inferius. Ad ſecundum conceditur, dum ſanguis putreſcit, non adhuc bilem eſſe exquiſite, nec atram, nec pituitam: ſed in confinio: ideo febrem facere ſimilem prædictis humoribus, ſed benigniorem. Tertium & quartum argumentum non faciunt ad rem, non enim ponitur bilem eſſe quæ putreſcat, ſed ſanguinem. Amplius autem dubitatur de putredine ſanguinis: non enim videtur benigniorem febrem facere, vt dictum eſt. Nam in libro de cibis bo-

ni & mali ſucci cap.4.inquit. Cum ſanguis in cuiuſpiam vulnus vel in D ventrem,inteſtinumve aliquod in grummos compactus defluxerit: is frigore exſoluitur,ac penè exanimatur: pulſusque imminuitur,& ma le ſe habet: Quin & huiuſmodi ſanguis facit, vt partes illico proximę protinus putredinem contrahant. Sed cur is humor inter omnes alios corporibus noſtris accommodatiſsimus, vbi frigefactus eſt,huiuſmodi pathemata inuehat, non paruam certe inueſtigationem requirit. Hæc Galenus. An in febribus putridis putredine in venis exiſtente nõ priuatur ſanguis in totum calido innato, cuius gratia benigniores febres fiunt. At vbi egreſſus ex venis coierit in grummos, priuatur omnino calido natiuo: ideo quod familiariſsimum fuit, redditur inimiciſsimum. Concludere igitur licet, ex natura humorum putreſcentium tria tantum eſſe genera febrium putridarum, quæ in habentibus acceſsiones à triplici Typo nomen habuerunt: quotidiana tertiana, quartana, ſiue intermittentes ſint,ſiuè continuæ: In ſynochis autem E proportione reſpondent prædictis: quædam enim pituitoſa,quædam billioſa, quædam melancholica. Si autem ſanguis putreſcat febres facit ſimiles prædictis humoribus tum in genere habẽtium acceſsiones, tum in ſynochis. Nam ſanguinis miſcella ex quatuor humoribus in hæc tria excrementa vertitur. Quartus autem humor forte non vertitur in pituitam, cum non ſit diminute coctus, ſed in flauam bilem & atram. At in ſuppurationibus omnes conuerti videntur in pituitam. Pus enim quotidianas facit.1.Aph.12. Et lac in mamillis ex ſanguine genitus ad pituitę naturam accedit.Ichor quoque ſanguinis,ſeu aquoſus humor veluti ſerũ lactis pituitæ genus eſt. Alia videtur fuiſſe opinio apud antiquos: omnes febres putridas ex bile oriri, vt colligitur. 2.de Nat.hum.ultimo. Quatuor autem eſſe genera earum multitudine & paucitate bilis differentia: continuam,quotidianam,tertianam, & quartanam. Quam ſententiam refellit Galenus in commento: partem illam cenſens non eſſe Hippocratis. Habet tamen Hippocrates in F Aphoriſmis ſimilem ſententiam.Nam.7.Aph.42.inquit.Febrem quę non ex bile habeat, ſolui aqua calida capiti ſuperfuſa. Significat enim Ephemeras,vt Galenus vult: nam hæ non ex bile fiunt. Quaſi omnes putridæ ex bile oriri cenſeantur. An cum uitiatis humoribus ſanguis circunſtans putreſcit, qui in bilem conuertitur? Quod maxime contingit in continuis: deinde in quotidianis, quia magis accedunt ad continuas: minus in tertianis: minimè autem in quartanis: nam ob longum interuallum ſanguis minus aduritur. Ideo videmus in omni genere febrium,cum diutius proceſſerint, biliosa excerni.

In

A *In omnibus febribus ex ſola putredine ortis humores putreſcere in venis. Quæſt. IX.*

LOca putredinis in omnibus febribus perſtringuntur à Galeno 10. Meth. cap. 6. vbi inquit. Cum ſanguis calidus copioſior in aliquam animalis partem procubuit, maiora eius vaſa protinus diſtendit, vtpote abundantiæ continendæ non ſufficientia: Ab ijs deinceps quæ minora ſunt: mox vbi nec in ijs ſatis continetur, exudat foras in ampla ſpatia, quæ inter vaſa ſunt, ſic vt etiam omnia, quæ in compoſita carne habentur, loca occupet: atque hæc quidem affectio Phlegmones eſt. Poſſunt vero & ſine hac in ipſis uaſis humores aliqui putreſcere: idque aut in vna animalis particula in finibus ipſorum impacti: aut etiam in totis eorum capacitatibus, quæ
B inter bubones & alas ſunt, comprehenſi. Eandem ſententiam habet 11. Meth. 4. inquiens. Quoniã putredo vel æqualiter in omnibus ſubſiſtit vaſis, vel in maximis maximeque principalibus (ea porrò ſunt inter alas & inguina) vel in vna quapiam particula, quæ vel phlegmonẽ in ſe habet, vel etiam citra phlegmonem veluti in foco quodam principium febris in ſe continet, in ſingulis his differentijs ſeorſum exercitari conueniet: & quæ ſequuntur. Quæ autem febres inſequantur ad putredinem in omnibus vaſis, & quæ in aliqua particula, explicatur 9. Meth. 5. Vbi enim in omnibus venis ac pręcipuè magnis ea conſiſtat, continuas excitari febres, ideſt ſynochas teſtatur: vbi in vnica animalis parte acceſsiones, quæ certo ambitu repetant. Cuius cauſam explicauit. 2. diff. fe. 2. in fine, vbi inquit. Quæcumque per circuitus aliquos ægritudinum acceſsiones fiunt, ex membrorum diſpoſitionibus ortũ habent, quæ ſcilicet membra vel mittunt, vel ſuſcipiunt, vel generant,
C vel attrahunt ſuperfluitates eo quo diximus modo: Sed quæ circuitum non habent, in his nulla eſt corporis pars, quæ præcipuè ſit offenſa: ſed qui in venis & arterijs omnibus continentur humores, atque ij præſertim qui in maximis atque plurimo calore abundantibus, aut ob aliam quanuis cauſam vt in Ephemeris, aut ob putredinem feruentes febrem accendunt ſynocham appellatam, quæ à principio vſque ad finem nullam habet intermiſsionem: ac tamdiu perſeuerat, hominemque deurit, donec qui ei cauſam afferunt, humores aut ex toto abſumantur, aut concoquantur, aut vtrumque patiantur. Cum igitur loca putredinis ponantur aut vaſa, ideſt venæ & arteriæ, vt ex prædictis patet, aut extra vaſa in carnium ſpatijs inanibus, quæ affectio phlegmonem parit: fit vt febres ex ſola putredine ortæ abſque partis inflammatione, omnes putredinem habeant in venis. Quæ ſententia in continuis quidem admittitur ab omnibus: omnes enim fatentur non ſo-

lum ſynochas ſed etiam quæcunque inter continuas per circuitus exa D
cerbantur, putredinem habere in venis. At de intermittentibus maxi ma eſt difficultas. Vulgata enim eſt opinio: loco differre continuas ab intermittentibus, quia in continuis humores putreſcant in venis, in intermittentibus autem extra, ſecundum ſententiam Galeni. 2. de Criſ. 12. & 2. diff. fe. 1. & alibi. Sed tamen Galenus nullibi teſtatur hu mores putreſcere extra venas in intermittentibus: ſed inquit. In continuis humores putreſcentes in uenis manent: in intermittentibus autem feruntur per omnes corporis partes. Cum igitur Auicenna verbum, ferri in totũ corpus, acceperit putreſcere extra venas: hinc vulgata eſt opinio Galeno aſcripta, quod humores in febribus intermittentibus putreſcant extra vaſa. Sed quantum recedat à mente Galeni & veritate, hinc melius patebit. Febres quædam per ſe, quædam per accidens ſunt, vt tradit Galenus 7. Aph. 42. Per ſe quidem, quæ ex ſola putredine oriuntur abſque alicuius partis inflammatione: per accidẽs E
autẽ quæ inſequuntur ad partes inflammatas: ſymptomata enim ſunt earum partium. Illas autem ſolas eſſe per ſe febres ibidem teſtatur, in quibus ſine partis inflammatione putreſcentes in venis humores febrem accendunt. Si igitur intermittentes ſunt per ſe febres, in venis humores putreſcere eſt neceſſe. Cauſa autem cur hæ ſolæ ſint per ſe febres, quæ putredinẽ habent in venis, tangitur. 1. de Criſ. 7. Eſt enim febris paſsio venarum. Cum igitur putredo fuerit extra venas, nõ primario venæ afficientur, ſed ſecundario & per conſenſum, ab ea putredine quæ fuerit extra, vt in parte inflammata. Præterea vbi fit coctio humorum putreſcentium, ibidem putredinem eſſe neceſſe eſt, concoquitur enim humor putreſcens. At in vaſis fit coctio humorum putreſcentium in omnibus per ſe febribus, à vaſis enim alteratio fit, 1. diff. fe. 6. Ergo in omnibus per ſe febribus putreſcunt humores in vaſis. Indicio ſunt vrinæ, nam hæ primo oſtendunt coctionem & cruditatem F
in febribus per ſe: In inflammationibus autem ſecundario ſigna habentur ex vrinis, quia venæ ſecundario afficiuntur: vt patet in pleuritide, cuius ſigna primo ex ſputis ſumuntur, ſecundario autem ex vrinis. 1. de Criſ. 7. Amplius ex coctione, quę fit in inflammationibus & ſimilibus collectioni tumoribus omnibus ſuperante natura pus oritur: in humoribus autẽ qui in venis atque arterijs continentur, quoddam quod puri proportione reſpondet ſubſidens in vrinis, vt traditur 1. diff. fe. 6. Si igitur per ſe febres non pus ſed puri proportionale reddunt, idque in vrinis: non extra venas ſed intra putredinem habere neceſſe eſt. Sed & ex diſtinctione, quam affert Galenus. 2. Criſ. 12. Manentibus humoribus in venis continuas febres generari: ſi autem moueantur, & per totum corpus deferantur, fieri intermittentes, qua ſententia nituntur aduerſarij putredinem extra vaſa probare in intermittentibus:

A tentibus: ſic licet argumentari. Aut putreſcunt humores antequam deferantur in totum corpus, in termino ſcilicet à quo: aut in ipſa delatione: aut poſtquam delati ſunt. Si primum, habetur intentum, ex venis enim feruntur extra in totum corpus, vnde contingit rigor, & ſolutio febris, non generatio: venis ſcilicet exoneratis: nam delationis impetu expurgantur humores.2.de Criſ.3. Patet id in febre ardente: nam ſi rigor ſuperueniat, qui ex delatione fit extra venas, ſoluitur. 4.Aph.58. Et quibus quotidie rigores fiunt, ijs quotidie febres ſoluuntur.4.Aph.63. Si putreſcant, dum feruntur, repugnat naturæ putredinis: quæ enim mouentur difficilius putreſcunt: cum prohibita ventilatio potius in loco concluſo & obſtructo quieſcentibus humoribus fiat. Si putreſcunt poſtquam delati ſunt, locus putredinis erit totum corpus, deferuntur enim in omnes partes. At in habentibus acceſsiones putreſcunt in una particula.9.Meth.5. & 11. Meth.4. & 2. diff.fe.

B 11. Præterea in principio acceſsionis, quando rigores fiunt ob delationis impetum, non eſſet febris, quia adhuc putredo non eſſet: neque igitur tempus principij erit pars acceſsionis, cum vapor putridus adhuc non communicetur cordi nō exiſtente putredine. At dicet quis. Si in rigore fit tranſmiſsio extra uaſa, quomodo in vrinis relinquūtur veſtigia humoris putreſcentis, cum uenæ exonerauerint in totum corpus humores putridos? Reſpondetur: expurgari in principijs acceſſionum partem humoris putreſcentis in particula vnà cū fuligine detruſam: reliquum partim abſumi in tota acceſsione, partem in declinatione expelli per ſudores, deiectiones, vrinas, vomitum, & aliquando relinqui cineres in particula, vnde interuallum redditur impurū, vt in quotidiana. Quamuis igitur extra uenas expellantur humores, interim tamen veſtigia coctionis & cruditatis, quæ in venis agitur, oſtendi in vrinis neceſſe eſt. Sententia igitur Galeni de loco putredi-

C nis, quo differunt continuæ ab intermittentibus, accipienda eſt hoc modo: quod in continuis manent intra uenas vſque ad criſim: in intermittentibus autem feruntur extra in ſingulis acceſsionibus: cum tamen locus in quo putreſcunt, idem ſit, ſcilicet intra venas ſi febris per ſe fuerit, ex quo loco cordi communicatur fuligo putrida: quæ ſi expellatur extra, ſpargitur in omnes partes, vnde rigor contingit tam in intermittentibus, quam in continuis, quæ rigore finiuntur. Verum aduerſus hæc dubitare licet. Scribit enim Galenus.2.in primum Epi. 20. Febres ardentes & tertianas in eo conuenire, quod vtraque ob exuperantiam flauæ bilis oriuntur, diſtare autem locis, in quibus ſuperfluus humor contrahitur. Etenim ſi ardentes ſint, in venis abundat præcipuè Iecinoris & ventris. Tertianæ fiunt, cum totius corporis carnes affluant flaua bile: proinde ſpiraculis impeditis eorum qui natura biliosa ſunt, quantum bilis in carnoſo congeſtum genere expurgaba-

tur, in hoc ſtatu non purgatum tertianas generauit ardentibus fre- D
quentiores. In hoc loco videtur Galenus carnoſum genus ponere, in quo aceruetur flaua bilis, & in quo putreſcat in tertianis: at id extra venas eſt. An verbum illud: ſpiraculis impeditis: patefacit eandem ſententiam, quam 9. Meth. 5. dixit: in finibus vaſorum impactos humores putreſcere? Nam licet totius corporis carnes affluant flaua bile, non tamen in tertianis humor putreſcit in toto corpore, ſed in vna particula. Potius in febre ardente feruet per totum corpus flaua bilis. 3. Acut. 62. Congeri igitur in genere carnoſo flauam bilem, non ſignificat magis extra venas, quã intra: ſcatet enim caro venis exiguis: ideo in carne congeſti humores dicuntur, ſiue in earum venis ſiue extra. Quamuis autem in toto corpore congeſti ſint humores praui, non tamen in toto corpore putreſcunt in intermittentibus: fieret enim vnica acceſsio, cum non eſſet vnde noua materia colligeretur. Cum verò putreſcunt in vna particula, in qua nullus calor & obſtructio eſt, poſt E
vnam acceſsionem poteſt ex reliquis partibus colligi humor, qui repetitionem acceſsionis faciat: in ſingulis autem acceſsionibus detruditur in totum humor putreſcens cum calore, quo & expurgatur natura veluti per plures criſes: & humores totius interim concoquuntur: vnde ſoluitur difficultas: ſi tota materia quæ putteſcit in ſingulis acceſsionibus expurgatur, quomodo in ſtatu totius morbi ſigna perfectioris coctionis apparent? Nam concoquuntur interim humores qui in toto ſunt, etiam ſi particulatim putreſcant in ſingulis acceſsionibus. Alter eſt locus. 4. Aph. 37. vbi inquit Galenus; Quibuſdam humoribus putreſcentibus febres acutas fieri, qui aliquando in toto corpore, aliquando in vaſis ſolis putreſcunt. In his verbis videtur putredinem intelligere extra vaſa, cum in toto corpore putreſcunt humores, nam ſubiungit: aliquando in vaſis ſolis. Sed hoc non facit ad rem: loquitur enim de acutis, in quibus ſudores aliquando frigidi, aliquando calidi erumpunt: at febres intermittentes non ſunt acutæ. Præterea per F
vaſa intelligit manifeſta, vt ſunt venæ magnæ: in quibus ſolis aliquando eſt putredo: aliquando in toto corpore, ideſt non ſolum in venis magnis internis, ſed etiam exiguis externis. Tertio eſt authoritas in libro de Palp. Trem. & Rig. cap. 7. vbi dicitur. Medicamentorum calidorum vſu quandoque horror ſolus, multoties rigor etiam ſuperuenit, ſicut in ardentibus & tertianis, flaua bile non in vaſorum cauis, ſed per carnes mota, vel quod in illis ſupra metrum generata fuerit, vel quod medijs illis natura expurgetur. Hoc enim ſolo diſtant ab ardentibus tertianæ: Ardentes enim in vaſis bilem delatam, tertianæ per ſenſitiua loca extra habent, ſuper quibus dum fertur, acuitate lædens dolorem infert. Quo duo fiunt; Sanguinem in profundum corporis ferri: eoque corporis exteriora frigeſieri: parteſque in quibus bilis

adeſt,

A adeſt,expultrice vi in proximam vnamquamque hanc reijcere,quouſque ab omnibus expulſa, ſudoribus, vomitibus, & citata aluo expurgetur. Hic manifeſte dicitur in tertianis bilem extra haberi, quia in carnibus vltra metrum generata fuerit: Non ergo fertur à venis extra venas: hoc enim in ardentibus fit,cum rigor ſuperuenit: nam medijs carnibus venæ expurgantur. Sed hic locus eandem interpretationem habet,quam ſuperiora. Accipit enim vaſa,quæ conſpicua ſunt, & magna: extra quæ humores aceruantur & putreſcunt in intermittẽtibus: has autem eſſe venas exiguas alibi diligentius explicauit. Sed huic interpretationi verba illa videntur obſtare: Tertianæ per ſenſitiua loca extra habent, ſuper quibus dum fertur,acuitate lædens dolorẽ infert. Hæc enim non poſſunt accommodari venarum cauitatibus licet exiguis: Nam ſenſus viget extra in partibus carnoſis neruoſiſque. An indeterminate hic loquitur,quod alibi diſtincte explicauit. Nã per car-
B nes moueri,aut colligi,& putreſcere in genere carnoſo contingit tum in venis exiguis earum, tum extra. Sed in præſenti propoſito, in quo quæritur cauſa rigoris, ad rem facit, ferri extra venas per loca ſentientia. Vbi autem quæritur locus putredinis in febribus,diſtinctione vtitur, Nam extra venas fieri febres ex inflammatione aſſerit,intra autem febres per ſe,ſiue in magnis ſiue in paruis. Inſtabit autem quis: Laſsitudinis aut inæqualitatis ſenſum, qui præcedere ſolet rigores febriles, oſtendere humores noxios extra venas: ijdem enim humores quieſcentes ſenſum huiuſmodi pariunt, moti autem horrores & rigores, 2.Sympt.cap.5. Tam igitur putredo quam motus extra venas agitur in intermittentibus. Reſpondetur,humores in habitu corporis quieſcentes facere quidem ſenſum inæqualitatis & laſsitudinem, ſi autem moueantur, horrores & rigores, ſed ſine febre, vt rigores ex balneo,non enim ob id fuligo putrida cordi communicatur: Quod ſi etiam inibi
C putreſcant, pruritus & infectiones cutis parient, puſtulas ſcabiem & ſimilia ſine febre ob diſtantiam. Ex aliquo igitur loco tamquam foco, vt Galenus vocat, putrida fuligo cor & venas omnes petit: ſpargiturque in habitum,vnde primo ſenſus ille inæqualitatis fit, & aliqua laſsitudinis ſpecies: poſtea aucta materia & magis agitata,horrores & rigores oriuntur, quibus ſuccedit extremorum refrigeratio concurrente calore ad principium, vnde iterum reuertens cum copioſiore materia febrilis calor augetur,& diffunditur in vniuerſum corpus. Quod ſi materia in habitu collecta, inibi putreſceret: vnde motus ille vehemens rigorem faciens? vnde expulſio in declinatione aliquando per vomitum, aut deiectiones, aut per vrinam? ſolum enim per ſudores patet exitus. Nam in inflãmationibus,quod colligitur in particula, per eandem particulam egreditur, aut inſenſibiliter digeſtum euaneſcit. Ex quibus colligitur, alium eſſe locum, in quo putreſcit humor in intermitten-

mittentibus, nempe venas alicuius particulæ: Alium, qui eidem no- D
uam materiam ſubminiſtrat, vnde fit acceſsionum repetitio: cuiuſmo
di eſt in tertianis hepar, aut totum corpus, genus ſcilicet carnoſum.
Alium tandem, in quem putrida fuligo ex corde & venis internis detruditur, aut reliquiæ humorum, qui in ſingulis acceſsionibus putruerunt expelluntur: is autem eſt extra venas, aut per carnes ad cutim, aut ad ventriculum & inteſtina, aut ad renes & veſicam. In febribus autem ex inflammatione, cum non poſsit humor putreſcens in ſingulis acceſsionibus diſpergi, continuæ permanent febres, donec collectus humor ex toto concoquatur, aut ſuppuretur. Quod autem continua etiam febris oriatur ex putredine in particula abſque inflammatione, contingit aut ob materiæ multitudinem, aut craſsitiem, aut virtutis imbecillitatem, aut ſi quæ alia ſunt, quæ prohibent materiæ putreſcentis expulſionem: vt explicatur 2. diff.fe.2. Extat porrò quorundam ſententia: nullas putridas ex putredine in venis fieri, ſed omnes quæ non E
ex inflammatione fiunt, oriri ex putredine in ventre inferiori, à qua putrida fuligo in venas aſcendat. Nituntur autem argumento deſumpto ex fętore, & animalibus ex putredine genitis: hæc enim in ventre inferiori maxime conſpiciuntur, nunquam in venis: Nam fęteret aliquando ſanguis, qui vena ſecta extrahitur, aut ſponte effluit in huiuſmodi febribus. Si autem aliquando fęteat vrina, lętalis eſt: ſępius autem non fętet. Præterea caliditas circa Hypochondria magis quam in cęteris partibus demonſtrat circa eum locum putredinem vigere. Addunt ob id maxime iuuari Clyſteribus, vtpote putredinem abluentibus. Huic ſententiæ fauere videtur Hippocrates 5. in 6. Epi. 31. vbi inquit. Rigor ex ſuperiori ventre magis; Ignis ab inferiori magis. At ſi per ventrem inferiorem intelligamus inteſtinorum cauitatem, in qua vermes ex putredine gignuntur, & excrementa fętentia continentur: ablutis ijs aut per clyſterem aut alia ratione, vnde acceſsionum repeti- F
tio? ſi enim interim à cibis abſtineant, non poterit colligi materia putreſcens. Melius igitur putandum eſt ab Hippocrate intelligi venas ad ventrem inferiorem tendentes, vt ſunt meſeraicæ: Nam plurimæ inibi obſtructiones ex cruditatibus fiunt, & inde principium putredinis, tum ob loci impuritatem & excrementa, tum ob caliditatem. Rigor autem ex ſuperiori magis, quia vt Galenus putat, ventriculus ob morſum rigores pariat. Sed rationabilius, vt puto, per ventrem inferiorem & ſuperiorem intelligit Hippocrates infra ſeptum tranſuerſum & ſupra, vt ſæpe conſueuit appellare. Ignis igitur ex inferiori ventre magis, ideſt ex membris infra ſeptũ tranſuerſum contentis. Rigor ex ſuperiori magis, ideſt ex thorace: quia fuligo putrida aſcẽdens in venam cauam & aortam, prius in dorſo rigores gignit affecta ſpinali medulla ob uicinitatem, deinde in partibus poſterioribus femorum

A morum & brachiorum. 5. Aphor. 69. Ad argumenta conceditur non dari in uenis tantam putredinem viuente animali, vt vermes gignantur, aut fœteat ſanguis: nam vigente coctione neque fit fœtor in abſceſſibus, tanto minus in uenis. Si tamen aliquãdo vigeat putredo, etiam fœtent humores intra venas, vt patet in vrinis fœtentibus, ſudoribus, & habitu. Manifeſtiorem autem calorem febrilem apparere circa Hypochondria, & iuuari clyſteribus rationabile eſt, non quia putredo ſit in cauitatibus inteſtinorum, ſed in uenis meſeraicis. Ideo in principio acceſsionis cæteris frigentibus apparet tamen calor circa ea loca, confluente ſanguine & ſpiritu ad particulam putredinis, vnde grauatur & inflammatur. At verò ſupponatur putredo in cauitate inteſtinorum, eaque inſignis, vt cum vermes gignuntur: non tamen ſemper inſequitur febris, multi enim in ſanitate vermes excernunt. Quod ſi febris aliquando gignatur, ſæpius erit inter Ephemeras, vt contingit ex cru-
B ditate nidoroſa: ſolo calore aſcendente non putrida fuligine, ut ex bubone. Si autem putrida fiat, erit per conſenſum, vt quæ ex inflammatione fiunt: per ſe autem non erit, niſi in ipſis venis humor putreſcat. Idem dicendum eſt de putredine in cauitate thoracis aut veſicæ aut in alijs locis extra venas.

Tres tantum eſſe circuitus ſimplices febrium putridarum. Quæſt. X.

CVM tria tantum ſint ſanguinis excremẽta, quæ tria febrium putridarum genera conſtituunt: tres quoque earum circuitus ſimplicisſimos eſſe rationabile eſt. Aggregatio enim materiæ ſuperfluæ putreſcibilis in aliqua parte per interualla acceſsionũ repetitiones facit. 2. diff. fe. 2. Cum autem diuerſa materia diuerſis tem-
C poribus aggregetur: tria genera excrementorum tribus temporibus diuerſis merito aggregabuntur, vt uidemus pituitam ſingulis diebus acceſsionem facere, flauam bilem alternis: atram interiectis duobus diebus. Si quæ autem ordine perturbato accedant, vt erraticæ, fiunt, vt Galenus vult, aut ob mutationem humoris in aliam naturam: aut propter errores in uictu. Complicationes quoque Typorum videntur ordinem perturbare, vnde putantur erraticæ: Si tamen optime perpendantur, non egrediuntur ordinem trium Typorum. Verum cur interualla diuerſa in diuerſa materia fiant, difficile eſt inuenire, vt fatetur Galenus. 3. de Die. decr. 8. inquit enim: Non in promptu eſt rationem inuenire, cur in acutis acceſsiones diebus imparibus, in longis paribus fiant, vt ſingulis diebus, uel quarto. Ideo ſunt qui ad proprietates occultas totius ſubſtantiæ hæc referant. quas Empirici & Sceptici philoſophi introduxerunt. 1. Simp. 1. Medici autem præſtantiores

non

non ignorãt.5.Simp.2. Tentandum eſt igitur ex principijs inueſtiga- D
rē. Cum omnis aggregatio materiæ ſuperfluæ in aliqua parte fiat aut per expulſionem à cæteris partibus: aut per attractionem: aut quia inibi generetur ex proprio alimento. 2.dif.fe.2. Ratione quidem expulſionis non videntur prædicta interualla fieri. Stimulant enim ad expulſionem & qualitas & quantitas noxia. Inter cæteros autem humores flaua bilis qualitatem habet magis irritantem, acredinem ſcilicet mordentem & amaritudinem: ideo citiſsime debuiſſet aggregari, poſt ipſam atra bilis, tardiſsime autem pituita. At contrario modo videmus contingere in circuitibus. Si quantitatem uniuſcuiuſque humoris conſideremus, quæ varia eſt pro ætate, natura, anni tempore, regione, victu & cæteris huiuſmodi cauſis, etiam circuitus uarios pareret. At uidemus circuitus eoſdem perpetue ſeruari in quocũque tempore, ætate, & reliquis in quolibet humore. Ergo ratione expulſionis certa interualla minime fiunt. Neque etiam ratione attractionis: E
Humor enim tenuis citius attrahitur quam craſſus: At pituita quamuis craſsior flaua bile citius periodum abſoluit. Præterea calor & dolor quæ vim attrahendi habent, magis ab humoribus calidis fiunt quã à frigidis. Num forte aggregatione facta ſiue per expulſionẽ ſiue per attractionem, ſiue alia ratione, humores non æque putreſcunt, vnde circuituũ varietas? vt pituita ratione humiditatis facillime putreſcat: poſt bilis flaua ob caliditatem: atra ob frigiditatem & ſiccitatem tardiſsime. Cui ſententiæ aſtipulari videtur exẽplum Galeni. 1.dif.fe.5. de fimo per putredinem incaleſcente. Quod enim una die ſuccendebatur, altera die accendebat, quod illi continuum erat, priori refrigerato ad ſimilitudinem quotidianæ: ſi tardius, tertianæ circuitum feciſſet: Si adhuc tardius, quartanæ. At bilis flaua citiſsime accenditur, poſt ipſam atra, tardiſsime omnium pituita ob frigiditatem & humiditatem: indicio eſt acceſsionum longitudo: Humores autem hi nõ F
accenduntur ſine putredine: facerent enim ephemeram, vt ſanguis. Hinc ſequeretur breuiſsimum eſſe circuitum flauæ bilis, tardiſsimum pituitæ, quod eſt contra experientiam. Relinquitur igitur vt aggregatio excrementorum, quæ fit ex proprio alimento, diuerſa faciat interualla. Quam ſententiam habet Gal.2.dif.fe.2.vbi inquit. Neque illud mirandum, quod non ijſdem ſtatutis temporibus omnes ſuperfluitates aggregentur: quando & is qui pro alimento ſanguis defertur, non vſquequaque ſimilis exiſtat. Siquidem neque partium, quæ ex eodem alimento nutriuntur, eadem exiſtit diſpoſitio: ſed aliud alij ſufficit tẽpus ad tantam ſuperfluitatem aceruandam, qua primum quidem mẽbri natura læditur, cogitur autem tanquam alienun à ſe detrudere id, quod infeſtat. Hæc Galenus. Significat autem in his uerbis diuerſas ſuperfluitates diuerſis tẽporibus aggregari propter duas cauſas: quarum

A rum vna eſt diuerſitas alimenti: altera partium varia diſpoſitio. Alimenti diuerſitas cõſiſtit, quatenus ſanguis, quo omnes partes nutriuntur, alius eſt tenuis & bilioſus: alius craſſus pituitoſus aut melancholicus. Partium autem diſpoſitio varia eſt pro vario temperamento: adeo ut quædam ſanguine bilioſo nutriantur, vt mẽbranæ: quædam pituitoſo, vt cerebrum, ventriculus: quædam melancholico, ut oſſa, lien. Hinc fit vt non in eodem tempore fiat excrementorũ tanta congregatio, quæ naturam grauet, & cogat ad expellendum. Nam cibus & potus aſſumpti in ventriculo, quodam tempore egent ad primam coctionem, in qua relinquuntur craſſa excrementa: alio in ſecunda coctione, dum chylus in ſanguinem conuertitur in Hepate: in qua excrementa bilioſa & melancholica gignuntur. Alio tandem in diſtributione ſanguinis ad ſingulas partes, in quibus tertia coctio peragitur. Putauit autem author quarti libri de Morbis Hippocrati aſcripti,

B excrementa alui non eadem die, qua cibi aſſumpti ſunt, ſed poſtridie ſecedere: humores autem qui aſcenderunt in corpus, tertia die, vnde in morbis iudicationes diebus imparibus fiant. Sed quamuis rationi conſentaneum eſt, vt excrementa primæ coctionis prius ſecedant, quam ſecundæ aut tertiæ: non tamen perpetuum eſt, ut quæ aſcenderunt in corpus tertia die excernantur: nam & iudicationes, ut acceſſiones quædam fiunt diebus imparibus, quædam paribus. Alio igitur modo dicendum eſt. Cum excrementa non ſint æqualia ijs quæ nutriunt, fit ut redditio eorum nõ reſpondeat aſſumptioni. Et ſi enim bis in die quis cibum aſſumat, non tamen bis in die vnuſquiſque reddit excrementa: ſed aut ſemel, aut alternis diebus aut etiam pluribus interiectis, & in ijs ordo quidam naturæ ſpectatur. Similem ordinem eſſe in humorum expulſione ab vna parte ad aliam teſtatur Galenus. 2.Diff.fe.2. vnde circuitus quoſdam fieri admiramur. Quomodo au-

C tem ij fiãt, clarius oſtendemus, ſi prius ordinis rationem aperuerimus. Cum naturæ opera ordinata ordinem cœleſtem ſequantur, quantum poſſunt, 2.de Die.decr.2. Tres autem circuitus nempe quotidianæ, tertianæ, & quartanæ diebus numerentur, rationi conſentaneum eſt inſequi diurnam totius cœli circulationẽ: vt breuiſsimus circuitus vnicam cœli circunuolutionem inſequatur, qui abſoluitur horis viginti quatuor, qualis eſt quotidianæ circuitus. Alter paulo diuturnior duas circulationes requirat, nempe duos dies, qui horis quadraginta octo abſoluuntur, vt tertiana. Tardiſsimus tribus circulationibus abſoluatur, nempe horis ſeptuaginta duabus, qui circuitus eſt quartanæ. Vltra quem non datur alius circuitus ſimplex, & ordinatus in humoribus putreſcentibus. Neque enim breuior aliquis eſſe poſsit circuitu quotidiano: nam in cœlo nulla datur circulatio breuiori tempore abſoluta, quam quæ motu diurno fit: neque longior quartana: peruenit

nit enim ad dimidium ſeptimanæ, quod eſt primum quaternariū, qui D
bus plerique morbi iudicantur. Quemadmodum autem primæ menſuræ, quæ ſimplices ſunt, vſque ad ternarium extenduntur, continentes tria genera circuituum, ſic tres ſeptimanæ abſoluunt omnes dies decretorios acutorum morborum. In prima enim ſeptimana acutiſsimi morbi abſoluuntur, in ſecūda acuti, in tertia qui minus acuti ſunt, quæ die vigeſima terminatur ſecundum Hippocratem, aſſumentem principium tertiæ ſeptimanæ à die decimaquarta, quia non integris ſeptem diebus ſeptimanæ conſtant, nec integris horis vigintiquatuor dies vnus. Id autem contingit, quia cœli circulatio diurna breuior eſt quam Solis reditus ad orizontem, ſecundum quam circulationem horas numeramus & dies. Hoc enim modo fit, vt in viginti diebus ſolaribus includatur aliqua pars ſenſibilis vigeſimæprimæ circulationis cœli: ad quem numerum tres ſeptimanæ perueniunt. Nón oportet autem in his inferioribus temporum momenta ad viuum reſecare, vt in E
cœleſtibus: ſufficit enim diem decretorium attingere. Hunc autem eſſe perfectum circuitū, qui tribus ſeptimanis abſoluitur in diebus decretorijs teſtatur Galenus. 2. Die. decr. 9. Nam poſt diem vigeſimā ſimili modo tres aliæ ſeptimanæ numerantur vſque ad quadrageſimū: deinde vſque ad ſexageſimū, octuageſimum, cēteſimum, & centeſimum vigeſimū, qui eſt quartus menſis, à quo nō amplius diebus numerantur tempora morborum, ſed menſibus ſimili modo per menſium ſeptimanas, deinde annorum menſurando. Hoc autem modo conſiderantibus non eſt neceſſe in morbis breuibus dies decretorios ſecundum lunæ curſum numerare: nam & difficile numeri reſpondent: & auctio per tres ſeptimanas ad diem Quadrageſimum & reliquos egreditur omnino ordinem Lunæ. Sed hæc non ſunt præſentis inſtituti. Vt igitur reuertamur ad tres circuitus. Pituita breuiſsimum circuitum facit, non quia eius natura ſit, vt ſingulis diebus vbicūque acerueтur, F
aut putreſcat, ſed quia particulis, quæ ſanguine pituitoſo nutriuntur, inſita eſt hæc vis, vt in tanto tempore ex nutrimento aggregent excrementa, quibus grauentur, & ad expulſionem irritentur: quod poſtea natura facit ex conſuetudine, vt de excrementis alui dictum eſt. Siue enim aucta fuerint excrementa, ſiue diminuta, ſiue acriora reddita, ſiue alio modo mutata, ſuſtinet tamen natura, donec tempus adueniat, quo expurgari ſolet: quod ſi ante tempus conuentum id fiat, malum eſt, ſignificat enim labores grauiores quos natura nequeat ſuſtinere. Auctio igitur materiæ aut qualitas ſtimulans nō Typum mutant, ſed acceſsiones faciunt maiores, aut longiores, aut anticipantes: Diminutio eiuſdem & mitior qualitas oppoſita præſtant. 2. diff. fe. 2. Ad Typū igitur præſtandum non ineſt vis in humoribus, ſed particulis: hę enim attrahunt, concoquuntur, & expellunt. Rationi autē conſentaneum eſt,

A eſt,vt partes pituitoſæ citius aggregent ſua excrementa, quam bilioſæ & melancholicæ: Pituita enim citius generatur quam reliqui humores, & partes pituitoſæ uberiori alimento vtuntur: Sunt autem huiuſmodi ventriculus: Cerebrum: nerui: glandulæ: Ideo quotidiana intermittens raro aduenit,quin os ventriculi patiatur.2.Criſ.5.Hepati quoque quotidianas tribuit Galenus.1. Aph.12. Inquit enim: febres quæ ventri eueniunt,Hepati, ſuppurationibusque & Tabi,quotidie, & magis ad noctem. An ſubſtantia carnoſa ſanguine pituitoſo nutritur? & in ſuppurationibus ſanguis in pituitam vertitur? Partes autem bilioſæ tardius aggregant ſua excrementa: flaua enim bilis ſuā generationem habet poſt pituitam: parciori quoque alimento hæ partes vtuntur ob gracilitatem. Huiuſmodi ſunt membranæ,vt quæ coſtas ſubcingit,& quæ veſtit omnia viſcera,& cerebri meninges: veſica fellis: Ideo circuitum longiorem faciunt,quæ eſt tertiana: vt patet in
B Phrenitide,& Pleuritide 1.Aph.12.At 1.ad Gla.5. Tertianam inquit ex Iecore laborante fieri: Quod intelligendum eſt ratione veſicæ fellis & cæterarum partium membranoſarum ejus. Simili modo muſculi exiles à flaua bile magis tentantur, quam à craſsis humoribus, vt patet in Angina.4.Acut.30. Fluxio enim pituitoſa in venis amplioribus figitur,vnde muſculi maiores inflammantur, bilioſa vero in tenuioribus: ideo Eryſipelas magis ad ſuperficiem tendit,& ad membranas & cutem. Quod autem ſcribitur.2.in primum Epi.20.Congeri bilem in genere carnoſo,eo modo intelligendum eſt: ſcilicet in exiguis earum venis. Humor melancholicus tardiſsimum circuitum facit, & quia tardius generatur quam flaua bilis: & quia partes melancholicæ ob frigiditatem & ſiccitatē minus abſumuntur,ideo parciori alimento egent, & parcius aggregant ſua excrementa. Huiuſmodi ſunt lien, oſſa,Chartilagines. Ideo ſcribitur.1.ad Gla.5.Quartana ex male affecto liene ge
C neratur: & 1.Aph.12. Quæ verò ex liene & omnino ex atra bile, per quartum accedit: Affici quoque oſſa indicio ſunt laſsitudines oſſeariæ appellatæ,quæ in quartanis contingunt. Inteſtina craſſa præcipuè rectum atram bilem recipiunt à ſplene,ſed eam tranſmittunt ad feces, vnde colore nigro colorantur,non tamen ſanguine melancholico nutriuntur,ſunt enim inter partes pituitoſas vt ventriculus & reliqua inteſtina: Os quoque ventriculi ſuperius ad appetentiam recipit atram bilem, & os inferius ac duodenum inteſtinum flauam bilem ad expulſionem irritandam,nutriuntur tamen ſanguine pituitoſo,ideo quotidianas faciunt ratione proprij nutrimenti, at ratione fluentis flauæ bilis ab Hepate,aut atræ à liene,tertianas & quartanas patiuntur. Facta igitur aggregatione ſenſibili excrementorū in ſingulis partibus(quod contingit, quando paulatim ea non expurgentur à natura.) aut inibi nacta occaſione putreſcunt,& febrem gignūt, quæ acceſsiones habebit

bit per interualla ſecundum tempora aggregationis ſenſibilis in particula ex proprio alimento. Aut expultrix ſtatis temporibus pro natura particulæ vehementius excitatur vt expellat aut extra corpus, aut ad alias partes imbecilliores. Vbi verò putreſcere inceperint, quandoque eò feruntur aliunde excrementa, aut attracta ob loci caliditatem, aut dolorem: quod ſæpe acceſsionum repetitiones facit præter ordinem: aut expulſa ſecundum periodos partium expellentium: Vnde ſæpe componuntur periodi tum diuerſorum generum, tum eiuſdem generis: vt quotidiana cum tertiana, aut quartana: aut plures tertianæ, plures quartanæ, aut quomodocunque ſeu compoſitis per diuerſa tempora acceſsionibus, ſeu pluribus commixtis eadem hora inuadentibus: Si enim putredo in aliqua parte inceperit ob tranſmiſſas ab alia parte ſuperfluitates, vnicus erit circuitus ſecundum naturam mandantis, nõ enim tranſmittet nouam materiam, niſi prius aceruauerit. Si præterea interim in eadẽ particula recipiente imbecillitas orta ſit, vt & ipſa congerat excrementa, fiet alius circuitus ſecundum tempus aceruationis. Sic duo erunt circuitus ex humoribus in eadem particula putreſcentibus. Si adhuc plures ſint partes aut recipientes aut mandantes, multiplicabuntur circuitus. Hanc ſentẽtiam innuit Galenus 2. diff. ſe. 2. vbi inquit. Quod ſi aliquando pars recipiens imbecillior reddatur, hoc quoque illi cauſam affert, vt non modo materia inutilis, ſed ipſe præterea ſanguis corrumpatur atque putreſcat, ac febres accendatur: atque hinc aliud oritur principium earum, quæ per circuitum fiunt, acceſsionum. Pro exemplo ſumatur, flauã bilem ab aliqua parte bilioſa tranſmitti ad aliam partem ex bilioſis, fiet vnicus typus tertianus. Si præterea pars recipiens adeo vitietur, vt etiam ipſa congerat ex nutrimento humores bilioſos, fiet duplex tertiana. Sumatur iterum bilem tranſmitti ad parte pituitoſam, vt ventriculum, fiet hic quoque ſimplex tertiana ob naturam mandantis: Si verò contingat etiam congeri excrementa ventriculi, fiet alter typus quotidianæ, quæ complicatio ad ſpecies ſemitertianæ refertur, in qua altera die grauius altera leuius habent: aut vna die ſemel altera bis inuadit, cum ambę non concurrunt in eandem horam. Alio modo ſupponamus cõgeri paulatim in ventriculo humores bilioſos non tranſmiſſos aliunde: hic profectò veriſimile eſt non ſinceram bilem colligi ſed excrementis proprijs ventriculi commixtam: fiet typus quotidianæ, quia hæc eſt natura partium pituitoſarum ſingulis diebus exacerbari: forma autem acceſsionis oſtendet flauam bilem admixtam pituitæ aliquando dominantẽ, quas duas tertianas nothas vocamus. Congeratur præterea pituita excrementitia in partibus bilioſis, circuitus erit tertianæ, quia partes bilioſæ alternis diebus exacerbantur: forma tamen acceſsionis pituitam oſtendet admixtam aut etiam dominantem: quam tertianam nothã vocamus.

Hoc

A Hoc autem argumentum eſt manifeſtum non ſecundum naturam humoris circuitum fieri, ſed ob naturam partis. Nam in tertiana notha commixtus eſt humor bilioſus cum pituitoſo, vt 1.ad Gla.10. vnicus tamen fit circuitus ipſius tertianæ,licet aliquando pituita dominetur, vt patet ex forma acceſsionis. Ideo in omnibus formam magis ſpectandam eſſe quam circuitũ monuit Galenus.2.Criſ.2.Nam typus aliquando eſt quotidianæ cum duplex tertiana fit: Aliquando typus eſt tertianę ſimplicis, cum ſit duplex quartana. Hæc Galenus. At qui fieri poſsit,vt duplex quartana typũ habeat tertianæ ſimplicis? ſolet enim duplex quartana duobus diebus inuadere,vnum intermittere: quod ratione duarum partium fit,quarum altera recipiat, altera mandet ordine quartanario. Vt autem ſeruetur typus tertianæ ſimplicis,hoc modo facile contingit. Si enim aggregetur in partibus bilioſis atra bilis, exacerbationes faciet alternis diebus ad ſimilitudinẽ tertianæ ſimpli-
B cis,ſed forma erit quartanæ: quæ ideo duplex dicitur,quia in interuallo trium dierum bis accedit. Quod ſi eadem in partibus pituitoſis aggregetur,ſingulis diebus exacerbabitur typo quotidianæ, & fient tres quartanæ,ſed forte nothæ ob aliquam mixtionem pituitæ.Si vero inter eas vna ſit vehementior, aliæ duæ minores, ſignificat duas partes, vnam quæ mandat atram bilem ſingulo quarto die, alteram quæ aggregat quotidie aut pituitam aut alios humores,veluti ſemiquartana, vt de ſemitertiana dictum eſt. Secundum eandem rationem fieri poteſt,vt in partibus melancholicis aggregentur humores bilioſi,aut pituitoſi,vnde circuitus fiet quartanæ ſimplicis,cum tamen forma acceſſionis bilem aut pituitam oſtendat. His quæ diximus ſolum repugnare videtur, quod ſcribitur.1.Aph.12. Morbi acceſsiones indicabunt, Nam in quibus forma non reſpondet typo, nequaquam indicabunt. An pleræque medicinæ ſententiæ veræ ſunt vt plurimum? De triplici
C igitur genere circuituum à qua cauſa fiunt, & quomodo, explicatum eſt. Sed præter hos Hippocrates alios recenſet. 3.in primum Epid.2. Quintanam, ſeptanam, nonanam. Auicenna etiam ſextanam,atque alios circuituum numeros. Galenus ſuſpicatur erraticas eſſe,nec vidiſſe præter quintanam, eamque obſcure. Equidem hanc vidi ſæpius & manifeſte: aliquando breuem,quæ conuerſa eſt in tertianam:aliquando longam ex erraticis ortam in Autumno,quæ ſeptem menſibus grauiter tenuit ancillam meam. Auicenna omnes hos circuitus ad quartanam refert: fieri enim ex atra bile varij generis, quæ ob paucitatem tardius congregetur. Videntur autem eſſe ſpecies ſimplicium typorũ interpollata vna acceſsione aut pluribus: vt cõtingere ſolet menſtruis vno menſe deficientibus,expectant enim alterũ circuitum menſtruũ, nec in tempore intermedio erumpunt ſecundum naturam: quia natura minime cõſueuit niſi ſtatis temporibus expellere. Erit igitur quin-

tana ſpecies tertianæ interpollata vna acceſsione: ideo inter breues po D nitur ab Hippocrate, omnium peſsima: nam ducit ad tabem, aut tabem ſequitur 3. in primum Epi. 9. putandum eſt enim oriri ex flaua bile, quæ per vſtionem tranſierit in atram, ideo peſsima: ſed quæ aggregetur in partibus biliofis, vnde circuitus tertianus: interpollat autem vnam acceſsionem ob paucitatem. Septana eſt quartana ſemel intercepta: hanc Hippocrates longam eſſe tradit, at non letalem. Videtur ex humore melancholico oriri in partibus melancholicis, qui ſimiliter ob paucitatem interpollat vnam acceſsionem. Nonana videtur circuitus tertianæ ter intercepta acceſsione. Traditur longior ſeptana nec letalis: videtur oriri ab eodem humore melancholico ſed in partibus biliofis aggregato: ideo longior ſeptana, quia interuallum longius, ſimili modo non letalis, quia conuenit cum quartana. De ſextana nullam video rationem, niſi ad quotidianam reducatur quater interceptam: ab humore melancholico in parte pituitoſa. Concludere igi- E tur poſſumus tres tantum eſſe circuitus ſimplices febriū putridarum: alij enim omnes aut componuntur ex his, aut ad hos reducuntur.

Hecticarum tria genera vnicam potius eſſe temporibus diſtinctam. Quæſt. XI.

GRADVNTVR quidem tria genera Hecticæ. 10. Meth. 2. ſecundum triplicem humiditatem partium ſolidarum, quam febris depaſcitur. Primum conſiſteie in propria humiditate, qua partes nutrirentur, qui veluti ros ſparſus in omnibus partibus continetur: Secundum in ea humiditate, quæ concreta eſt iuxta fibroſas partes, quod genus carnoſum & adipem complectitur: Tertium in ea, quæ fibroſas partes conſtituit, quæ vere ſolidæ vocantur. In cordis enim ſubſtantia tres iſtæ humiditates continentur, quæ abſumun- F tur in febribus Hecticis: vnde ſequitur totius corporis extenuatio. Addit tamen Galenus quartum genus humiditatis, in qua febris Hectica conſiſtit. 7. Meth. 6. cum inquit. Quatuor ſiccitates induci ex Hecticis: primam, cum ſolida ſimilarium ſubſtantia ſiccior eſt reddita: Secundam, vbi ea, quæ ex humore concreto conſtat, vt caro & adeps: Tertiam, cum ros ipſum abſumitur: Quartā eſſe ſanguinis penuriam in exiguis particulæ uenis arterijsve. Sed Auicenna quartam hanc ſiccitatem nō Hecticis tribuit, ſed cæteris febribus. Quaſi cæteræ febres nō abſumant & ros, & carnem, & pinguedinem totius corporis. Non enim in hoc conſiſtit Hectica, ſed ſi in corde huiuſmodi abſumptio fiat: contingit enim corpus extenuari inedia, & febribus cuiuſcūque generis. At ob id non eſt neceſſe cordis humiditatem abſumi. Quam diu enim viuit, rapit à cæteris partibus humiditatem, vt explicatur in lib.

A lib. de Maraſmo cap. 5. Cor namque cum valentiſsime attrahat, non priuſquam vltima ſit membris omnibus inopia, caret alimento, vt ne credamus, quãdo ex diuturna mala valetudine corpus emacruerit, cor eſſe & iecur pariter cæteris partibus attenuata. Id vel in alijs animalibus inſpicere licet, ſi diuturna fame maceratum diſſeces, tenuatas & penè ſiccas alias partes videbis: Iecur vnà cum corde in ſtatu ferè naturali. Hactenus Galenus. At in febre Hectica incipit ex corde extenuatio: Ideo cum progreſſa eſt, ob principij imbecillitatem difficilius inſtauratur, quam cum in alijs morbis facta eſt extenuatio. Quid igitur prohibet ad Hecticas pertinere etiam illam ſiccitatem, quæ fit ex penuria ſanguinis in venis exiguis, dummodo ex corde incipiat? Alioqui cur magis ponenda eſſet Hectica in eo alimento, quod fori aſsimilatur: nam & hoc non dum eſt agglutinatum partibus, neque concretum: & eget alteratione vt illud, eſt enim adhuc ſub ſpecie ſanguinis,
B licet parum mutatum pro natura partium. Tribuuntur autem hæ partibus ſolidis, quia illis priuatæ ſicciores redditæ ſunt. Igitur ſpecies Hecticarum ſecundum numerum humiditatũ conſtituentibus iam quatuor erunt: forte & plures. Nam antequam alimentum, qui ros appellatur, partibus agglutinetur, aliam mutationem ſuſcipit, 1. de Sem. 2. Præterea alia eſt humiditas, quæ in carnem congelatur, alia quæ in adipem: Alia quæ in partes albas tranſit. Verum inutilis videatur diligẽs hæc perquiſitio, & curioſa, cum abſque diſcrimine hæc febris omnes humiditates abſumat, ſi progrediatur vſque in finem. Ideo melius diſtinguenda videtur temporibus, vt facit 1. diff. fe. 8. & 9. Quamdiu, inquit, eſt in principio Hecticam vocant: quando ad ſtatum peruenit, tabidam: In tempore intermedio, quod eſt ipſius augmenti, mediam inter Hecticam & tabidam, quæ modo ad vnam magis, modo ad alteram vergit. Hecticam facile curari: Tabidam incurabilem: mediam
C difficile curari, prout magis uel minus progreſſa eſt. Determinari autem principium non dierum aut horarũ numero, ſicuti neque in alijs morborum generibus, ſed ipſo diſpoſitionis modo. Cum enim naturalis cordis temperies primum euerti incęperit, neque natiua humiditas protinus aboletur, neque virtus plurimum laborat: ſed primo fit veluti quædam efferueſcentia humiditatis, quo in tempore facile eſt huiuſcemodi febrem ſanare, tamquam nihil adhuc virtute perpeſſa. Deinceps autem conſumptio quædam efferueſcentium ſequitur: hacque in longum protracta, ipſæ ſimilares particulæ, quæ ſunt veluti cordis elementa, ſicciores redduntur, atque inopia alimenti tenuiores, ac tantum virtus laborat, quãtum ſiccitas atque caliditas in ipſa febre inualuerit. Huiuſmodi febrem medium locum tenere inter eam tabidam febrem, quæ penitus curam non admittit, atque illam quæ facillime in principio curari poteſt. Latitudines autem in hac multas eſſe,

quoniã & diſpoſitionis ipſius multæ ſunt diuerſitates in eo quod magis ac minus. Hæc Galenus. Tempora autem huius morbi nequaquã penes eruditatem & coctionem diſtinguuntur, vt putridarũ febrium: non enim adeſt humor concoquendus: ſed penes ſymptomata in abſumptione natiuæ humiditatis ſolidarum partium, vnde tandem ſequitur tabes. Antiqui porrò eam quæ facile curatur non Hecticã vocabant, ſed ſcheticam 8. Meth. 1. quia diſpoſitio nequaquam fixa eſt ἐν σχέσει. Solas autẽ fixas vtpote difficile mobiles ἐν ἕξει, ideſt in habitu vocabant. Ideo Hecticæ duplici ratione dicuntur, vel quia diſpoſitio ſit fixa, vt habitus: vel quia in habitu corporis ſit, ſeu fixa ſeu mobilis 1. diff. fe. 7. Patet præterea in hoc morbo ratione ſiccitatis nullam declinationem ſubſequi ad ſtatum, eum incurabilis ponatur, quamuis ratione caloris febrilis declinare poſsit: abſumpto enim humido calor extinguitur. Idcirco niſi mors præueniat, tranſit in ſenium ex morbo, qui maraſmus appellatur, ſiccitas ſine febre. Sed ante ſummam cordis exſiccationem, eum ſanabilis ſupponitur, declinare poteſt & calor febrilis extincto feruore, & ſiccitas humectato corpore. Sed aduerſus hæc dubitatur. S. nutrimentũ inſtaurat deperditam corporis ſubſtantiam, quomodo incurabilis redditur ſiccitas in tabida? Niſi enim partes albæ inſtaurarentur, in quarum exſiccatione tabidam conſiſtere ſupponitur: quomodo augeretur animal & nutriretur? ſecundum omnes enim partes tam albas, quæ ex ſemine fieri traduntur, quã eas quæ ex ſanguine, vt caro, augmẽtationem & nutritionem fieri neceſſe eſt. Non ſolum igitur caro & adeps reſtitui poſſunt, ſed etiam quæ ex ſemine. Quod & Galenus concedit 1. de Sem. 2. conuerti enim ſanguinem à tunicis in ſuccum album quale eſt ſemen, ex quo nutriuntur partes albæ. At ſi hæc vera ſunt, propter quid in vlceribus carnem quidem facile regigni videmus, partes autem albas nullo modo? quod admiratione dignum Galeno viſum eſt. Idem quoque tradidit. 11. Meth. 1. Quantitatem ſolidarum partium parem ſemper manere, poſt quam ad perfectum augmentum peruenerint: carnoſæ autem ſubſtantiæ magnitudinem variari, etiam ſi non augeatur animal. Si igitur partes albæ neque regignuntur in vlceribus: neque poſt augmentum diminuuntur augenturque, ſed pari mole ſemper manent, qua ratione nutriri concedantur? nutritio enim eſt deperditæ ſubſtantiæ inſtauratio. Amplius ſi partium albarum par quantitas manet, in Hectica non abſumetur earum humiditas, vt ſuppoſitum eſt. Animaduertere igitur oportet: partes quidem organicas regigni non poſſe, fiunt enim ſolum in primordijs naturæ cum totum animal formatur. At partes ſimilares cum continuè à calore innato aut etiam aduentitio aliquid deperdant, alimento inſtaurari poſſe tam carnoſas, quam albas, niſi quid aliud impediat. Tradit autem Galenus venulas aliquando licet

raro

A raro in vlceribus renatas, arterias autem ac neruos nequaquam, idque non quia omnino regigni nō poſsint, ſed quia carnis generatio præoc cupat in locum albarum partium. Patet id in oſſe excauato, repullulat enim vbique caro. At verò ſi quis poſt multos dies aut mēſes carnem eam contemplatus fuerit, inueniet conuerſam in albam ſubſtantiā ac præduram, vt oſsis vicem gerat, quod callum vocatur, quo & oſſa fracta glutinantur, quod & in cæteris partibus albis contingit. Omnes enim partes cum diuiſæ fuerint aut ſtatim & ſe ipſis glutinātur, vt mol les: aut poſterius medio corpore ſimili tamquam glutine, vt duræ. 5. Meth. 7. Neque in carne nouella, quæ in cauis vlceribus fit, deſunt fibræ, quæ tandem albeſcunt: forte & venulæ, arteriolæ ac neruuli inſunt: nutritur enim & ſenſu prædita eſt, at vaſcula hæc non noua putanda ſunt, ſed ex finibus præiacentium partium producta inſtar carnis ſupercreſcentis. Pars autem organica neque in duris, neque in mol

B libus reſtituitur. Nec enim lingua amputata renaſcitur, neque glans, neque præputium, neque muſculus: tanto minus oſſa, arteriæ, venæ, ac nerui: requirunt enim certam figuram, quæ tantum in humida ſeminali materia à ſpiritu formatur cum toto animali. At neruulorum, arteriarumque, aut venarum productiones, quas diximus, tanquam ſimilarium partium cenſemus, vt carnis, Nam & caro frequētibus fibris aſſurgit totam cauitatem replens. Si igitur partes ſimilares omnes refici poſſunt, cur humiditas in maraſmo & ſenio deperdita non reſtituitur alimento adueniente? An id contingit ob defectum calidi innati? Cum enim hoc vigeat in ſubſtantia humida, quo magis corpus exſiccatur, eo magis deperditur: Deficiente autem calore innato, deficit concoctio & nutritio. Prohiberi autem non poteſt, quin corpus continue exſiccetur ab initio generationis vſque ad vltimam ſenectutem: quia quod aduenit ex alimento, non totum fluit, vt totum continue

C renouari poſsit, quemadmodum in flāmis externis videmus oleo non deficiente: ſed eius pars tenuior & exhalabilis diſperditur, relinquitur autem id quod craſsius eſt & magis terreſtre: vnde partes redduntur ſicciores & duriores. Si autem liceret aliquando ſenectam exuere, & noua materia humida viuere, ſic reiuueneſcerent animalia, vt aliquando plantę ſolent per ſobolem adnatam veteri caudice areſcente, vt in Peripateticis quæſtionibus diximus. Cum igitur animalis partes ſolidiores ad tantam ſiccitatem peruenerint, vt diſtendi amplius nequeant, tunc primo deſinit augmentatio, 1. de tue. ſan. 2. deinde progreſſa amplius ſiccitate, minus concoquere, & agglutinare alimentum poſſunt: ideo deficit nutritio, tum quia deficit calor innatus: tū quia ſanguis præhumidus longa mutatione eget, vt tranſeat in ſubſtātiam valde duram: vt Galenus tradit 3. de Natu fac. vltimo. Hinc fit, vt aliquando Hectici in Hydropem incidant, aut pedum tumefactionem.

Cum enim alimentum adueniens ſiccioribus partibus glutinari nequeat,& minus concoquatur in principio, neceſſe eſt in excremẽtum aquoſum tendere. Relinquitur dubitatio,quomodo poſt augmẽtum admitti poſsit nutritio albarum partium, ſi par quantitas ſemper manet. An in hoc differt nutritio ab augmentatione 1. de Gen. & corr. tex.41. Quod enim auget carnem, eſt potentia tanta caro: quod autẽ nutrit, eſt ſolum potentia caro. Nutritur igitur permanente eadem quantitate. At ſi nutritio deperditam ſubſtantiam inſtaurat, quomodo permanet eadem quantitas nutriti? An licet continue reſoluatur humiditas partium, & alimento adueniente reficiatur, eadem tamen permanet moles partium ſolidarum, cum ad ſummum incrementum peruenerint. Nam hæ ob terream naturam & duritiem neque abſumuntur,neque reficiuntur, ſed tamen nutriuntur,quatenus irrigãtur ab alimento. Sed vt clarius res pateſiat,ſciendũ eſt ex Gal. 10. Meth. 2. in omnibus partibus tam mollibus quam duris tres humiditates contineri. Nam ea quæ eſt veluti ros non ſolum in carne eſt, ſed & neruis & membranis,oſsibuſque. Præterea Caro non tantum ea eſt, quæ in muſculo continetur,quam proprie carnem vocamus: ſed & in cęteris partibus ſua caro eſt,vt in ventriculo,membranis, arterijs, cæteriſque. Singularum enim partium moles ex tali natura completa eſt, quæ vtique,vt in ſinuoſis vlceribus videre licet,& perire & regigni poteſt. At verò nec fibroſa,nec neruoſa,membranoſa ve natura eandem generationem habere cernitur. Nec fas eſt eiuſmodi ſingularum partium fibras à malignis febribus liquari, ſicut carnes, Quando animal ipſum, priuſquam hæ prorſus ſint ſiccatæ,interemerint. Hæc Galenus. Ex quibus colligere licet etiam in ſubſtantijs membranoſis, oſsibuſque humiditatem cremabilem adeſſe,quæ & depereat,& regignatur, at ſubſtantiam fibroſam duramque nec regigni,nec liquari ſicut carnes etiã in febribus malignis: permanet igitur earum quantitas, licet humiditas varietur. Et cum dicitur Hecticam inuadere fibroſum genus,ſignificat abſumi humiditatem cremabilem ſolidarum partium, ideſt earũ carnem, non fibras ipſas. Si enim abſumeretur earum glutén, vt vocant, non perſiſteret corpus ſolidum, ſed in cinerem fuiſſet conuerſum: At hæc viuente animali fieri nequeunt. Hinc etiam patet non diſtingui febres Hecticas tribus humiditatibus prædictis. Nam in toto progreſſu aliquid roris & carnoſi generis relinquitur: nutritur enim adhuc corpus. Sed in principio ros magis abſumitur, poſtea molle carnoſum genus,vltimo ad ſolidarum partium carnem tranſit: difficilius enim hæc humiditas perditur. Cum vero ad tantam ſiccitatem peruenerit, vt calore innato prorſus deſtituatur, mori eſt neceſſe igne per marcorem extincto.

Febrem

A *Febrem peſtilentem ſola putredinis malignitate non loco differre à cæteris. Quæſt. XII.*

CVM omnis febris putrida putredinem habeat aut in omnibus venis, aut maximis: aut in aliqua particula aſcendente ad cordis ventriculos putrida fuligine vna cum calore, vt oſtenſum eſt ſuperius. Peſtilens autem inter putridas ſit: Ipſa quoque putredinem habebit aut in omnibus venis vel maximis, vnde ſynochis adnumeretur: aut in aliqua particula, vnde acceſsiones habebit. Loco igitur non diſtat à cæteris. Videtur tamen Galenus in corde ponere febrem peſtilentem. 3. Præſ. 3. cum inquit. Ex inſpiratione aeris peſtilentis, ſi putredo occupauerit cordis corpus: Hecticam fieri peſtilentem, cui nulla medicina excogitari poteſt: Si humores ſolum in
B ventriculis cordis exiſtentes, alterum genus febris peſtilentis fieri, ex qua ſuperſtites eſſe poſsint. Verum & ſi aer peſtilens inſpiratus putredinem excitet aliquando in corde: prius tamen infici neceſſe eſt loca, per quæ trãſeat: vt cerebrum, aut pulmonem. Quamuis enim admittatur ingredi aerem inſpiratum in cor, vt Galenus vult: aſſerit tamen alterari prius in pulmone, deinde per arteriam venalem ferri in cor. Interim igitur cur putredinem peſtilentem non prius communicauerit hiſce partibus? Indicat id fętor anhelitus, qui vt plurimum in peſtilentibus fit: & dolor capitis præcedens ex putridorum inſpiratione. Non minus autem in cæteris putridis communicatio putredinis cordi fit, quã in peſtilentibus. Quamdiu enim ſolus vapor putridus aſcendit ad cor, poſſunt ægrotantes ſuperſtites eſſe: cum autem humor ipſe putridus cor petierit, in ſyncopem & pulſus repentinam imbecillitatem incidunt, vt deſperata ſit ſalus. 12. Meth. 3. Tanto magis ſi hu-
C mores, cordis putreſcant. Si igitur in cæteris febribus putridis aliquando intereunt ægrotantes aſcendente putredine in cor, aut ei quomodocunque communicata: non eſt proprium peſtilentis putredinem habere in corde. At dicet quis. Si ephemeræ calor incipere poteſt in corde, vt contingit ex ira, męrore, & cæteris animi motibus: atque aliquando Hectica ob eaſdẽ cauſas in corpore cordis excitatur: cur non & putrida in humoribus cordis primum excitari poſsit? Reſpondetur poſſe quidem ſanguinem cordis ſeu ſpiritus, aut ipſummet corpus incaleſcere prius quam cæteræ partes, eſt enim pars calidiſsima: at putreſcere prius nõ contingit. Fons enim caloris innati, quo omnes partes viuunt, & à putredine defenduntur, ſi putreſcat, vnde auxilium habebit? Cum igitur loco non differãt peſtilentes à cæteris putridis, alia erit ratio, qua diſtinguantur. Certum autem eſt peſtem morbum eſſe pernicioſum, qui vno tempore multos inuadit, ac veluti bellua mul

tos interimit, & ciuitates depaſcitur ob aeris mutationem in prauam D
qualitatem & venenoſam, vt Galenus deſcribit 1. Acut. 9. & de Ther.
ad Piſ. 16. Ratio igitur diſtinguens a cæteris, eſt venenoſa qualitas ex
aere contracta. Ideo numeratur inter epidemios, quia communis eſt
multis populis. Eſt enim peſtis epidemia pernicioſa: hoc autem con-
tingit ob qualitatem venenoſam. Eſt enim venenum tota ſubſtantia
animali inimicum. Appellatur quoque febris peſtilens ſine peſte.
1. Diff. fe. 3. cum non ex aere, ſed ex prauo victu ſimilis putredo con-
tingit, quæ nequaquam epidemia eſt, ſed inter morbos, qui ſparſim &
priuatim prehendunt ſporades apud hippocratem vocati. Sola igitur
venenoſitas ſeu ex aere, ſeu ex prauo victu contracta febres conſtituit
peſtilentes. Forte ex eodem genere fuerint cætera venena ſeu ictibus
ferarum illata, ſeu aſſumpta: pugnant enim omnia ſecundum totam
ſubſtantiam. Sed febres peſtilentes ab huiuſmodi venenis diſtinguun
tur: quia venenoſitas febris peſtilentis ex maligna quadam humorũ E
putredine oritur, ideo omnis inter calidos affectus eſt, putredo enim
à calore fit. Cætera autem venena, quamuis & ipſa putrefaciant, non
tamen putrida ſunt. Putrefaciunt enim vel quia exceſſu caloris cor-
rumpant partes, vt quæ corrodentia vocantur: vel quia frigore immo
dico extinguunt calidum innatum, vt obſtupefacientia, vnde ſequitur
partis corruptela, vt in gangrena: interficere etiam poſſunt abſque
putredine alia ratione. Quidam alio modo putredinem peſtilentem
diſtinguunt à venenis: quia illa contagioſa eſt, venena autem nequa-
quam. Ideo rationem formalem febris peſtilentis putant eſſe conta-
gium. At ſi per contagium accipiamus communicationem putredi-
nis ad partes propinquas, in omnibus febribus putridis erit contagiũ:
quæ enim putruerunt in corpore, niſi auferantur, contagio afficiunt
partes adiacentes. 2. Meth. 8. Et ſæpe venena paſſi veneno afficiunt, vt
rabidi. Si autem contagium intelligamus ad diſtantia: id neque om- F
nibus peſtilentibus ineſt, neque ſolis. Nam quæ ſparſim contingunt,
ex prauo victu, non omnes contagioſæ: Multi præterea alij morbi cõ
tagioſi ſunt, vt Phthiſis, lippitudo, dyſenteria. Ad conſtitutionẽ igi-
tur febris peſtilentis ſufficit putredo venenoſa: quæ & maligna dici-
tur, quia pernicioſa, licet non videatur magna. Diſtat enim morbus
magnus à maligno. 3. Criſ. 4. Malignitas enim & benignitas ad morem
morbi pertinet non ad magnitudinem. Nam aliquãdo debiles & par
uæ febres cum accidentibus periculoſis ſunt: contra vehementes ſę-
pe ſine periculo. Quamuis autem non videatur magna ſiue febris ſiue
putredo maligna ponitur tamen inter morbos magnos: tribus enim
modis magnus morbus dicitur, vel quia ſit vehemens, vel quia mali-
gnus, vel quia in principe parte. Conſiſtit autem venenoſitas in ſub-
ſtãtia adeo rebelli, vt vinci nequeat à natura, cui ſecundum totã ſub-
ſtantiam

A ſtantiam eſt inimica. Nullo enim modo concoqui poteſt: nam cæteræ putredines in pus aut quid ſimile puri conuertuntur: at tuberculi peſtilentes aut non ſuppurantur, aut in putredinem diuerſam à pure tranſeunt. 3. in 3. Epi. 24. Cum igitur ea quæ tota ſubſtantia inimica ſunt, vinci nequeant, ſiquidem inſignem aliquam qualitatem habeāt, vincunt corpus noſtrum & corrumpunt. Cum autem omnis qualitas corrumpens ad exceſſum primarum qualitatum reducatur, vt alibi à nobis oſtenditur: in putredine autem calor extraneus dominetur: neceſſe eſt in peſtilentibus vehementem eſſe caliditatem in materia rebelli. Quamuis non ſemper appareat exterius, cum deliteſcat in profundo. Poteſt & vehementior eſſe caliditas, ſed in materia non rebelli, vt in febre ardente, quæ minus periculoſa eſt, quia vinci à natura poteſt, vt piperis caliditas quamuis in ſummo ſit, non tamen enecat, quia facile extinguitur. At caliditas auripigmenti non extinguitur, ideo B eſt inter deleteria. Galenus id tribuit craſsitudini partiū. 4. Simpl. 19. Hinc non mirum peſtilentes febres, vt plurimum Hecticas eſſe, uſtione ad partes ſolidas perueniente. Calor enim putridus in craſſa materia exiſtēs profundius corrumpit, quam in tenui: vt carbo ignitus vrit magis quam flamma, licet flammæ calor diffundatur magis. Cæteræ igitur febres putridæ ſimiles ſunt flammis, at peſtilens carboni ignito. Dubitabit autem quis: non videri in materia craſſa conſiſtere peſtilentiam illam, quæ contagij ſemina in longinquum eiaculatur: craſſa enim materia grauis eſt, neque diffundi in aere poteſt. Si igitur perniciosior peſtilentia, quæ ex aere contrahitur, non conſiſtit in materia craſſa, multo minus mitiores peſtilentiæ. Aut igitur ſubſtantia venenoſa non ponenda eſt in craſsiori materia: aut contagium in longinquum non fit in grauiori peſtilentia, quod repugnat experientiæ. Reſpondetur, à putridis corporibus attolli etiam craſſa corpuſcula inſtar C fuliginis, quæ aerem fœtore inficiunt: nam & ſi grauia ſint, ab igne tamen eleuante redduntur leuia: vt argentum viuum quamquam grauiſsimum euolat tamen in igne. Perniciosior quoque eſt hæc peſtilentia, quia ob attenuationem illabitur profundius in corpora. At ſi per attenuationem mutaretur ſubſtantia, vis deleteria etiam deſtrueretur, vt patet in combuſtione: Quæ enim omnino combuſta ſunt, non retinent priſtinam naturam: quod eſt præcipuum remedium peſtilentiæ. Quemadmodum igitur fumus argenti viui naturam propriā non amiſit, ſic & euaporationes eorum, qui peſte correpti ſunt, venenoſæ exiſtunt. Corpuſcula vero hæc, quæ ſemina contagij vocātur, diutius ſeruant naturam ſuam: non enim facile in alienam ſubſtantiam mutantur: & corporibus quibus applicantur, adhærent pertinacius ob tenacitatem, quam ex putredine acquiſiuerunt. Eleuantur autem, vel ex corporibus putridis, vel è ſubterraneis. Aer enim in cauernis concluſus

ſus nec perſpirans,putredinem contrahit. Patet autem hunc eſſe craſ- D
ſiorem,nam faces in eo extinguuntur. Fieri poteſt,vt aliæ euaporatio
nes malignæ ex auripigmento,argento viuo,alijsque metallicis aerem
inficiant,cum è ſubterraneis eliciuntur,vt contingit in terræ motu ob
concuſsionem: aut in concurſu aſtrorum quorundam, vt Aſtrologi
animaduerterunt. Omnis autem metallica euaporatio craſsior eſt &
deleteria. Febres igitur peſtilentes ſola malignitate à cæteris putridis
diſtare, manifeſtum eſt.

Venena omnia exceſſu primarum qualitatum enecare.
Quæſt. XIII.

COLLIGITVR huius ſententiæ demonſtratio apud Galenum 3.Sim.18.& ſequentibus capitibus.Cum enim venena quædam ſint quantitate deleteria, quædam toto genere: E atque illa quidem frigiditate calorem extinguentia: hæc vero caliditate putrefacientia & erodentia: niſi exceſſerint, nequaquam interficient. Nec enim animal vllum interire poteſt, quin cor ab agendi munere ceſſet. At vero vt ceſſet,fieri nequit citra maximam intemperiẽ. Siquidem non ſimpliciter quam par eſt calidius aut frigidius moueri deſinet: eodem modo ſi modice ſiccum aut humidum euadat: minus enim ob haſce intemperies ſuo fungetur munere,cæterum motu non vacabit,priuſquam immenſam aut caliditatem,aut frigiditatem,aut reliquarum qualitatum aliquam acceperit. Hæc Galenus. Præterea vniuerſalius ſic patebit. Cum enim principia omnium generabilium & corruptibilium ſint quatuor primæ qualitates,ab ijſdem pendere omnem actionem & paſsionem neceſſe eſt 4.Meteo.cap.1.Cum igitur venena corruptiua ſint calidi innati, & tandem propriæ animalium temperiei,neceſſe eſt per qualitates primas agere, & eas non parum ſuperare ſed multum: Non enim corrumperent,ſed alterarent tãtum: huiuſmodi autem ponitur quartus gradus tãquam extremus frigidorum quidem,cum extinguit,calidorum autem cum vrit. 5.Simpl.vlt.Si igitur venenorum natura eſt corruptiua animalium, exceſſu alicuius primarum qualitatum id efficere neceſſe eſt. Patet quoque idem inductione. Nam ſi temperamentum cuiuſque deleterij tum frigidi, tum calidi perquiramus: omnia in quarto gradu ſeu frigidorum ſeu calidorum à veteribus conſtituta eſſe comperiemus. Deleteria enim frigida ponuntur opium,mandragoras,cicuta,hyoſcyamus,quorum frigiditas in extremo eſt, ideo obſtupefaciunt. Calida autem cantharides, aconitum,argentum viuum, auripigmentum, & alia multa, quorum omnium caliditas in extremo ponitur: ideo putrefacientia. Quæ autem interimant ſola ſiccitate, aut humiditate, non reperiuntur: non

enim

A enim hæ qualitates accedunt ad quartum gradum ſine auxilio actiuarum, vt notauit Gal. 5. Simpl. vlt. Quæ enim extreme exſiccant, etiam extreme calida ſunt. Forte humectantia neque ſola neque coniuncta cum actiuis in extremo reperire licet: humiditas enim medijs magis congruit quam extremis, vt patet in elementis. Ignis enim & terra grauium & leuium extrema, vtraque ſicca ſunt: aer & aqua humida, eademque media. Si aqua vehementius refrigeretur, congelaſcit & ſicca redditur: aer ſi vratur, ignis fit. Non igitur mirum, ſi in quarto gradu humida nulla reperiuntur: ſicca autem dantur quidem, ſed non ſine caliditate extrema. Genera igitur deleteriorum duo tantum relinquuntur, alia quidem calida alia vero frigida, vtraque in quarto gradu. Sed hæc ſententia magnam patitur difficultatem. Nam idem Galenus. 5. Simpl. 19. teſtatur eſſe inter deleteria, quæ tota eſſentia nobis contraria ſint: proinde ſi vel minimum eorum aſſumptum fuerit, om
B nino lædat neceſſe eſt: ceu dryopteris & pityocampe, & thapſia, & ſolanum manicum, & hydrargyros, & fungorum nonnulli, præterea ſaliua, & fel venenatorum animalium. Nam talia omnia, inquit, genere ſunt deleteria, non quantitate. Siue igitur quæcunque genere deleteria ſunt, tota ſubſtantia ſint nobis contraria, vt videtur innuere, ſiue quædam, vt multi putant: non omnia deleteria per primas qualitates enecant, ſed ſunt, quæ tota eſſentia agunt. Non enim idem eſt per qualitates agere, & tota eſſentia. Nam ibidem paulopoſt de ijs quæ cerebrum offendunt, inquit. Communiter vero vniuerſa duobus modis affligunt, læduntque: aut cum tota ſubſtantia ſunt contraria, aut cum vna duabusve qualitatibus temperaturam immutant. Idem colligere licet ex natura remediorum, quæ alexiteria vocantur, vt traditur. 5. Simpl. 18. Eſt enim duplex eorũ natura. Nam quædam alterant, quædam vero euacuant ex corpore patiente venenum. Alterant igitur, in
C quit, aut una qualitate, aut duarum coniugatione, aut denique tota ſubſtantia: Euacuant ſubſtantiæ ſimilitudine & caliditate ſubtilium partium. Si igitur inter alexiteria ſunt, quæ agunt tota ſubſtantia: ergo & inter venena eſſe oportet, quæ tota ſubſtantia enecant. Hinc orta eſt Auicennæ ſententia: Medicamenta venenoſa eſſe, quorum proprietas eſt enecare per qualitates, cum ad quartum gradũ perueniunt, vt euphorbium, opium. Venenum autem, quod tota ſui ſubſtantia mortificat, vt Napellus. Nam inquit. Medicina mortificatiua eſt illa, quæ corrumpit complexionem & ſubſtantiam ſpiritus cordis, aut per formam ipſius ſpecificam, ſicut venenum: aut per excellentiam alicuius qualitatis actiuæ, ſicut opium per frigiditatem, & euphorbium per caliditatem: Medicina autem, quæ proprie appellatur venenum, eſt illa quæ corrumpit complexionem ſpiritus per contrarietatẽ ſubſtantiæ ſpeciei ſuæ ad ſubſtantiam & ſpeciem ſpiritus, ſicut Napellus. Meſues

ſues omnia medicamēta duplici virtute donáta eſſe teſtatur, elementari quæ communis eſt, omne enim participat calido frigido humido & ſicco: altera cœleſti, quæ propria eſt cuiuſque ſpeciei, non quia tali temperamento conſtet, ſed quia ſupra temperamentum tali virtute cœlitus donata ſit mixtionem regulante. Huiuſmodi autem eſſe vim purgatiuam medicamentorum & alias multas; inter quas & venena & antidota reponuntur. Quoniam autem vulgo ignorantur eorū principia, idcirco proprietates occultas vocant, ad quas confugientes breui ſe extricant à quacumque difficultate quæ circa illas oritur. Videtur & Galenus proprietates occultas cōcedere 13. Meth. 6. vbi inquit. Eorum quæ contraria qualitate ſunt, methodus quæpiam eſt: eorum quæ tota ſubſtantia ſunt aduerſa, methodus non eſt, ſed omnia ſunt per experientiam inuenta: & 9. Simpl. 6. de lapidibus loquens, inquit: vires habent partim ſecundum totius ſubſtantiæ proprietatem, partim ſecundum qualitates effectrices: & paulo poſt inquit. Nunc ſane ſermo nobis eſto de illis, quæ ſecundum effectrices agunt qualitates, in quibus ſanè eſt & vtendi ratio ac methodus. Siquidem vt oſtendimus, facultates proprietatis quę totius ſubſtantiæ ratione inſunt, à methodo ac ratione alienæ ſunt, & per ſolam noſcuntur experientiam. Nam cur hic lapis tacto vulnere, vnde ſanguis prorumpit, curſum eius reprimat ac ſiſtat, haud nouimus, & quæ ſequuntur. Si igitur venena & antidota multa ſecundum proprietatem totius ſubſtantiæ agunt, merito eorum facultates occultæ ſecundum rationem dicendæ ſunt, cum per ſolam experientiam innoteſcant. Verum enimuero alibi refellit eorum opiniones, qui certo ſciri negarunt effectricum facultatū eſſentias in huiuſmodi operationibus, quales ſunt ſceptici philoſophi, & inter medicos empirici 1. Simpl. 1. Cum enim omnia corpora ex calido frigido humido & ſicco conſtent, ſtatuit has effectricum facultatum eſſentias tum in alijs omnibus tum in medicamentis. Et 5. Simpl. 2. inquit. Quiuis ex plebe & plerique idiotarum remedia ſecundum primas qualitates agentia inueniunt, at ſecundum reliquas nullus ex illis remedium perueſtigandum ſumit: tamquam vnumquodque eorum maius iam ſit, quam pro captu hominis plebei, ac ſciētiam requirat venerabiliorem: eam ſcientiam nuncupāt medicinam, & qui eam exercet, medicum. Et in fine eiuſdem capitis inquit. Primus doctrinæ modus empiricorum eſt proprius: ſecundus virum potiſsimum rationalem decet, quem proponit in eo libro exponendum. At in eo libro inter reliquas facultatęs, etiam de alexipharmacis & venenis & tādem ijs, quæ tota ſubſtantia agunt, rationes perquirit. Non ergo eorum vſus carebit omnino ratione ac methodo, ſequitur igitur, vti rationes has pro viribus aperiamus. Hieronimus Fracaſtorius acutiſsimus rerum occultarum indagator actiones à tota ſubſtantia interpretatur,

quæ

A quæ à forma proueniunt, hanc autem formam aliquando eſſe materialem, aliquando ſpiritualem: Spiritualem accipit, quæ à materiali per eius præſentiam producatur veluti ſoboles tenuior materiali: ideo eius ſimulachrum & ſpecies appellata eſt. Vim autem agendi in forma materiali magis ineſſe, mouendi autem in ſpirituali, vnde ferrum magnes attrahat: & alia multa admiranda fiant in natura. Sed quoniã apud peripateticos ſpecies formarum materialium non dantur niſi in anima: hæc enim ſola veluti locus eſt ſpecierum tum ſenſibilium tum intelligibilium, idcirco vim mouendi aut attrahendi non habent extra animam. Ponere autem in rebus externis huiuſmodi ſpecies ſeu formas ſpirituales, vt agant in anima, ſuperfluum eſt. Sufficiunt enim obiecta ad introducendas in ſpiritu animali ſuas ſpecies, cum in medio non ſpecies ſine materia recipiantur, ſed materiales: ſola enim anima ſuſceptiua eſt ſpecierum ſine materia. Nec in medio omnes natæ
B ſunt recipi, ſed colores tantum in diaphano: Sonus & odor in aere & aqua: at forma ſubſtantialis non ſic afficit medium. Formæ autem materiales ſiquidem ex mixtione primarum qualitatum conſurgunt, vt ſimilariũ corporũ, ſine huiuſmodi principijs agere aut pati nequeunt: vnde Galenus inferebat, facultatum eſſentias omnium medicamentorum in illis conſiſtere. Quod & Ariſtoteles 4. Meteo. comprobat, aſſerens actiones omnes & paſsiones ſimilarium, eſſe opera primarũ qualitatum, Diſsimilarium autem virtutes, vt organicarum partium, cum ab altero principio ortum ducant, ſcilicet ab anima: hæc autẽ pendeat ab intelligentia, merito diuiniores dicendæ ſunt, & tranſcendere primarum qualitatum vires. At in medicamentis non has quærimus, nõ enim agunt vt organica, aut animata. Ergo præter mixtionem non relinquitur in ipſis alia virtus. Videamus igitur quid Galenus intellexerit per virtutem à tota ſubſtantia. Explicat id ipſemet 4. Simpl. 15. vbi
C extollit organum guſtus, vtpote quod percipit ſpecies iuxta totarum ſubſtantiarum tum proprietatem tum alienitatem, quod peculiare atque eximium illi ineſt. Quid autem ſit ſecundũ totas ſubſtantias agere aut pati, in hunc modum explicat. Ex quatuor elemẽtis, inquit, particulatim corporibus omnibus conſtant generationes impares mixtura ac diuerſæ. Siquidem quædam ignis aliorumve elementorum in ſe plus continent, quædam aquæ: ſicut alia ſi fors ita tulit, terræ: nonnulla aeris. Ex huiuſmodi itaque imparitate proprietates corporum particularium ſunt perfectæ: Ex elementis quidem plantarum, ex his autem animalium, ſicut in libris de elementis demonſtratum eſt. Porrò tranſeunt quædam protinus in ſe ſe mutuo, non nulla vero mediantibus alijs, velut terra in triticum, hordeum, & alia id genus. Rurſus horum vnumquodque in carnem humanam, cum tamen ipſa terra vt caro fiat, ſit impoſsibile, eam videlicet quæ in medio eſt, mutationem

tranſi-

tranſiliendo. Attamen eorum,quæ in ſeſe mutuo tranſeunt,quędam D promptā celeremque,quædam diuturnam alterationem obtinent. At quæ ſimilitudinibus propinqua ſunt,celerem,quæ verò remotiora,tar diorem. Oportebat vtique innaſci animantibus organum,quod natu ræ ſimilitudines ac diſsimilitudines diſcernendi poteſtate polleret, quod agnoſcens rerum naturas familiaria quidem eligeret, aliena verò reſpueret. Eiuſmodi ergo lingua eſt,quæ exhuberanti ſenſu non ca lida modo frigidaque humida atque ſicca, ſed etiam quæ familiaria quæque non familiaria ſunt, agnoſcit. Hactenus Galenus. Ex his patet,proprietates ſecundum totam ſubſtantiā non magis in forma conſiſtere,quam in materia,imò magis in materia. Familiare enim aut alienum ideo dicitur, quia aut facile aut difficile tranſeat in naturam noſtri corporis: hoc autem contingit ob varias materiæ conditiones. Terra enim & metallica alieniſsima ſunt humanę naturæ,cum à calore inſito conuerti nequeant. Triticum, hordeum, & reliqua cibaria ideo E familiaria, quia eorum materia abſque difficultate tranſit in ſubſtantiam noſtri corporis. Differentiæ autem hæ contingunt partim ob variam elementorum mixtionem,partim ob eorundem varias conditiones: quo enim craſsiora ſunt & grauiora, eo difficilius vincuntur, vt metallica: quo etiam leuiora ac tenuiora, eo facilius: quod enim nutrit leue eſt,cuiuſmodi eſt dulce:ſalſum autem & amarum propter grauitatem relinquitur, de ſen. & ſenſib. cap. 4. Eandem ſententiam colligere licet 3. de tempe. cap. 4. vbi inquit: Atque hæc quidem totis ipſorum alteratis ſubſtantijs nutrimēta ſe alterantium ſunt: Quæ vero vna qualibet qualitate alterantur ac mutantur, ea medicamenta tantum ſunt. Medicamenta itidem ſunt, & quæ nulla ſubſtantiæ ſuæ mutata parte,ſed tota ſeruata integra corpus ipſum afficiunt: cæterum grauia ac naturā animalis corrumpentia: vnde & totum eorum genus deleterion & peſtilens dici reor. Et paulo mox inquit. Iudicanda eſſe de- F leteria totius naturæ ſuæ contrarietate: porrò iudicabitur ex ea, quæ media intercedit mutatione, verbi gratia in elementis neque aqua mutari poteſt in ignem, neque ignis in aquam, ſed ambo in aerem: is vero in vtraque: at illa in alterutrum nullo modo: Ergo continens & ſine medio eſt aquæ mutatio in aerem, itemque ignis: non continens ignis & aquæ in alterutrum. Hæc igitur inter ſe contraria pugnantiaque ſunt. Nō diſsimili ratione papaueris ſuccus hominis corpori prorſus eſt contrarius, vt quod in eum quicquā agere ne vna quidem qualitate poſsit, multo minus tota ſua ſubſtantia poſsit. Atque vnum quidem deleteriorum genus eiuſmodi eſt. Alterum eſt eorum, quæ ex noſtro calore momentum aliquod mutationis accipiunt, ac deinde in multifarias alterationes vertūtur, quibus corrumpi naturam noſtram accidit. Eiuſmodi enim omnia deleteria genere ſunt, etiam ſi propter

exigui-

A exiguitatem non nunquam nihil quod ſentiatur, efficiant. Ac quæ corporis naturam rodunt, putrefaciunt & liquant: merito poteſtate calida nuncupantur: contra quæ refrigerant & ſenſum auferunt, torporemque notabilem afferũt, frigida. Et paulo poſt addit: Ac talium quidem omnium natura hominibus maxime eſt contraria (ſanè naturam, cum dico, vniuerſam ſubſtantiam ac temperiem, quæ ex primis elementis conflatur, ſignifico: calido, frigido, humido, ſicco.) Eorum vero quæ celerrime nutriunt, conuenientiſsima: reliqua omnia media inter hæc ſunt, quorum alia magis alia minus agere ac pati à noſtro corpore poſſunt: & quæ ſequuntur. Ex his patet, contrarietatem ſecundum totam ſubſtantiam, non ſignificare formam mixti, ſubſtãtia enim non eſt contraria: ſed materiæ conditiones, quæ omnimodam habent contrarietatem cum corpore humano, vt inter elementa contingit ijs, quæ ſymbolum non habent: in ijs enim aut non eſt tranſitus, aut admodum difficilis: Familiaritatem autem ſeu ſimilitudinem
B totius ſubſtantiæ eſſe ſymbolam qualitatem: in quibus enim hæc eſt, facilis eſt tranſitus. Nutrimenta igitur aliquod ſymbolum habent cũ natura noſtra, hæc autem eſt ſimilitudo & familiaritas, vt dulcedo. Deleteria omnimodam habent contrarietatem. Reliqua medicamenta medio modo ſe habent. Patet etiam proprietates has, quæ ſecundum totam ſubſtantiam dicuntur, non eſſe occultas, vt vocant, licet ſolo experimento inueniantur. Nam & ignem vrere non aliter quam experimento didicimus: ſimili modo virtutes omnes medicamentorum initio ſunt inuentæ. Ratione autem colligimus principium vrendi à caliditate ſumma oriri. Sic deleteria enecare, experimẽto compertum eſt, ratione autem colligimus exceſſu alicuius primarum qualitatum id efficere. Sed apud eos, qui huiuſmodi exceſſus negant, fugit profecto principium. Ideo ad qualitates occultas confugiunt, quas putant
C Galenum innuiſſe 5. Simpl. 18. vbi manifeſtam appellat vtilitatem aduerſus venena, quæ prouenit ex contrarietate qualitatum primarum, quaſi qualitates hæ manifeſtæ ſint, occultæ autem quæ à tota ſubſtantia. At inibi non dicit occultas eſſe quæ à tota ſubſtantia: ſed oppoſitum, non obſcuram eſſe alterationem, quæ fit à tota ſubſtantia. Relinquitur igitur vt obiecta ſoluamus. Quod dicebat Galenus, proprietates totius ſubſtantiæ à methodo ac ratione alienas eſſe, ignorata ſcilicet cauſa: animaduertere oportet. In omnibus quæ agunt & patiuntur duo eſſe, nempe contrarietatẽ & ſimilitudinem 1. de Gen. & corr. tex. 50. Ratione quidem contrarietatis agẽtem facultatem ineſſe, quæ cõſiſtit in primis qualitatibus: ratione autem ſimilitudinis materiam, quæ patitur. Simili modo habere neceſſe eſt & in ijs, quæ dicuntur à tota ſubſtantia agere. Nam ratione materiæ fit, ut quædam à quibuſdam patiantur, quædam non: aut quædam facilius, quædam difficilius:

lius: in quibus enim magis eſt ſimilitudo, facilius patiuntur,in quibus D
minus, difficilius: vt pinguia facillime ab igne comburuntur, aquea difficulter: & oleorum genera cum reſinis facile miſcentur, & inuicē patiuntur: liquores aquei cum generibus gummi: contra autem nec reſinæ cum liquoribus aqueis, nec gummi cum oleis miſceri contingit, niſi maxima cum difficultate. Accidunt autem hæc omnia, non quia calida aut frigida, aut humida aut ſicca: ſed propter quaſdā conditiones materiæ, vt leuitatem grauitatem, craſsitiem tenuitatem, aliaque huiuſmodi: ob id enim aqua cum terra conuenit, aer cum igne: craſſa cum craſsis: tenuia cum tenuibus: grauia cum grauibus: leuia cum leuibus. Hinc ſympathiæ & antipathiæ appellatæ: vt ſpiritus magis ab aere & igne & odoribus afficiuntur: humores & ſolida à craſsioribus: Hinc purgantia medicamenta diuerſa diuerſos humores trahunt: ſcilicet ob affinitatem quandam materiæ, qua facile vniuntur, vt magnes cum ferro: non ob ſimilitudinem ſecundum formam, vt E
vulgo creditur: proprietates enim ſpecificæ ſoli conueniunt. At flauā bilem nō ſolum trahit rhabarbarum, ſed & ſcammoniū & multa alia. Electrum non ſolum paleas trahit, ſed & pilos & ſtamina quæque minuta & floccos: nec id ſolum electrum efficit, ſed & pleræque gemmæ, vt adamas. Neque magnes ſolum ferrum trahit, ſed & magnetis ramenta. Idem aliquando facit ipſum ferrum abſque magnetis infectione: nam & ferrum trahit & magnetem, vt oſtendimus in peripateticis theorematibus. Actio autem attractionis non à ſimilitudine fit, ſed à caliditate quadam adiuuante tamen propenſione materiæ, quæ in ſimilitudine conſiſtit. Electrum enim per attritionem calfactum trahit magis. Gemmæ quoque niſi prius per frictionem incaleſcant, non attrahunt. Magnes poſt concuſsionem efficacius trahit, & ſenſui patent eius corpuſcula egredientia quæ inſtar lanuginis illi inhærent. Ferrum tunc vim trahendi adeptum eſt, cum aliud ferrum ſcalpendo F
colliſu vim ſimilem magneti contraxit, vt patet in ſcalpellis, quibus fabri armamenta celant. Hanc ſententiam de attractione ſimilium non fieri ſine caliditate quadam Galenus teſtatur 5. Simpl. 17. Sic enim partes noſtri corporis trahunt alimentum ſibi familiare: & medicamenta purgantia peculiares humores: & quædam alexiteria virus venenatū. Nam, inquit, inter ea, quæ eſſentijs ſimilia ſunt, quod calidius eſt, id potentius attrahit, vtpote quod ſimilitudini adiunxerit calorem. His ſtantibus facile eſt propoſitam dubitationem diluere. Nam & ſi actiones omnes proueniant à qualitatibus primis, quæ notæ ſunt, & methodo ac ratione tractari poſſunt. Sympathiæ tamē & antipathiæ methodo minus indagari poſſunt, cum ſimilitudines & diſsimilitudines, quę materiæ inſunt, minus pateant, ſed ſola experientia habeantur: vt in propoſito exemplo apud Galenum. Hiaſpis viridis tactu vulneris ſanguinem

A guinem ſiſtit: alij lapides & ſi frigidi repellere poſsint aut aſtringere: tamen ſympathia quædam eſt cum ſanguine in Hiaſpide viridi, cui ſanguineæ guttæ ſunt, quæ non ineſt in cæteris lapidibus. Sanguineus quoque color eſt in lachryma quæ ſanguis draconis appellatur, & in hæmatite lapide, quibus uis ineſt ſiſtendi ſanguinem. Natura enim ipſa aliquando ſympathias commoſtrat ſignis quibuſdam, tanquam intelligentia quadam gubernante: vnde Meſues celitus pendere dixit. Sed actio ſiſtendi ſanguinem non in colore ſanguineo, nec in ſimilitudine ſubſtantiæ, ſed potius in facultate repulſoria & aſtringente conſiſtit ratione frigiditatis. Neque tamen omnia repellentia & aſtringentia id efficiunt, ſed potiſsimum ea quæ ſympathiam habent cum ſanguine. Simili modo & in cæteris dicendum. Medicamentorum enim quædam vnam particulam magis quam alteram reſpiciunt ob prædictam familiaritatem: vnde quædam ſtomachica, quædam hepatica,
B quædam cephalica, quædam cordialia appellantur, prout has partes magis afficere apta nata ſunt: afficiunt autem omnia qualitatibus primis. Altera dubitatio erat; ſi non idem eſt ſecundum totam ſubſtantiam agere, & ſecundum qualitates: non videtur actio, quæ fit à tota ſubſtantia, reduci poſſe ad qualitates. Eadem diſtinctione patet ſolutio. Nam materiæ non tribuitur proprie actio, ſed paſsio, quamuis & pati aliquãdo agere dicimus, vt cum grauitatem & leuitatem dicimus mouere ſurſum & deorſum, cum potius grauitas & leuitas ſint principia patiendi 8. Phy. 32. Similiter cum dicimus venena à tota ſubſtantia enecare, & alexiteria ſecundum totam ſubſtantiam venenis reſiſtere: intelligimus materiæ propenſionem ob ſimilitudinem vel diſsimilitudinem cum corpore animalium, ſecundum quam effectiuæ qualitates agunt vel non agunt, facilius vel difficilius. Alioqui cogeremur fateri dari morbos ſimilarium partium, qui non cõſiſtant in intemperie, ſed
C in tota ſubſtantia. Si enim deleteria ſecundum totam ſubſtantiam, nõ ſecundum qualitates primas corpora animalium afficiant, affectio hęc præter naturam & maxime exitialis non continebitur inter morbos ſimilarium partium: minus inter organicos aut communes: Sed eo modo dicentibus nulla eſt difficultas. Vt enim in omnibus alijs affectionibus duo principia ſunt neceſſaria, vnum agendi, alterum patiendi: ſic in actione medicamentorũ ſimilitudo & diſsimilitudo ſubſtantiæ impetum naturalem tribuit, qualitates autem primæ actionem. Quamuis autem vtraque principia in omnibus neceſſaria ſint, tamen aliquando fit, vt tota actio tribuatur principio patiendi, vt in motibus naturalibus: aliquando principio actiuo, vt in artificialibus & violentis. Sæpe enim impetus naturalis plus confert, quam agens, aliquando è conuerſo. Hinc fit vt in operationibus medicamentorum aliquando tribuamus cauſam qualitatibus effectiuis, aliquando toti ſubſtan-

tiæ. Vt ſcammonium trahit flauam bilem non quia calidum, quamuis D
non ſine caliditate fiat attractio, ſed quia tale, vt dicebat Meſues: ideſt
ob impetum naturalem & familiaritatem, quam Medici appellant totam
ſubſtantiam: nam alia æque calida non attrahunt, in quibus non
eſt huiuſmodi impetus naturalis. Medicamenta autem quæ ſimpliciter
attrahentia dicuntur, vt propolis, fermẽtum, fimi genera ob ſolam
caliditatem tenuium partium id efficiunt. Simili modo inter ea quæ
enecant, quædam ſolo exceſſu primarum qualitatum, id prçſtant, quædam
à tota ſubſtantia. Non dicuntur autem à Galeno deleteria, ideſt,
venena, niſi quæ à tota ſubſtantia interficiunt. Auicenna illa quidem
venenoſa vocat, hæc venena. Controuerſia tamen quædam eſt de obſtupefacientibus,
quæ ab Auicennam ponuntur nõ inter venena, ſed
venenoſa: Galenus autem inter deleteria quantitate. Quatenus enim
vinci poſſunt, quando in parua quantitate ſumuntur, videntur effugiſſe
genus deleterij. Quatenus autem eorum materia in maiori quantitate
non vincitur, ponuntur inter deleteria quantitate: ea præſertim E
quæ dum alterantur à corpore noſtro, in prauam qualitatem mutantur:
vt hyoſcyamus, cicuta, ſolanum manicum; quæ ob prauam euaporationem
mẽtem lædunt, & ſi amplius ſumantur, interficiunt. Non
ſic piperis natura & reliquorum, quæ effugiſſe genus deleterij Galenus
teſtatur, quia eorum materia ob familiaritatem ac tenuitatem cito
euincitur, vnde exceſſus tollitur. Scribit enim 4. de tuen. ſan. cap. 6.
eius caliditatem non pertranſire hepar, cum extinguatur in primis venis.
At cantharis ob craſsitiem ſubſtantiæ tardius accenditur, vt prius
ad renes & ueſicam penetrauerit, quam ſuam igneam qualitatem aſſumpſerit,
ideo illas partes inflammat, & exulcerat 4. Simpl. 19. Differunt
igitur deleteria à non deleterijs tota ſubſtantia ideſt materia aliena
à natura humana: agunt autem omnia primis qualitatibus, diuerſimode
autem ob materiæ diuerſitatem. Quod autem Auicenna F
id non materiæ ſed formæ ſpecificæ tribuerit, ſi ſano modo accipiatur,
nequaquam reprehendendus eſt. Cum enim materiam ſimilem
aut diſsimilem dicimus, non de materia prima accipiendum eſt: hæc
enim non magis hanc quam illam formam reſpicit: ſed ſingulorum
materiam vniuſcuiuſque peculiarem, quæ diuerſas habet cõditiones,
vt diuerſæ ſunt formæ. Vt igitur totam diſputationem contrahamus,
dicimus. Quatuor materias apud Galenum enumerari, quæ agunt à
tota ſubſtantia. 6. in 6. Epid. 5. Medicamenta purgantia: alimenta: venena,
quæ Hippocrates vocat malefica: quarto loco eorum remedia
alexiteria appellata. Inter hæc alimenta quidem tota ſubſtantia nobis
familiari conſtant: Reliqua tria aduerſantur naturæ noſtræ maxime
quidem venena, minus reliqua duo, ideo inter deleteria aliquando recenſentur,
nam ſaltem quantitate exhuberante interficiunt. Nam re-

pertum

A pertum eſt caſsiam mitiſsimum omnium medicamẽtum pluribus diebus aſſumptam adeo relaxaſſe virtutem contentiuam, vt ad necem du xerit. De alexipharmacis teſtatur Galenus, ſi pluſculum eorum aſſumatur quam conuenit, lædere vt venena: mediam enim natura m habent inter venenum & corpus: ſi quidem eorum materia ſimili modo aliena eſt à natura corporis, vt venena: non enim vincuntur: ſed non excedunt in qualitatibus effectiuis, ideo eſſent enim venena: ſed temperamento accedunt ad naturam corporis, vt terra lemnia, armenia, lapis bezahar, aurum, argentum. Et quædam inter venena ſi certo modo eorum exceſſus caſtigentur præparatione aut mixtione, fiunt alexiteria, vt patet in Theriacæ confectione. de Ther. ad Piſ. 16. Sunt & inter alexiteria, quæ tota quidem ſubſtantia conueniant cum corpore, vinci enim à calore natiuo poſſunt, ſed qualitatibus excedunt, vt venena, aut vehementer calida, vt allium, aut frigida, vt lactuca: his enim

B pugnant aduerſus venena non tota ſubſtantia. Quæ autem materiam habent familiarem & temperamentum non multum recedens à medio, inepta ſunt: vt enim facile vincuntur à corpore, ſic quoque à venenis. Celebrantur tamen & multa ex his apud Dioſcoridem & cæteros medicos aduerſus venena, vel quia ob ſymbolam qualitatem cum illis vniantur, & attrahant: vel contemperent, malefica autem ſeu genere ſeu quantitate deleteria ſint, non vno modo enecant: omnia tamen ſubſtantia conſtant inimica corpori. Pugnant autem aut primis qualitatibus excedentibus, aut ſecundis. Obſtupefacientia enim ſumma frigiditate, vt opium. Erodentia autem ſumma caliditate, vt argentum uiuum. Secundis qualitatibus enecant, quæ indurantur in ventriculo & venas claudunt, vnde ſuffocatio oritur, quod facit ſanguis Taurinus recens: gipſum. Calx viua utroque modo & caliditate urente, & ſubſtantia lapideſcente: hæmorrhuis ſerpens relaxando & oſcula ve

C narum aperiendo, vnde ſanguinis profuſio vſque ad necem. Sic medicamenta quædam purgantia malefica enecant. Putrefacientia pluribus modis contingunt. Nam extreme frigida per accidens putrefaciunt, deſtructo calido innato & parte mortificata, ad quæ ſubſequitur putredo. Extreme calida non tamen ſiccantia proprie putrefacientia dicuntur. Nam quæ etiam ſiccant, vrentia ſunt, vt ignis: licet & hæc putrefacientia appellentur, vt Arſenicum. Humida quoque putrefaciunt humiditatem aqueam tribuendo putredini obnoxiam: nã hæc à quocunque calore putredinem concipiunt: putrefacta autem per contagium reliqua putrefaciunt. Sunt quæ enecant repletione pręcipue capitis: vt vinum larga copia aſſumptum, crocum, ſtyrax, quamuis materie non ſit per ſe deleteria, ſed ſola quãtitate. Sed omnia prædicta lædere aut iuuare corpus noſtrum agentibus primis qualitatibus manifeſtum eſt: ſecundæ enim qualitates aut tertiæ ſine primis non

agunt. Cum autem qualitates quædam actu, quædam poteſtate ſint: D actu quæ quamprimum agunt, cum tetigerint: poteſtate, quæ egent prius vt reducantur ad actum: in vtroque genere venena reperiuntur. Actu quidem in aere peſtilenti & corporibus putridis, & quibuſcunque euaporationibus malignis, & animalibus pleriſque venenum eiaculantibus aut ictu, aut ſaliua, aut vapore, quamprimum enim afficiũt & corrumpunt: excepto cane rabido, cuius uirus aliquando per plures menſes deliteſcit. Aquæ frigidæ potio recenſetur inter mortifera à Dioſcoride, quia ſumma frigiditate actu exiſtente interficit, cum tamen materia facillima ſit alteratu. Poteſtate autem ſunt pleraque tum venena quæ aſſumuntur, tum alexiteria calida vel frigida humida aut ſicca. Quomodo igitur facultates deleteriæ & alexiteriæ & quæ à tota ſubſtantia dicuntur, ſecundum primas qualitates agant, nec in omnibus ſint obſcuræ, vnde Methodus, & curandi ratio peti poteſt, explicatũ eſt. Hinc enim maxima vtilitas accedit Medico rationali, quem E non pigeat vires medicamentorum & cauſas inueſtigare: quique non empiricorum more ſoli experientiæ innitatur, ſed & rationem adiungat, vt Galenus monet, de Ther. ad Piſ. 10. Poſitis enim proprietatibus occultis tollitur ars componendi antidota, & caſtigandi medicamentorum malignitatem, quam præcipue in medicamentis purgantibus quærimus.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI, QVAESTIONVM MEDICARVM LIBER SECVNDVS.

Non omnem putredinem à prohibita ventilatione fieri. *Quæſtio* I.

VVLGATA eſt ſententia fermè omnium medicorum: non fieri putredinem in animali abſque prohibita ventilatione: propter quam cauſam in omnibus febribus putridis ſtudent obſtructa ſeu aſtricta aperire, vt libera fiat perſpiratio. Colligunt autem hanc ſententiam ex Gal. 2. Meth. 4. vbi de ſynocha loquens teſtatur, ea tantum corpora putreſcere, quæ cum calida & humida ſint, neque perflata neque ventilata in loco calido & humido continentur. Quod ſi perflentur, impediri ne putreſcant, præſertim in iis, quæ ſua natura reguntur, vt ſunt animalia & plantæ. Et 1. de diff. fe. 3. inquit. Vbi plenum corpus fuerit ex prauis ſuccis, ſed nulla obſtructio aut cutis conſtipatio, ſanitate fruitur animal: at ſi contingat conſtringi cutem, aut interna obſtrui, febrire eſt
C neceſſe. Adeo perſuaſit hæc ſententia, vt multa quidem ſalutaria remedia fieri prohibeat circa ægrotantes, & pro iis ſæpe noxia adminiſtrentur, præſertim in febribus ardentibus & malignis, vnde multi intereant. Nam primo apertiſsime oppoſitum ſcribitur à Gal. 2. in primum Epid. 20. vbi inquit. Febres ardentes non originem trahere ex bilioſis retentis excrementis vt tertianæ: fiunt enim hæ impeditis ſpiraculis. At ardentes ex calore in vaſis & viſceribus aucto ab inflammato ſtatu præter modum calido, quomodo in iis fit, qui ſe plus ſatis exercitauerunt, aut in magnopere ſollicitis, aut qui multum apricati ſunt, aut cibis adurentibus ſunt uſi liberalius, aut qui de his plurima vel omnia fecerunt & paſsi ſunt. Præterea contagia rerum putridarum, ut in peſte & in reliĉtis putridis humoribus putredinem excitare apta nata ſunt 2. diff. fe. 2. Amplius omnis caliditas præter naturã in prauis humoribus putredinem accendit. Quin & ſanguis quamuis probus ſit,

à quacũque externâ caliditate putrefieri poteſt.2.diff.fe.9. vbi inquit. D
Calor externus ſanguinem opprimit & in Solis deuſtionibus & in peſtilenti aeris ſtatu,atque vt ſimpliciter dicam,in febribus vniuerſis qua cumque ex cauſa originem traxerint. Numerat autem idem Galenus quinque cauſas, quibus caliditas præter naturam fit in animali 1.diff. fe.3.& de cau.morb.2.inter quas vna eſt retentio calidi effluxus, ideſt prohibita tranſpiratio, quæ fit obſtructis aut aſtrictis meatibus 2. dif. fe.9. Quid igitur clarius dici poteſt? Cur ad vnam cauſam coarctetur putredo? Nonne & caliditas Ephemeræ, ſæpe putridas febres accendit? 1.diff.fe.7.inquit:Quando materia praua immoderatum calorem acceperit ab Ephemera,hinc principium putreſcendi. Poſſumus quoque hanc veritatem colligere ex natura putredinis. Si enim eſt corruptio propriæ & naturalis caliditatis in vnoquoque humido ab aliena caliditate 4.Meteo.cap.1.quæcumque caliditas aliena in humido putrefactiua erit. Interpretatur enim Galenus alienam caliditatem ſeu E
externam,omnem caliditatem, quæ non inſita eſt neque natiua 2.dif. fe.9.nam hæc coquere apta eſt, externa autem corrumpere, quod eſt putrefacere. Cum igitur hęc ita habeant, dicemus ne Galenum incon ſtantem eſſe? cum alibi ponat ſolam prohibitam ventilationem putre dinem efficere? Num ſoluemus difficultatem in hunc modum,vt videtur innui.11.Meth.4. Fieri quidem putredinem à quacumque caliditate extranea in humido: comitari tamen in animalibus etiam prohibitam ventilationem tamquam pręcipuam & maxime neceſſariam. Si enim hæc nõ impediretur,defenderentur à putredine quacumque cauſa infeſtante. Inditum enim eſt naturæ animalium, vt excrementa expellant, & continuo motu per pulſum & reſpirationem perflatio & ventilatio corporis fiat ad tutelam caloris natiui. Siue igitur ab æſtu dierum canicularium, aut à motu, aut excandeſcentia, aut alijs cauſis calefacientibus incendatur animal, non tamen orietur putredo, niſi F
prohibeantur dictæ tranſpirationes. Indicio ſunt, quia ab illis cauſis non omnes corripiuntur febribus putridis: non enim in omnibus pro hibetur tranſpiratio. Concinnas quidem reſponſio,non tamen omnino vera. Nam dictum eſt,febrem ardentem non ob retentionem excrementorũ, neque ob ſpiracula impedita oriri,ſed à vehementi æſtu & reliquis cauſis. Idem dicendum de contagio: nõ enim aer peſtilens inſpiratus aut quodcumque putridum occludendo putrefacit, ſed ſolo contactu. Quamuis igitur concedamus præcipuam in animalibus non in reliquis corporibus cauſam putredinis eſſe ventilationem impeditam,non tamen dicere poſſumus neceſſariam: contingit enim ſine hac oriri putredinem non ſolum in cæteris corporibus, quæ non reguntur ab huiuſmodi facultate,ſed & in animalibus,calor enim præ ter naturam nõ ſolum hoc modo inducitur. Concedunt quidam hęc

omnia,

A omnia,vt tamen Galenum defendant,inquiunt. Prohibitam ventilationem ſaltem comitari omnes febres putridas: quia pori non ſufficiunt ad efflationē putridæ fuliginis,quæ in huiuſmodi febribus contingit,quamuis ſecundum naturam ſe habeant: maior enim eſt copia fuliginis quæ gignitur ob febrem & putredinem, quam ſit ſpiraculorum capacitas. Verum & ſi hæc admittamus,non ſatisfacimus difficultati. Nam huiuſmodi impedita ventilatio tamquam inſequens ponitur ad febrem putridam vt reliqua ſymptomata, non vt cauſa putredinis,vt vult Galenus.An ſi recte perpendamus Galeni verba.11.Meth. 4. nequaquam aduerſantur veritati, quam alibi aperuit? Loquitur enim de ea putredine,in qua manet cauſa,quæ excitauit, affirmans nō inhiberi poſſe putredinem cauſa manente. Manere autem aliquando cauſam, aliquando non, inferius teſtatus eſt cap.7.& 8. At inter cauſas,quæ ab initio putredinem excitant, nulla alia relinquitur in ægro-
B tante permanens,quæ proprio egeat auxilio, quam pororum aſtrictio aut obſtructio,vnde prohibetur ventilatio,quæ neceſſaria eſt ad inhibendam omnem putredinem. In altero autem loco 1.diff.ſe.3. non ſimpliciter inquit, eum qui plenus fuerit prauis humoribus abſque vlla obſtructione & denſatione,ſanitate frui,ſed momentanea:quaſi facillime à quacumque cauſa poſſit corripi. Si vero adiungatur aliqua obſtructio aut cutis denſatio,iam ex neceſſitate febricitabit:nā quamdiu libera erat perſpiratio,defendi poterat à putredine:non tamen impoſsibile erat putreſcere. Quod autem non omnes ex eiſdem cauſis corripiantur febribus,non ſolum in pororum diſpoſitione contingit, ſed & in cæteris cauſis pro magnitudine & perſeuerantia: & pro humorum aptitudine, ac robore corporis, vt optime tradit Galenus de cau.mor. cap.2. Sed propter obſtinatos, qui mordicus tueri nituntur ſententias,quas ſemel probauerint,iterum aduerſus ea quę dicta ſunt,
C dubitabimus. Primo non videtur vindicari Galenus à mendacio,non enim ſola impedita perſpiratio eſt inter cauſas permanentes; Nam aliquando remanent partium inflammationes, aut humores putrefacti, qui fouent huiuſmodi febres: & forte aliæ multæ diſpoſitiones,vt imbecillitates partium, & aliquando ſolus odor relictus ex præcedente putredine alios humores putrefacere poteſt,vt teſtatur Galenus 2.dif. ſe.2.Secundo patet ex remedijs. In omni enim putredine requiri hæc duo remedia tradit Galenus 2. Meth.5. vt ſcilicet quod corruptū eſt, euacuetur: alterum,vt quod reliquum eſt moderatis motibus & refrigerante perſpiratu ad exactam ſymmetriam reducatur. Ergo in omni putredine eſt impedita perſpiratio, ſi contraria contrariorum ſunt remedia. Ad certiorem igitur euidentiam animaduertere oportet:quid perſpiratio libera & impedita præſtent in animalibus. Explicat hæc Galenus in lib.de Cau.mor.cap.3.vbi tradit,moderatam perſpirationem

tueri calidum innatum: impeditam vehementer extinctionem facere D
per ſuffocationem : ſin minus, per eam coaceruari multa vaporoſa ex-
crementa, vnde plethorica diſpoſitio tantum oritur, ſi in quiete degat
animal: aut fumoſa, vnde corpus accenditur, & febres fiunt. Immode
ratam autem perſpirationem, quæ fit aut ob laxitatem pororum, aut
ſuccorum tenuitatem, refrigerare aut etiam extinguere calidum inna
tum, quia diſperditur eius ſubſtantia. His ſtantibus patet, ad tutelam
calidi innati requiri continue moderatam perſpirationem: Idcirco &
in omni putredine, vtpote quæ deſtruit calidum innatũ, defendi mo-
derata perſpiratione refrigerante: eſt enim hoc vnum ex remedijs ad
omnem putredinem requiſitis. At hoc non eſt cauſæ proſpicere, ſed
ipſimet putredini, vt putredo eſt. Non ergo bene infertur, impeditam
perſpirationem cauſam eſſe omnis putredinis ex remedio. Quando
autem hæc fit cauſa putredinis, non per ſe videtur putredinem facere,
ſed interuentu caloris extranei ob retentionem calidi effluxus: per ac- E
cidens igitur, nam retenta materia vaporoſa, non ob id fit putredo, ſed
tãtum plethorica diſpoſitio, niſi aliter incaleſcat, vt motu: At ſeparata
huiuſmodi cauſa, quæ per accidens agit, remanente cauſa per ſe non
tollitur generatio putredinis: non ergo neceſſaria eſt pororum obſtru
ctio aut aſtrictio ad putredinem gignendam, cum à caliditate extra-
nea ſemper fiat, quæ pluribus modis abſque pororum clauſione oriri
poteſt. Quod autem dicebatur, non hanc ſolam cauſam permanen-
tem eſſe, ſcilicet meatuum occluſionem, cũ aliæ cauſæ fouere poſſint
putredinem & febrem: conceditur quidem, nam inter quinque mo-
dos, quibus caliditas præter naturam inducitur, duo tantum videntur
apti nati permanere, occluſio meatuum, & putredo: nam motus, &
rei calidæ contactus ſiue extra ex ſole, balneis, & ſimilibus, ſiue intus
per cibos & potus ac medicamenta, cauſæ ſunt procatarcticæ non per-
manentes. Putredo autem inter cauſas permanentes eſt: at remedia F
eius non tamquam ad cauſam, ſed tamquam ad ipſum effectum tri-
buuntur: accidit enim vt eiuſdem rationis ſit in his, putredo & cauſa.
Quod enim per putredinem corruptum eſt, alia putrefacit contagio:
idcirco eadem remedia conueniunt, vt ſcilicet quod corruptum eſt,
euacuetur: quod nondum corruptum refrigeretur, ventileturque.
Relinquitur igitur ſola meatuum obſtructio & aſtrictio inter cauſas
permanentes alterius rationis à putredine, quæ & in partibus inflam-
matis reperitur. Si quæ autem aliæ affectiones permaneant, quæ mul-
tæ eſſe poſſunt, ad putredinem facientes, non vt cauſæ ſunt efficientes
calorem præter naturam, ſed pertinentes ad materiam & præparatio-
nem: vt ſuccorum prauitas: humiditas: corporis imbecillitas, qua nõ
expelluntur excrementa, neque concoquuntur: putreſcunt igitur, cũ
in loco calido manent non dominante calore natiuo. Concludere

A igitur manifeſte poſſumus ad omnem putredinem requiri ventilationem ad defenſionem calidi innati: non in omnibus requiri deobſtruentia aut aperientia: quia clauſio meatuum non in omnibus ineſt. At inſtabit quis: Si in omni putredine ventilatio remedium eſt, in omnibus igitur putreſcentibus erit impedita ventilatio: quomodo autem impedietur ſine clauſione meatuum? Amplius ex remedijs idem patet. Nam 11.Meth.cap.9.per vſum rarefacientium promouet excretiones putridorum à toto corpore per oleum chamæmelinum & balneum aquæ dulcis temperatum: at rarefactio opponitur condenſationi, in qua eſt clauſio meatuum. Reſpondetur in ventilatione duo requiri, nempe excretionem calidæ ſubſtantiæ: & attractionem refrigerantis aeris, vt fit à natura in reſpiratione & pulſu. Idcirco Medicus excretiones molitur eo modo quo poteſt, nempe rarefacientibus, vt pori maxime pateant ad exitum magnæ copiæ excrementorum, cum nõ B ſufficiat naturalis eorum laxitas. Neque hoc remedium arguit ineſſe pororum clauſionem, aut condenſationem præter naturam facientem putredinem. Nam & in omnibus ephemeris hoc idem remedium expoſcitur, à quacumque cauſa oriatur, etiam ſi non adſit pororum aſtrictio 8.Meth.3. Refrigerationem autem molitur ambientis aeris bona temperie 11.Meth.8. Hæc igitur ſunt remedia putredinis, non cauſæ efficiẽtis. Ideo poſt hæc atque alia remedia ad putredinem & febrem tradita, ſubiunxit Galenus. Difficile eſſe acrique iudicio indigere: febrem, putredinem, & efficientẽ cauſam vbi ſcilicet ipſa quoque adeſt, inter ſe conferre. In quibus autem adſit, & in quibus non adſit ſtipatio optime explicatur in ephemeris 10. Meth. 2. Eadem enim intelliguntur in febribus putridis: vt verbi gratia in ægroto qui recenſetur 10.Meth.3.ex ſiccitate laborans, & 10.Meth.6.in ijs qui prætenues habent ſuccos, vt ocyſsime exhalent, vnde in ſyncopem incidunt in his C enim non ob retentionem calidi effluxus febris putrida orta eſt, ſed potius oppoſito modo laborant: nam ob nimiam difflationem penè extinguitur eorum calor innatus. Qui autem ex obſtructione laborent, oſtenditur in ſynocha.9. Meth.3. & 5. & quibus maxima ineſt crudorum ſuccorum copia 12.Meth.3. Hinc errores circa remedia penè ineuitabiles ex ea poſitione oriuntur. Nam dum ſtudent in omnibus obſtructionem, aut quamuis aliam ſtipationem tollere per venæ ſectionem, & vſum aperientium atque attenuantium: eos qui ex inanitione & ſuccorum tenuitate laborant, ducunt ad necem. Prohibet quoque ea poſitio remedium maxime opportunũ in omnibus febribus vehementibus, nempe aquæ frigidæ potionem, quam Galenus extollit 11.Meth.9. Non enim conuenit vbi eſt obſtructio aut denſatio: omnis enim vehemens refrigeratio denſat & obſtructiones auget. Cũ igitur ſupponant in omnibus febribus putridis adeſſe obſtructionem

aut denſationem, nunquam dabitur occaſio exhibendi hoc remediū: D
quo omiſſo in febribus ardentibus æſtu & ſiti ægrotantes intereunt. Eadem poſitio prohibet quoque vſum aſtringētium, quæ opportuniſſima ſunt & ad robur partium, & ad putredinem, cum frigida ſint & ſicca: & quod ſæpius contingit in peſtilentibus ad alui fluxum & colliquationes. Dum autem ſtudent in omnibus relaxare & aperire, ſæpius accerſunt inflammationes viſcerum, vt antiqui faciebant fouentes præcordia relaxantibus, quos reprehendit Galenus 11. Meth. 15. Patet igitur poſitionem comſtipationis in omni putredine non ſolum introducere noxia remedia in febribus putridis, ſed etiam prohibere multa ſalutaria. Idem intueri licet in vlceribus putridis, in quibus experientia manifeſtum eſt, non comſtipationem cauſam eſſe putredinis. Nam poſt vſum medicamentorum ſordes putridas & aliquando carnem putridam auferentium, ad id quod remanet defendendum à putredine non relaxantia neque aperientia, ſed ſiccantia & aſtringen E
tia reperta ſunt ſalutaria.

Coction: corrigi & putredinem humorum & reliqua vitia.
Quæſtio 11.

CVm putredini opponatur coctio: ambæ enim circa idem verſantur contraria præſtantes: hæc quidem diſſolutionem mixti, illa vero perfectionem: & hæc per caliditatem innatam, illa vero per externam: propter quid aduerſus putredinem non pugnamus ſola coctione: ſed alia multa adhibemus remedia, vt venæ ſectionem, medicamenta purgantia, ventilationem, & alia: coctionem autem quod proprium videtur remedium, ſæpe deſpicimus? Nam Galenus. 11. Meth. 8. vbi indicationes putredinis recenſet, nullam facit co
ctionis mentionem: ſed his duabus contentus eſt, ſcilicet euacuatio- F
ne eius quod computruit, ventilatione autem eius quod reliquum eſt. Meminit tamen aliquando & coctionis, vt cap. 15. eiuſdem, vbi inquit. At vero in humorum putredine & excretio & refrigeratio & ventilatio & ſemiputridorum concoctio ex aduerſo reſpondent, & cap. 9. dicebat: putredinem in viuente corpore corrigi coctione, quam Medicus molitur excitans & firmans facultatē concoctricem: ſic enim quæ putreſcentia ſunt ſanabis. Hanc Hippocrates extollit 2. in 1. Epi. 45. & 5. in 6. Epi. 6. per coctionem enim morbi relinquunt. Si igitur contrariorum contraria ſunt remedia, debuiſſet aduerſus omnē putredinem ſufficere coctio. An cum putredine alia quædam coniunguntur, quæ ſua requirunt remedia? Nam quatenus putredo mutatio quædam eſt ad corruptelā, vt deſcribit Gal. 11. Meth. 8. opponitur mutationi in cōtrarium nempe ad perfectionem, quæ coctio dicitur. Quatenus autē
in ea

A in ea mutatione aliquid mutatum eſt, ideſt corruptum & putrefactũ, non amplius coctio opponatur;à priuatione enim ad habitum non datur regreſſus: Idcirco reſtitui nequit ad perfectionem quod corruptũ eſt; ſed aduerſus id alio cõtrarietatis genere oppugnamus: ſcilicet euacuatione vel per medicamentum purgans, vel per vrinam aut ſudorẽ, aut per alias huiuſmodi excretiones: non per ſanguinis miſsionem: hæc enim non ſeligit id quod corruptum eſt. Aliquãdo & cauſa adeſt putredinis, vel efficiens, vt conſtipatio, vel materia, vt praui humores prompti ad putredinem. Horum ſingula ſua poſtulant remedia ad inhibendam putredinem: conſtipatio quidem relaxantia & aperientia: humorum prauitas duplex genus remedij, vel correctionem ſi corrigi poſsint, vel euacuationem ſi nequeunt corrigi. Eſt autẽ correctio quæ à natura fit coctio: quæ ab arte alteratio per contrarias qualitates. Adeo vt coctio duplici uitio opponatur, ſcilicet putredini, & prauita-
B ti humoris adhuc non putreſcentis, dummodo neque putredo neque humoris vitium adeo diſtent à naturali ſtatu, vt reſtitui nequeant: ſed tantum ubi humor ſemimalus vel ſemiputridus fuerit. Nam quæ ex toto praua ſunt, & quæ omnino ſunt putrefacta eijcit natura non attrahit: ſola autem ea quæ familiaria ſunt, attrahit & retinet, atque interim coctione conuertit in propriam ſubſtantiam aut qualitatem quantum poteſt. Si quid autem coctionem non admiſerit, tanquam alienũ reſpuit & excernit, niſi quid prohibeat: quæ excrementa vocantur. Atque hæc quodammodo cocta dicuntur, quatenus ſecundum qualitatem à natura victa ſunt, licet non ſecundum ſubſtantiam: quodam modo inconcocta, quia perfectionem non ſunt adepta. Differunt autem cruda ab inconcoctis, cruda enim proprie dicuntur, quæ coctionem admittere poſſunt, vt pituita craſſa deinde & cæteri humores, qui bus aliquod vitium ineſt corrigibile, vt flaua bilis acrior & tenuior.
C Inconcocta autem dicuntur, quæ in ipſa coctione conuerſa ſunt in alienam ſubſtantiam incorrigibilem, vt quæ omnino putruerunt, aut conuerſa ſunt in pus vel quid ſimile puri, aut in vermes, aut alias ſubſtantias alienas, inter quas ſunt calculi. Hæc eadem incoctibilia dicuntur, quia per coctionem corrigi nequeunt. Solam igitur euacuationẽ poſtulant: Cruda autem concoctionem. Cum autem duplex ſit cruditas, duplex etiam eſt concoctio. Quædam enim cruda dicũtur, quæ nullam alterationem aut modicam perpeſſa ſunt à calore innato, vt pituita & ſanguis crudus. Quædam vltra debitam menſuram excalfacta ſunt, vt bilis vtraque & quicumque humores putreſcentes. Illa per coctionem conuerti poſſunt in ſanguinem probum & tandem in ſubſtantiam animalis. Hæc vero ob prauitatem, quam ab ampliori caliditate contraxerunt, reſtitui nequeunt omnino ſed aliqua ex parte, ſi non ſecundum ſubſtantiam, ſaltem ſecundum qualitates, quale pus in abſceſ-

abſceſsibus, aut quid ſimile puri in ſedimentis vrinarum. Hinc duo genera coctionis emerſerunt duobus generibus cruditatum reſpondentia: vnum cuius finis eſt ſubſtantia, nempe conuerſio alimenti in ſubſtantiam corporis, quod nutritur. Alterum cuius finis eſt qualitas commodior 4. Meteo.cap.2. quod tribuitur excrementis & humoribus vitiatis putreſcentibusque. At quæ vtilitas in excrementorum coctione, aut humorum conuerſione in pus? quæ tandem expelluntur à natura tamquam inutilia. Nonne ſatius fuiſſet ab initio expelli ſine vllo diſpendio virium, quod fit in rei inutilis coctione? An quæ commixta ſunt, ſeparari nequeunt, niſi coctione homogenea congregante? interim vero & ipſa alterantur per coctionem ſimili modo, nō eodem, vnde redduntur mitiora, & aliqua ex parte familiaria. Ob hunc naturæ ordinem fit, vt omnes euacuationes à natura tentatæ in principio morbi ante coctionem, prauæ ſint. Secus tamen accidit, ſi à Medico fiant: ſæpe enim melius eſt diminuta materia naturam exonerare in principio.

Signa coctionis & cruditatis ex vrinis ſumpta non eadem in ſanis, & humoribus putreſcentibus eſſe. Quæſt. III.

SCRIBIT Hippocrates 2.Progn.26. optimam vrinam eſſe, ſi ſubſidet album læue & æquale per totū tempus, dum morbus iudicetur, ſecuritatem enim, & morbum fore breuem ſignificat. Si verò intermittit, vt interdum puram emittat, interdum cū ſubſidentia candida & læui, morbum diuturniorem & minus ſecurū oſtendit. Damnat hoc loco Hippocrates vrinam purā in morbis, quæ tamen optima eſt in ſanis. Si enim pura intelligitur, quæ caret ſedimentis, vt ex oppoſitione patet, quæ in verbis prædictis colligitur: vrinæ ſanorum puræ erunt. Nam ſedimenta aut humores putreſcentes oſtendunt, aut aliquod vitium circa ſanguinis confectionem. Tradit enim Galenus 1.Progn.vlt. Tria corpora eandem generationem habere, & ob eandem cauſam albeſcere ſemen, pus, & vrinæ ſedimentum. At ſemen nihil habere præter naturam pus aliqua ex parte, nam ſuppuratio quædam putredo eſt: Quod ſubſidet in vrinis medio modo ſe habere inter vtrumque. Quicquid enim alimenti in ſanguinis generatione refugit confectionē, ſubſidet in vrina neque vt ſanguis ab ea commutatum ſcilicet in naturam ſeminis, quod eſt albarum partium nutrimentum 1.de ſem.11.& 12.neque vt pus præter naturam cauſæ particeps. Quantum igitur diſceſsit à naturæ confectione, tantum participat de eo quod eſt præter naturam. Patet id in humoribus putreſcentibus in venis, conuertuntur enim per coctionem non in pus, ſed in aliquod proportionale puri: & id eſt, quod in morbis ſedimentum

reddit

A redditin vrinis: ad cuius generationem concurrit calor extraneus, & in confectione puris, ſed minus: quia dum in venis continentur humores, à calore innato magis fouentur: ideo extra vaſa tantum pus oritur. At in ſanis ſi optima fiat concoctio & nutritio, nihil eſt quod ſubſideat in vrina. Nam pro quantitate alimenti, quod aſſumitur, variatur huiuſmodi excretio. Si enim tenuiter viuitur, nullo pacto ſedimentum habet vrina: ſi largius, copioſum: ſi mediocriter, exiguum, vt teſtatur Gal.2.Progn.26. Et cũ adhuc coquitur ſanguis, vrina multam ſubſidentiam facit albam: iam vero facta coctione, paucam: Pueri quoque ob voracitatem, & qui in ætate perfecta ſunt, ſi vitam otioſam & plenam tranſigunt, ſatis multam habent in vrina ſubſidentiã, quia plus de humore, qui crudus nominatur, excernitur, 1.cri.12. Sed huiuſmodi ſubſidentiæ ob imperfectionem coctionis non ob putredinem oriuntur: ideo magis diſcedunt à natura puris, & contingere B poſſunt in ſanis. Puræ igitur in ſolis ſanis laudabiles ſunt ob cauſas prædictas. Nam ſi in ægrotantibus excernantur, cruditatẽ oſtendunt: quia in ijs nihil excernitur humoris noxij. Viſæ ſunt aliquando in peſtilentia vrinæ colore & ſedimento ſimiles ſanis 3.præſ.4. cum humor noxius latet concluſus in aliquo loco, vnde interierunt. At Galenus non videtur mentem Hippocratis percepiſſe: cũ ſcribit 1.cri.12. optimam illam eſſe, quæ vrinæ ſanorum ſimillima eſt: idcirco ijs quæ aliquando in peſtilentia apparent ſimiles ſanis, aliquid deeſſe exiſtimat. Nam, inquit, Quæ naturalibus vndequaque ſimilis eſt colore & craſſitudine, ad ſecundam ſpem certiſsima eſt: quæ ſi ſublimamento probo ſit prædita, multo etiam eſt certior, ſiquidem ſedimentum ſit candidum læue & æquale: & paulo poſt inquit: fieri non poſſe vt cum ijs vrinis male affectus homo ſit. Sed vt clarior appareat res, conſiderandum eſt primum, qualis ſit vrina ſanorum: deinde in quibus morbis C mutetur à ſtatu naturali, & quomodo. Sanorum igitur vrinæ tradũtur à Galeno 1.cri.12. colore ſubruffo aut ſubflauo, ſubſtantia mediocri inter tenue & craſſum: colorem huiuſmodi fieri à certa quadam menſura flauæ bilis humori admixtam: vt rufa proxime accedat ad flauũ, ſed ad albedinem magis inclinet, & turbulentior ſit: flaua ſplendidior ac purior: nam quod veluti igneum in bile ſplendet, ipſam reddit flauiorem. Hypoſtaſis autem naturalis alba læuis & æqualis, pauca in macilentis & tenui victu, ſæpe nulla: Copioſior in obeſis & vita ocioſa, pueris & mulieribus: deſcendens inferius, quod eneorema ideſt ſuſpenſum & ſublimamentum vocatur. Nam quod reſidet in fundo & proprie hypoſtaſis aut ſedimentum vocatur, & nubecula, quæ altiora loca petit, in morbis potius, quam in ſanis reperiuntur. Reſidet enim quod in cinerem conuerſum eſt: attollitur autem ad ſuperiora, quod feruere incipit, vt aliquando bullæ ſupernatent, vt in ollis feruẽtibus.

Alterantur

Alterantur autem & diſcedunt à ſtatu naturali, vbi morbus eſt in ve- D
nis, cuiuſmodi ſunt febres, & magis quando ab humoribus putreſcen
tibus oriuntur: adhuc magis ſi ij in venis contineantur: nam ſi in par-
te inflammata, non adeo venis putredo communicatur. In ephemeris
cum nulla ſit putredo, nullum in vrinis apparet ſignum neque crudi-
tatis neque debilis coctionis: alterum enim aut vtrumque proprium
eſt febrium putridarũ indicium 1. Diff.fe.7.& 1.ad Gla.2. vbi inquit.
Vrinæ in ephemeris omnino ſimiles ſunt ijs, quæ ſecundum naturam
ſe habent, aut non multum à naturali ſtatu receſſerunt. Sunt enim om
nes bene coloratæ nonnullæ cum ſuſpenſionibus, nonnullæ cum ne-
bulis, quædam cum ſubſidentijs bonis 2.cri.13. In hecticis initio qui-
dem antequam tabidæ fiant, ſimili modo ſe habent, vt in ephemeris:
ſed contenta exigua aut nulla. In progreſſu autem tabeſcente pingue-
dine aut carne aut ſolidioribus partibus, innatant in ſuperficie veluti
araneorum telæ, aut puncta cãdida vt in iuſculis refrigeratis, quod pin E
guedinis colliquationem ſignificat: aut in fundo reſident quædam fa
rinæ ſimilia nunc tenuiora nunc craſsiora: nunc ſquamulas aut furfu-
res imitantia: quæ carnem tenellam aut vetuſtam aut partes ſolidiores
tabeſcentes in ſimilitudinem puris oſtẽdunt 2.Progn.28. Augeri poſ-
ſunt tales ſubſidentiæ ex nutrimento, quod agglutinari partibus ne-
quit ob nimiã ſiccitatem. Eadem fieri poſſunt in febribus putridis pro
pter ſanguinis aſſationem, vt notauit Galenus. Ex his patet, aut humo
rum putredinẽ, aut partium colliquationes vrinas impuras reddere in
febribus: In ſanis autẽ excrementorũ copiã, quæ ex ciborũ multitudi-
ne, ocio, & alijs huiuſmodi oritur: hæc enim omnia vrinas ſedimentis
multis inficiũt. Ex aduerſo autẽ puræ excernuntur, aut quia nulla ad-
ſit putredo neque colliquatio, neque multitudo excrementorũ: quæ
omnia ſanis & inculpatis inſunt: Aut ſi adſit aliquod eorum, latitãt in
aliqua particula, vnde egreſſum non habent in venas maiores, unde F
nequeunt vrinas inficere: quod in morbis malignis contingit: Mali-
gni enim dicuntur, qui cum praui ſint, non oſtendunt ſuam prauita-
tem. Sed vtrum adeo latere poſsint, vt nullum veſtigium malignitatis
in vrinis oſtendatur? Vult quidem Galenus diligenter intuentibus ali
quod ſignum prauitatis ſemper oſtendi, vt ſuperius dictum eſt: inquit
enim quorundam videri conturbatam & aquoſiorem, nonnullorum
multo tenuiorem, quam pro natura: quæ certiſsima indicia ſunt pra-
uitatis: Præſertim ſublimamentis adhibendum eſſe animum. Nam
quædam quæ ſubliuida quodammodo ſunt, fugiunt, & item alia, quæ
aranearum latas telas referunt in modum lanæ congeſtæ. At ſi quid
tale animaduertas, aut nullum planè ſublimamentum innatare vrinis,
in peiorem partem hæc interpretare. Hæc Galenus. Quaſi non liceat
humores prauos adeo deliteſcere, quin veſtigium aliquod ſui oſten-

A dant in vrinis: ſaltem priuationem contentorum, aut coloris, vnde vrinæ tenuiores & albidiores redduntur, vt contingit aliquando in delirantibus, raptis humoribus ad caput. 4. Aph. 72. Quod in Prorrheticis author ſignificare videtur, cum vocat vrinas ſublime petentes, aut quippiam in vrina ſublime petere: ideſt euaneſcere inſtar eorum quæ in aerem vertuntur. Cum igitur aut ipſæ met vrinæ euaneſcunt in ſuppreſsionibus, aut color, aut ſedimentum, quod fit quando ex coloratis redduntur decolores, aut ex craſsis ac ſedimentoſis fiunt tenues & abſque ſedimento, malum portendunt: Rapitur enim materia & figitur in aliqua parte, niſi per euacuationem morbus ſolutus fuerit. Huc ſpectat & id quod dicitur 2. Progn. 30. Dum vrina tenuis fuerit ac ruffa, crudam eſſe ſignificat ægrotationem: ſi in morbo diuturno talis ex cernatur, periculum eſt, ne æger durare poſsit, donec morbus concoquatur. Minus autem malum eſt, quod initio dixit, ſi intermittit, vt ali

B quando pura reddatur, aliquando cum ſedimento albo læui & æquali: vbi manifeſtè per puram intelligit tenuem & ſine ſedimento: melius enim eſt aliquando craſſeſcere vrinas, quam nunquam. Sed vt ad caput quæſtionis reuertamur: Si dicamus ex Galeni ſententia, vrinas in morbis omni ex parte ſimiles ſanis maximè ſalutares eſſe: aſſerentes in peſtilentibus ſemper aliquid deeſſe: cogimur fateri id verum eſſe tantum in ephemeris, & in quibuſdam hecticis incipientibus. Nam hæ ſolæ vrinas habent non multum à ſtatu naturali diſcedentes: & ſi rite curentur, cito & facile ſanantur: in nullis autem putridis verum eſſe quod dicitur. Proprium enim putridarum eſt, indicium cruditatis aut debilis coctionis in vrinis 1. diff. fe. 7. Non ſolum igitur in peſtilentibus & malignis negandum erit vrinas eſſe omni ex parte ſimiles ſanis, ſed in omnibus putridis. Sic vana redditur ſententia Hippocratis dicentis. Vrina optima eſt, ſi candidum ſedimẽtum fuerit læueque

C & æquale per omne tempus, dum morbus iudicatur: nunquam enim id continget in morbis ex humorum putredine. Præterea ſi talis vrina aſſumatur tamquam norma, cui reliquæ diſcedentes à ſtatu naturali comparatæ iudicentur, quantum receſſerint, vt in pulſibus facimus: quæ in peſtilentibus minguntur ſimiles ſanis obſcuris differentijs diſtantes, non erunt adeo pernicioſæ, vt ſint lethales. At ſæpe contra fit in reliquis febribus, in quibus vrinæ valde mutantur & in colore & in ſedimentis à ſtatu naturali, ſalubriores enim ſunt, quam vbi reddũtur ſimiles ſanis. Quod vt magis pateſiat, conſiderandum eſt. In morbis ex flaua bile ſecundum rationem vrinæ flauiores exiſtunt & tenues, plerumque abſque ſedimento, quia humor tenuis colorat tantum nõ ſubſidet. In ijs coctio aduentare ſignificatur, cum paulatim remittitur color, & modice craſſeſcit ſubſtantia, vt nubeculam aut ſublimamentum modicum habeat & candidum: aliquando ſufficit color tantum

vrinæ.

vrinæ. Quod ſi repente ex flaua reddatur ruffa aut pallida, & in ſua te nuitate perſeueret, mala eſt & crudior, quamuis ſimilior naturali quã flaua: hoc enim plerumque contingit, cum humores noxij rapiuntur ad caput 4. Aph. 72. Atque hi nõ ſanantur, niſi iterum vrina flaueſcat, & ſedimentum aliquod reddat laudabile. Sedimenta autem in his primo flaua ſunt, vbi morbus eſt grauior, adhuc grauior, vbi craſsiora ſunt, diſcedunt enim vehementer à natura bilis. Ab his tendunt in deterius, ſi cum hoc colore nubeculæ deſcẽdant: quanto enim magis in inferiori loco fuerint cum prauis coloribus, eo deteriores ſunt. Quod ſi deſcẽdentes albeſcant, bonæ ſunt: coctionem enim ſignificant 2. Progn. 36. Iterum ſi vrinæ ex flauo ad rubedinem tendunt, fiunt enim aliquando ſubrubræ, maior quidem fit diſceſſus à naturali ſtatu, non tamen ob id ſemper eſt deterior morbus. Inquit enim Hipp. 2. Progn. 27. ſi vrina fuerit ſubrubra ac ſedimentum ſubrubrum & læue, diuturnior hic morbus eſt, ſed admodum ſalutaris, quia vt inquit Galenus, ex ſero ſanguinis non perfecte cocto fit. Hic ſimiliter concoctio ſignificatur, cum & ſedimenta albeſcunt, & vrinæ color remittitur. Quod ſi huiuſmodi vrinæ ſubrubentes fuerint tenues & valde perlucidæ prauæ ſunt, non enim conuenit humori ſanguineo tenuitas: ſed ſignificant flauam bilem ob vſtionem conuerti in croceum, vnde poſtea fit tranſitus in nigredinem feruore extincto. Niſi igitur & hæ craſſeſcant & ſublimamentum aliquod pariant ad albedinem tendens, cruditatẽ ſignificant. In quibuſcumque autem nigredo apparuerit aut liuor, aut viriditas, ſeu in vrina, ſeu in ſedimento, ſignificant morbum tendere in deterius, maxime enim diſcedunt à naturali ſtatu. In morbis autem ex pituita ſecundum naturam vrinæ albidiores ſunt & craſsiores, nec ſanantur, niſi plurimum in vrinis ſubſideat 1. cri. 12. Signa igitur coctionis in his longe diſtant ab ijs, quæ in bilioſis, & ab ijs quæ in ſanitate. Quod ſi tenues hæ vrinæ reddantur, extremam cruditatem ſignificant: quales ſunt aquoſæ: repugnat enim humori craſſo tenuitas in vrinis. Fit tamen aliquando huiuſmodi, cum ob craſsitiem aut congelationem non ſoluitur in vrina: aut cum propter obſtructiones veluti percolatur humor tenuis. Cum vero natura in his aggreditur aliquam coctionem, prius conturbat, vt vrinæ reddantur craſsiores, non tamen ſedimentum aliquod ſeparatur, ſed permanent turbatæ magis & minus. Quæ vehementer turbatæ ſunt, ſubiugales vocantur ob ſimilitudinem cum vrinis iumẽtorum: quod valde periculoſum eſt, quia multum recedunt à naturalibus, & oſtendunt magnam putredinem, qualis in peſtilentibus fit. Cum verò in his incipit ſubſidere aliquid, acquirunt etiam aliquid perſpicuitatis, clareſcunt enim. Si igitur ſubſidentiæ colorem album acquirunt & deorſum tendunt, coctionem meliorem oſtendunt: At ſi in prauos colores vertantur, inconcoctionem ſignificant,

A gnificant, tendunt enim ad interitum. Aliud vero genus turbationis eſt vrinarum, quod etiam ſanis contingit: cum vrina redditur clara, ſed paulopoſt refrigerata turbatur: ſi calefiat, iterum clareſcit. Significat inæqualitatem quandam in humoribus concoctis relictam, quæ in refrigeratione tantum apparet, quia ſeparantur particulæ inuicem: in calefactione reuertuntur ad priſtinam diſpoſitionem. Alio modo contingit vrinas perturbari poſtquam claræ fuerint emictæ, quæ non amplius clareſcant, quomodocumque calfeceris. Hoc ſignificat apud Galenum, naturam adhuc non aggreſſam eſſe coctionem, ſed paulo poſt aggreſſuram: Ideo in peiori conditione eſſe quam quæ turbidæ minguntur, nec clareſcunt: nam in his coctionem iam aggreſſa eſt, quamuis adhuc imperfecta ſit: perfectior enim eſt, cum poſt turbationem clareſcunt. Omnis autem turbatio ob inæqualitatem fit, ſed quædam in initio coctionis, cum ex tenuibus vrinis incipiente ebulli-
B tione agitatio quædam fit & turbatio, vnde minguntur turbidæ: aut paulo poſt turbantur: hæ enim non clareſcunt, niſi coctio vlterius pro greſſa ſit. Quædam circa finem coctionis, priuſquam exacta omnino ſit: relinquitur enim & hic inęqualitas quædam non propter ebullitionem agitantem, ſed refrigerationem ſeparantem, vt in ſedimentorum collectione fit. Humor melancholicus ob frigiditatem & craſsitiem initio dum crudus eſt, tenues vrinas facit & decolores ſimili modo vt pituita. Sed coctione accedente incraſſantur & colorem acquirunt: ac minus turbantur quam ex pituita. Quod enim ex illo attenuatur, accedit ad naturam bilis: hęc autem in humore ſplendorem affert vt ignis, vnde perſpicuitas: color autem niger ex eo non gignitur in vrinis, niſi in ſua craſsitie cum vrina feratur: Tunc enim vrinæ nigræ redduntur, & turbidæ, cum ſedimento nigro vel potius colore fuliginis, ineſt enim quiddam flaui magis & minus pro vſtionis mo-
C do. Sic aliquando ſanantur quartanæ cum huiuſmodi excretione, vt lib. de vri. cap. 15. Non eſt autem abſurdum ſanari quartanas antequã ſubſidentiæ reddantur albæ, læues, & æquales: quod eſt ſignum perfectę coctionis. Nam excretio vtilis eſt etiam ante perfectam coctionẽ, vt patet in ſputis flauis pleuriticorum. At ſi nigredo fieret in cęteris humoribus, lethale eſſet; nam ſignificaret aut vehementem vſtionem, aut extinctionem calidi innati. Nam huiuſmodi color non ineſt ſecundum naturam niſi humori melancholico. Ob eandem rationem & cęteri colores ad nigredinem tendentes lethales ſunt, vt viridis aut liuidus, ſeu in vrinis ſeu in ſedimentis appareant. Sanguis etiam extra venas in nigredinem conuertitur, ſi in aliquo ventre colligatur, vnde ſæpe in calculoſis vrinæ nigræ excernuntur. Sed hic non quærimus conditiones vrinarum ex affecta veſica aut renibus, ſed quæ ex ipſis venis egrediuntur. In his enim per ſecundam coctionem tinguntur

vrinæ naturaliter quidem in ſubruffum aut ſubflauum: præter naturã D
autem in cæteros colores pro varia humorum admixtione & alteratio
ne. Sedimenta vero per vlteriorem coctionem tranſeunt tandem ſe-
cundum naturam in albedinem, vt pus: nam & ſanguis dealbatur, cũ
vertitur in nutrimentũ albarum partium, aut cum in mamillis verti-
tur in lac: & ſemen in teſticulis. Nec mirum oſſa alba eſſe, quamuis
ex ſanguine melancholico nutriantur. Quin & muſculorũ caro poſt-
quam nutrimentum optime concoxerit ad albedinem tendit magis
& minus: at quæ parenchyma vocatur, nequaquam albeſcit. Ex dictis
colligere licet, in eo conuenire vrinas ſanorum & ægrotantium, quod
ſedimenta ſi quæ ſunt, cum perfecta eſt coctio, alba ſunt læuia & ęqua
lia. Differre autem multitudine paucitate, craſsitie & tenuitate, ali-
quando loco. Sed ante perfectam coctionem longe pluribus & con-
ſpicuis differentijs diſtare: vnde ſumuntur ſigna aut cruditatis, aut de
bilis coctionis, aut inconcoctionis, cum ſcilicet pro coctione in putre- E
dinem & corruptionem tendit. Atque in his melius eſt conditiones
conuenire cum humore peccante, quam non conuenire. Conſideran
das autem eſſe vrinas ſanorum, vt lapſus cognoſcamus, non vt in mor-
bis eas laudemus. Quæ enim optime coctæ dicerentur in ſanitate, cru
dæ ſunt in morbis ex putredine.

Venæ ſectionem in principijs tantum conuenire, non in progreſſu. Quæſt. IIII.

CVm præcipiatur ab Hippocrate 2. Apho. 29. Inchoantibus
morbis, ſi quid mouendum videatur, mouere: cũ vero con-
ſiſtunt, quieſcere, intelligatur autem hæc ſentẽtia apud Ga-
lenum, & de venę ſectione, & medicamento purgante: Omnibus in
confeſſo eſt, Venæ ſectionem in initio conuenire, ſaltem ad tollen- F
dam multitudinem præcipuam morborum cauſam, qua non ablata
non poſſumus tuto ad reliqua auxilia tranſire. Ob id enim Galenus
11. Meth. 15. ſaluberrimum eſſe dixit, in omnibus febribus putridis tũ
continuis tum intermittentibus venam ſecare, vt materia diminuta
particulis tuto proſpicere poſsimus: nam neque tuto obſtructiones
aperire licet, cum deobſtruentia impingant magis. Cum autem etiam
medicamento purgante liceat multitudinem minuere, non tamen
adeo expetitur à medicis purgatio in principio, vt venæ ſectio, quia
hæc non agitat humores nec febres exaſperat, neque calfacit, vt medi
camentum. Ob hæc plerique formidoloſi circa purgationem auda-
cter venam ſecant, neque tantum in principio, ſed & in progreſſu ſæ-
pius, cum morbum ſęuire ſentiunt: quibus fauere videtur Galeni ſen
tentia, de cur. per ſang. cap. 20. vbi inquit. Tempus mittendi ſangui-

A nem non præſcribi dierum numero, dummodo morbus ſit magnus, & vires perferant. Verum & ſi aliquando conueniat iterare ſanguinis miſsionem, non tamen proroganda eſt vlterius dum morbus cōſiſtat, quieſcere enim tunc oportere ſcribit Hippocrates: quia natura tunc maxime incumbit coctioni: omnis autem motus coctionem impedit, vt Galenus teſtatur. Iterare autem conuenit, vel vbi vires non ſuſtinēt integram euacuationem ſimul factam: vbi enim multa eſt opus euacuatione, verum vires ſunt imbecilliores, in his partiri expedit: de cur. per ſang. 12. Vel reuulſionis gratia, cum ſanguis ad aliquam partem fertur. Ad partitiones has nequaquam in multos dies Galenus prorogabat, ſed eadem die, aut die ſecunda, & ad ſummum tertia perficiebat. Vbi vero feruentis ſanguinis copia apparet, quam ocyſsime euacuare oportet, priuſquam in principem aliquam partem ingruat: ſubito enim ac ſimul euacuare expedit, etiam vſque ad animi deliquium, B ſi vires ferant. Hæc habet Galenus. Præterea cum venæ ſectio requiratur etiam ad ventilandum, quod prohibet, ne putredo inualeſcat, in principio facienda eſt, antequam omnino vitientur humores. Putredo enim non curatur ſanguinis miſsione 11. Meth. 14. ſed coctione & purgatione. Quo autem magis humores vitiati fuerint, minus iuuat venæ ſectio. 4. tuen. ſan. 4. Vbi enim parum vel citra ſanguinis coctionem humores incocti remanſerunt, vt crudiuſculi & pituitoſi: vel vltra, in bilem flauam & atram tranſierunt: audacter mittendus eſt ſanguis: vbi plus, conſideratius eſt agendum: vbi plurimum, in his nullus omnino mittendus eſt. Inſpicere vero & quantitatem oportet: ſi bonus ſanguis exiguus ſit, reliquus ſuccus plurimus, in his abſtinendū à detractione ſanguinis eſt. Sin is exiguus, ſanguis vero copioſus, audacter incidenda eſt vena. Hæc Galenus, quod eſt contra recentiorum conſuetudinem, quo enim prauiorem ſanguinem viderint, eo auda-C ctius mittunt. Si igitur hæc vera ſunt, non expectandum in febribus, vt ſanguis multum vitietur: vitiatur autem per putredinem tranſiens in flauam bilem & atram: aut per coctionem in pus vel quid ſimile puri, quæ omnia egent purgatione, non venæ ſectione. Quantum igitur aberrent, qui ſæpius in quocumque tempore ad hoc remedium confugiunt, patet. Sed quid reſpondendum ad Galeni authoritatem: tempus mittendi ſanguinem non numerari diebus, cum etiam die vigeſima mitti poſsit, ſi morbus ſit magnus, & vires conſtent? An ex eodem loco patet ſolutio? Vires enim in pleriſque deperduntur temporis tractu, vbi enim ſanguis naturalem bonitatem amiſerit, robur viriū amittitur duplici ratione, & quia inutilis redditur ad nutritionem: & quia calidi innati ſubſtantia ex prauitate minuitur. Fieri tamen poteſt, vt in quibuſdam non multum vitietur ſanguis, ideo tuto extrahi poſsit poſterius, cum ab initio miſſus non fuerit, aut minus quam oportet. Sed

in his forte morbus non fuit ab initio magnus. Qui enim fieri poteſt, D
vt in morbo magno, cum diutius protraxerit, vires non collabantur, cum præſertim in tenui victu detinentur? Sed vt clarior hæc ſentētia reddatur, adhuc dubitare licet. Cum venæ ſectio non ſolum faciat ad plenitudinem tollendam, ſed etiam ad refrigerandum & ventilandū 9.Meth.5. nullum erit tempus in febribus putridis, in quo hoc remedium prohibeatur, vt ibidem teſtatur Galenus. Ingraueſcente enim morbo, quod præcipue fit propè ſtatum & in ipſomet ſtatu: ægri eo tēpore maxime egent refrigeratione & ventilatione: quod & 1.Aph. 23.ſignificare videtur Galenus, cum inquit: In ardentiſsimis febribus ſi ſanguis mittatur vſque ad animi deliquium, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur. In maximis quoque doloribus nullum maius remedium eo inueniri poteſt. Quod & rationi conuenire videtur. Si enim extremis morbis extrema remedia optima ſunt, ergo & quo tempore extremi ſunt, conuenire videntur, vt in ſta E
tu. Amplius facit quoque venæ ſectio iterata ad prauitatem humorū corrigendam 5. Meth. 14. nam in diſtillationibus acribus & ſalſis ſæpius Galenus venam ſecat interiectis multis diebus, vt interim cibis boni ſucci reficiatur æger, donec prauus ſuccus corrigatur. Non ergo humorum prauitas renuit hoc remedium, ſed poſtulat moderate tamen, vt loco ſanguinis praui, qui extrahitur, reſtituatur bonus. Sed ad horum intelligentiam videndum eſt, quomodo magnitudo morbi & virium robur indicent venæ ſectionem: ad hos enim duos ſcopos reducit Galenus omnes, qui in venæ ſectione cōſiderantur 4. Acut. 19. & de cur.per ſang.9. Vtrum igitur magnitudo morbi venæ ſectionem requirit, quia morbus magnus magnum remedium indicat? magnum autem remedium vires robuſtas requirit, cum eas labefactet? At venę ſectio niſi large ſanguis mittatur, non eſt remedium magnum, neque vires labefactat. Sed pro copia ſanguinis, qui extrahitur, remedium F
fit modo magnum, modo paruum. Præterea alia ſunt remedia magna præter venæ ſectionem: vt victus tenuiſsimus apud Galenū 1.Aph.6. Aquæ frigidæ potus in magna copia: Medicamenta purgantia: & tandem ferrum & ignis: quæ enim per hæc nō ſanantur, inſanabilia ſunt. Cur igitur in morbo magno venæ ſectio potius requiritur quam alia remedia magna? Præterea non omnes morbi magni venæ ſectionem requirunt, quamuis adſit virium robur. Neque enim hydrops, neque ſuppuratio, neque venenum hanc expoſcunt: cum tamen maiora remedia aliquando ferre poſsint, vt medicamenta validiſsima aquam extrahentia in hydrope: ſectiones & vſtiones in ſuppuratis: amputationes ferro & igne in gangrena; venę autem ſectio neminem eorum iuuat. Dicendum eſt igitur, aliquid aliud morbis ineſſe oportere pręter magnitudinem, vt venæ ſectionem requirant. Num forte id eſt ple-
nitudo?

A nitudo? de cur.per ſan.6.euacuationi enim opponitur plenitudo. Sed citra plenitudinem ſeu quo ad vaſa, ſeu quo ad uires etiam requiritur uenę ſectio ad reuulſionem, de cur.per ſan.8. Euacuatio enim licet per ſe à plenitudine indicetur: per accidens tamen remedium eſt ad motum in partem contrariam, ad refrigerationem, & uentilationem: & ad alia. Num reſponſio communis ſatisfaciat? Si eſt aliquis morbus magnus, qui à uenæ ſectione lædatur, contingit, quia deeſt alter ſcopus, nempe uirium robur aut præſens aut futurum. Item ſi in morbo paruo aliquando ſanguinem mittimus, fit, quia timetur morbus magnus futurus. Verum contingit nec uires admodum labefactari ex uenæ ſectione, nec tamen iuuari, licet morbus ſit magnus: ut in dolore colico ex pituita uitrea: in ſuppurationibus, & cæteris prædictis, qui alia genera remediorum indicant; quanuis enim uenæ ſectio non iuuet, non tamen ob id ſemper lædit. natura enim robuſta aliquando B deſpicit medici errores, & alias cauſas morbificas. An in ijs tantum morbis indicatur uenæ ſectio, qui uitio ſanguinis fiunt? ſiue multitudine repleat, ſiue moueatur de loco ad locum: ſiue nimis incaluerit, aut putreſcat, aut præ craſsitudine minus perſpiret. Vbi igitur ex huiuſmodi uitijs oriatur aut timeatur aliquis morbus magnus: mittendus eſt ſanguis, ſi uires ferant. At cæterorum humorum uitia, niſi ſanguinem traxerint in ſocietatem, qui etiam ſuperet, ut ſuperius uiſum eſt, medicamenta purgantia requirunt, non uenæ ſectionem: ſic pus & uenenum ſui eduxtionem expoſcunt, nõ ſanguinis: Concocta materia in uenis medicamento purgante eget, quæ in pleuritide per ſputum, quæ in abſceſsibus, per diſruptionem: nulla autem horum egent ſanguinis miſsione, quia uitium non eſt in ſanguine. Colligitur hæc ratio 1.Aph.2. Ea enim euacuatio confert, quæ humorem lædentem educit, non alium: ut ſi bilis lædat, bilem: ſi pituita pituitam: ſi ſan-C guis, ſanguinem, & ſic de reliquis. Quod ſi morbus non ſit magnus neque præſens neque futurus, non indicatur uenæ ſectio, poteſt enim mitioribus remedijs tolli, ut uictus ratione, frictionibus & alijs huiuſmodi. Quamuis autem moderata uenæ ſectio non uideatur magnum remedium, eſt tamen magnum, quia fit cum diſpendio proprij theſauri naturæ. Eſt enim ſanguis ſubſtantia calidi innati, quo regitur totum corpus, & temperatur humorum prauitas 1.Aph.17. Idcirco euacuationes prauorum humorum leuius natura fert, quam ſanguinis effuſionem: & maior requiritur uirtus in uenæ ſectione quam in medicamento purgante, ut 4.tuen.ſan.4. Si uires imbecilliores dehortantur, haud quaquam ſanguis mittendus eſt, ſed deiectio mediocris adhibenda. Quibus explicatis relinquitur ut obiecta ſoluamus. Quod dicebat Galenus, nullum eſſe tempus, in quo prohibeatur uenæ ſectio: unde inferebatur, etiam in ſtatu fieri poſſe ad refrigerandum & uen-

tilandum, cum eo tempore febris ſit vehementiſsima: Reſponſum eſt D ſuperius, ſiquidem ab initio prætermiſſa fuerit venæ ſectio, etiam in ſtatu fieri poſſe, dummodo vires permanſerint. At repetere in ſtatu ob vehementiam febris, abſurdum eſt, adſunt enim alia remedia refri gerantia. Qui autem ingraueſcente morbo ſemper ad hoc remedium confugiunt, ſimiles ſunt ijs, qui feruente in aliquo vaſe liquore, ne pro pter tumorem ampullarum erumpat extra, detrahunt aliquid liquoris: iterumque elato ob feruorem liquore aliam partem demunt, dein de aliam: ſic enim agendo abſumitur liquor, non tamen ignis extinguitur. Eodem modo in febribus putridis ſanguis qui incaluit, vaſa diſtendit plenitudinem vaſorum faciens, quo tempore, ſi vires perferant, venæ ſectio plenitudinem illam tollit, & perſpirationem facit. At ſi perſeueremus demendo, cum iterum incaleſcit, aut vires ſuccũbent, ſubſtantia calidi innati abſumpta, aut cum deſederit feruor, adeo pau cus remanebit ſanguis, vt reſarciri in poſterum nequeat. Satius igitur E eſt, dempta multitudine ſi opus ſit, feruorem compeſcere potionibus refrigerãtibus, aut aquæ frigidæ potu. Vt enim in vaſe vel gutta aquæ ſola inſtillata, feruorem ebullientis liquoris compeſcit, ſic ſanguis aquæ frigidæ potu refrigeratus abſque diminutione virium prohibet nimiam vaſorum repletionem: & ne multitudine euaporationis caput tentet, & tandem ne violenter in aliquam partem principem irruat, quorum gratia alioqui cogimur conſilium in arena capere, & reuulſionis gratia nouam ſanguinis miſsionem moliri. Ad alteram dubitationem circa humorum prauitatem, quæ venæ ſectione corrigatur ſæpius iterata, interiectis multis diebus: Dicimus id verum eſſe tantum, vbi ſanguis fuerit craſſus & niger, veluti limus, vt ſæpius monet Galenus: nam hoc eſt vnum ex vitijs ſanguinis, quod ſectionem requirit, vt dictum eſt. Repetitio autem in his conceditur, quia interim victu reficere licet ægrotantes, non ſic datur in morbis acutis: non enim re- F ficere licet ægrotantes, antequam morbus ſoluatur.

Venæ ſectionem in morbis particularibus ex venis particularibus requiri. *Quæſt.* *V.*

VBI nulla particula magis affecta eſt, ſed totius plenitudinis gratia mittendus eſt ſanguis, vbicumque vena ſecetur, nihil refert, de cur. per ſan. 19. conſpirant enim omnes venæ inuicem, vt vna exonerata, totum exoneretur. Eligimus tamẽ propinquiorem hepati, vt internam aut mediam brachij dextri, vt citius vena caua exoneretur, aut ventiletur in febribus putridis. Vbi aliqua particula obnoxia eſt fluxioni, non tamen adhuc affecta, particularis quidem vena ſeligitur, ſed maxime diſtans: vt quibus caput tentari ſolet, ex cruribus:

A ribus: quibus pedes ex brachijs: qui modus reuulſioni eſt ſimilis, non reuulſio: Hæc enim fluenti humori conuenit. Incipiente autem fluxione motus fluxioni contrarius indicatur, etiam ſi plenitudo non adſit, de cur. per ſang. 8. & 11. quæ reuulſio vocatur. Contrarietas autem conſideratur ſæpius ſecundum ſurſum & deorſum, raro ſecundum dextrum & ſiniſtrum, ante & retro, intus & extra. Magis enim conſpirant partes ſecundum rectitudinem corporis, quam Hippocrates κατ' ἴξιν vocat: Nam dextrum & ſiniſtrum à natura maxime diſtincta ſunt, vt noxam inuicem non communicent. 6. vſ. par. 5. Quoniam autem ſecundum ſurſum & deorſum datur maior & minor diſtantia, ad motus compeſcendos non quæritur maxima diſtantia, vt à capite ad pedes: ſed à cruribus & capite ad brachia: hæc enim ſurſum quidem ſunt ad crura, deorſum autem ad caput: aut à capite & thorace ad hæmorrhoidas bona fit reuulſio. Motus enim ad diſtantiſsima non com
B municatur motui contrario: ſed requiritur propinquitas quædam & venarum communio, vt motus contrarius peruenire poſsit ad humorem in oppoſitum fluentem. Ideo ad ſanguinis fluxum è nare dextra ſecamus venam non in crure, ſed brachio dextro: nec internam ſed externam: hæc enim capiti communicat: Idem de reliquis dicẽdum. Aduerſus fluxiones ad thoracem & inferiores partes venam internam brachij eiuſdem lateris ſecamus: hæc enim deducitur ab inferiori parte iugularis: ideo ex ijs quæ in brachio ſunt, citiſsime communicat venæ cauæ. Dubitabit verò quis: Si ex eiuſdem venæ cauæ ſciſsione tã ad dextrum quam ad ſiniſtrum brachium rami feruntur, quæ neceſsitas eſt rectitudinis? æque enim vena caua exhauriri poteſt tam ex dextro brachio quam ex ſiniſtrò. Præterea quæ communio venarum fuerit brachij ſiniſtri cum liene? internam enim brachij ſiniſtri ſcindunt in affectibus lienis ob rectitudinem: cum tamen lien venas habeat ex
C porta, quæ hepar ingreditur in parte dextra. Reſpondetur ad primũ. Quamuis vna ſit vena caua, partes tamen habet dextras & ſiniſtras vt arborum caudices: rami enim dextri à dextra caudicis parte exoriuntur, ſiniſtri à ſiniſtra: vt fibræ dextræ partis reſpondeant ramis dextris, & ſiniſtræ ſiniſtris, quam rectitudinem fibrarum appellare poſſumus. Ad alterum dicitur: Venas cum arterijs adeo copulari oſculis, vt vena ſecta primum exeat ſanguis venalis nigrior, deinde ſuccedat arterialis flauior, ut plerumque contingit. Et ſi igitur uena portæ non cito communicet cum venis brachij tam ſiniſtri quam dextri: adſunt tamen arteriæ, quæ cito communicant lieni & cæteris partibus ſiniſtris, cũ exoriantur ex ſiniſtra parte caudicis aortæ. Idem dicendum ad eos, qui obijciunt, uenam ſine pari, quæ cum exoriatur ex dextra parte caudicis uenæ cauæ, ramos tamen diſtribuit coſtis tam dextris, quam ſiniſtris: neque enim ob id in pleuritide cuiuſque lateris ſecanda eſt ve-

na in dextro cubitu: nihilo enim minus ſaltem per arterias dextra dex D
tris,& ſiniſtra ſiniſtris communicant. Adde ramos ex vtraque iugulari ad vtramque mammam deſcendentes, quæ exhaurire vtriuſque lateris humores poſſunt. Surſum igitur & deorſum in reuulſione hoc modo conſiderandum eſt. Dextrum autem & ſiniſtrum non reperio vſurpari à Galeno præter quam in cruribus. Inquit enim 13. Meth.5. Vno crure laborante alterum ſcarificabis: vna vero manu laborante non in altera manu vena ſecanda,ſed in pede eiuſdem lateris: & in dolore lateris non ex latere oppoſito ſed eodem,de cur.per ſan.16. Arabes tamen audacter in oppoſito latere ſecant: quod non videtur præter rationem: Cur enim in cruribus admittitur reuulſio à dextris ad ſiniſtra,in brachijs autem & lateribus nequaquam? An quia venæ cauæ ſciſsio ad crura ſimplex eſt? vnde venarum communio ſeruatur, quamuis non rectitudo. Ad brachia autem vena caua prius ſcinditur in duas iugulares,quam in axillarem & cephalicam: Ideo non cito ex E
earum ſectione fit communicatio lateri oppoſito. Ad reuulſionem autem celeri præſidio egemus,ne feratur humor ad partem. Num ergo male arabes oppoſitam ſecant in pleuritide? An bene & vtiliter,vt obſeruatum eſt à poſterioribus? non quidem ad reuellendum neque ad deriuandum,neque ad euacuandam particulam affectam,ſed ad totius plenitudinem exonerandam, vbi vires non ſufferunt largam ſanguinis miſsionem vnica vice,ſed ſæpius reiteratam poſtulant. Si enim in eodem latere ſecetur vena, ex toto corpore pleno trahetur magis humor ad partem affectam,quam extrahatur. Non enim conueniunt reuulſiones propinquæ corpore pleno,de cu.per ſan.19. Tutius igitur eſt oppoſitum prius ſecare,deinde in eodem latere. Sed vbi vires validæ, & tuto & cito ſuccurritur copioſa ſanguinis miſsione ex eodem brachio,vt Hippocrates præcipit 2.Acu.10. Tutius aliquando ex crure,vbi materia latitat venenoſa, ne trahatur ad ſuperiora. Ante & re- F
tro in capite & ceruice aliquando venit ex vſu. Nam Hipp.5.Aph.68. inquit. In dolore capitis poſteriore vena recta in fronte ſecta prodeſt: addit Galenus, ſi in anteriore, cucurbitula in occipite. Idem in angina obſeruatur: cucurbitula enim in occipite reuellit. Intus & extra vſurpatur apud Galenum in lib.de Hirudin.2. Si humores petant interiores partes,trahuntur ad exteriores per cucurbitulas. Sed quoniam huiuſmodi reuulſiones omnes propinquæ ſunt, non conueniunt,niſi toto corpore prius euacuato,ne ob propinquitatem materia trahatur ad partem affectam. Humores autem qui non amplius in motu ſunt, ſed in aliqua parte decumbunt,non reuulſione egent,ſed extractione ab eadem parte, ſi fieri poteſt, vt cucurbitula ſuper locum dolentem in pleuritide: ſeu per venam propinquiorem deriuandi, vt in angina vena ſecta ſub lingua, de cur. per ſan.19. Appellatur enim deriuatio

cum

A cum transferuntur ad propinqua 2. ad Gla. 2. Transferri autē poſſunt humores nondum fixi ſeu imbibiti in particula: nā hi digerentibus egent & concoquentibus: ſed qui in venis exiguis adhuc manent, tanto magis qui in amplioribus retrocedere enim hi poſſunt tum per repellentia, tum per extrahentia & deriuantia. Accidit aliquando ſimul reuellere & deriuare, cum locus & contrarius ſit & propinquus. Nam ratione contrarietatis reuulſio fit humoris fluentis in oppoſitū, ratione autem propinquitatis extrahitur etiam humor, qui decumbit in parte: vt in pleuritide cum mittitur ſanguis ex interna brachij eiuſdem lateris vſque ad mutationem coloris: vult enim Galenus ſanguinem in parte inflammata decumbentem alterius coloris eſſe, aut flauiorem aut nigriorem. Idem in angina fit ſecta vena externa. At ab vno crure ad alterum non extrahitur humor decumbens, ob diſtantiam: quemadmodū nec in pleuritide, quæ deſcendit ad ſeptū tranſ-
B uerſum, deriuationes tamen quædam ſunt, quia exonerantur partes vicinæ. Ab vno autem brachio ad alterum neque proprie reuulſio eſt, neque deriuatio, quia deeſt venarum communio. Ex hepate, liene, ventriculo, ſepto tranſuerſo, thorace non ſolum reuulſio, ſed & deriuatio fit ad brachium ſecta interna: Ex ceruice, & capite ſecta externa. Ex inferioribus partibus, ſcilicet vtero, veſica, coxendice deriuatio fit ad crura ſecta vena ſub poplite aut ſub malleolis, externa quidem ad coxendicem: interna autem ad vterum, & reliquas partes internas: reuulſio autem ad brachia tantum eſt. Renes ambigunt inter partes inferiores & ſuperiores, ſed magis inferioribus aſcribuntur, de cur. per ſang. 18. Ideo ab ijs reuellitur humor ad brachia, deriuatur autem ad crura. Eadem obſeruari debent in partium vſtionibus aut ad extrahendum, aut deriuandum, aut reuellendum.

C *Medicamenta purgantia in principijs morborum conuenire in febribus putridis.* Quaeſt. VI.

SI ſanguinis vitia cum magnus eſt morbus præſens aut futurus in principio venæ ſectionem requirunt: eadem ratione cæterorum humorum vitia, cum magna ſunt, expoſcunt medicamenta purgantia. Nam parua vitia ſola victus ratione aut mitioribus remedijs corrigi poſſunt. Vt autem in ſanguinis miſsione datur magis & minus, ſic & in purgantibus extant mitiora & vehementiora, ſingula pro quantitate humorum peccantium, & virtutis robore menſuranda: nam & vſque ad animi deliquium tum venæ ſectionem tum purgationem aliquando concedit Galenus. 1. Aph. 23. Sed hæc reperitur differentia. Nam ſanguis nulla eget præparatione vt educatur, niſi forte cum in tempeſtate frigidiori veluti congelatus in venis fuerit, aut

nimis

nimis in parte inflammata conculcatus, eget enim fomentis fundenti- D
bus,4.Acut.28. At medicamenta purgantia requirũt corpus fluidum, & humores præparatos & concoctos. Ideo in initio cum ſæpius adſint huiuſmodi impedimenta,atque alia,quæ vim medicamentorum comitantur, augent enim febres & putredinem: non adeo conueniunt, ut venæ ſectio. Hinc magna oritur controuerſia inter medicos: vtrum in initio ſaltem ad minuendam multitudinem conueniat medicamentum purgans,vt Galenus concedit ex præcepto Hippocratis. 2.Apho. 29.Inchoantibus morbis,ſi quid videtur mouendum, moue. An non conueniat, niſi turgeant, quod raro contingit,vt habetur. 1. Aphor. 22.& 24.Cum uero & hoc ambiguum ſit, quando turgeant, quando non,quidam id quod raro eſt,quaſi numquam ſit reputantes,numquã concedunt purgans medicamentum in initio: imo neque in progreſſu,niſi concocta materia,quod in declinatione tantum contingit, quãdo febris vehementia nõ repugnat. Raſis diſtinctione vtitur: purgandum in initio ſeu turgeant ſeu non turgeant,quando humores fuerint E
tenues: in craſsis expectandam coctionem. Auicenna etiam in tenuibus expectandam eſſe coctionem, quia imbibiti nequeunt euelli. Et 4.Acut.43.Quibus principio vrinæ nebuloſæ & craſſæ,purgare conuenit, quibus tenues nequaquam. Exigit autem hæc tractatio, vt prius ſtatuamus quomodo turgere accipiatur apud medicos: deinde vtrum turgentia ſemper requirat medicamentum purgans, an aliquod aliud remedium: Vltimo an abſque turgentia liceat medicamentum purgans adhibere in principio. Humores igitur turgentes Galenus vocat. 8.Catat.3.qui per corpus diſcurrunt ab vno membro in aliud, & quorum motus non dum firmam aliquam inclinationem vel ſtationem habeat ad vnam partem. Hoc modo turgentes humores opponuntur ijs qui quieſcunt in aliqua particula. Alio modo turgere dicitur non de humoribus, ſed de ipſis animalibus, cum loco ſtare nequeunt: quæ F
propria videtur eſſe ſignificatio verbi ὀργᾶν apud græcos: tranſlatum enim eſt ab animalibus, quando in venerem aguntur, ad humores,cũ de vno loco in alium motu vehementiore transfluunt hominem moleſtantes & quieſcere non permittentes.1.Apho.22. De corpore feſtinante ad humorum expulſionem accipitur apud Hippocratem. 3.de Fract.18.vbi inquit. Pus copioſum ex vlcere emanat, & turgere vlcus videtur: ſic enim interpretatur Galenus: pars quæ laborat, feſtinare & incitari ad excretionem videtur. Eodem modo apud Ariſtotelem accipitur. 4.Probl.9. inquit enim. Cur neque concũbere, neque euomere,neque ſternuere,neque flatum emittere oportet, niſi res turgente corpore vrgeat? An quia cum nõ turgemus, ſimiles terræ ſtirpibus ſumus: quibus euulſis aut alienum conuellitur quippiam, aut aliquid abſciſſum relinquitur, quod dolorem creat: Quæ certe ijs eueniunt,

qui

A qui cum non turgent, aliquid faciunt ex ijs, quæ modo retulimus. Idem videtur contingere medicamentis purgantibus cum propinantur ijs qui non turgent: nihil enim à parte laborante adimunt, cum cruda ſit affectio, & partes ſanas abſumunt. 4. Acut. 22. Si igitur hoc modo accipiamus verbum turgere, profectò verum erit, non conuenire medicamentum purgans, niſi turgeat, ideſt corpus expulſionem appetat: tunc enim naturam habemus adminiculantem. Quoniam verò vt plurimum facultas expultrix non inſurgit ad expellendum, niſi poſtquam concoxerit, & ſeparauerit inutilia ab vtilibus: idcirco ante id tempus raro turgent. Turgent in criſi, quo tempore noxios humores tentat expellere, quod ſi nequeat perficere, auxilio medicamenti purgantis promouenda eſt, & perficienda. 1. Apho. 20. Aliquando tamen ante coctionem turgent, quod Galenus in acutis contingere ait. 1. Aph. 24. Ideo in illis tantum ex vſu eſſe medicamentum purgans in

B initio: nam in longis morbis ſemper expectandam eſſe coctionem. Sed hic merito quis dubitabit. Non enim videtur conuenire eas excretiones moliri, quas ſi natura tentet, malum eſt. Sunt autem prauæ omnes excretiones, quas natura molitur ante concoctionem. 3. criſ. 10. & 4. Aph. 22. Cauſa enim huius intempeſtiui aſſultus eſt morbi violentia irritans & acuta: Videtur enim natura nihil huiuſmodi poſſe tolerare, ſed ſtatim properare ad expellendũ id quod infeſtat, vt per vomitũ aut ſedẽ cum ſtomachus aut venter moleſtatur. Hæc Galenus. At ſi id verũ eſſet, nunquã Medicus vtiliter in initio neq; purgaret, neq; ſanguinem mitteret. An euacuatio quæ à natura fit in principio praua eſt tamquã ſignũ naturę ante tempus debitum ſtimulatæ ad expellendum? Arguit enim magnã cauſam violentã aut malignam ſtimulantẽ præter naturam. Ideo ſymptomaticæ ſunt omnes huiuſmodi excretiones. Non autem prauæ ſunt tamquam effectus, ſi talia purgentur, qua-

C lia oportet 1. Aph. 2. Ex diminutione enim humorum prauorum relinquitur minus negotium naturæ ad reliqua concoquenda. Idcirco ſi à Medico fiat huiuſmodi euacuatio, idem habebitur iuuamentum ex diminutione: ſignum autem nullum prauitatis exiſtet. Colligitur hæc diſtinctio ex Galeno 4. Aph. 21. Deiectiones enim nigræ ſponte venientes malæ, vt ſignum prauæ diſpoſitionis: cum medicamento autem non malæ. Ex his igitur patet, cur in morbis acutis aliquando ante coctionem turgeant, quo tempore bonum eſt medicamentum purgans. Sed in longis vtrum contingat turgere in initio? Non videtur abſurdum, ſi per hoc verbum turgere accipiamus naturæ impetum ad expellendum, vt dictum eſt. Quid enim prohibet ſtimulari expultricem ab humoribus craſsis & frigidis, à quibus fiunt morbi longi, cum prauam qualitatem adepti fuerint? Quin & ſola quantitas ſtimulare ſolet. At quia humores craſsi inepti ſunt ad motum, & vias obſtruũt,

idcirco

idcirco vt plurimum conatus ab ipſis fiunt inutiles, quibus non ſucce- D
dit excretio, aut pro humoribus vitioſis excernuntur non talia qualia oportet. Propterea his medicamentum purgans non conuenit:ſed potius ſedanda eſt perturbatio,& molienda eſt concoctio: vt cum ſigna coctionis apparuerint,quam primum purgentur. In his enim,vt optime monet Alexander Trallianus, non eſt expectanda integra concoctio,ſed ſæpius iteranda purgatio,quia in tẽpore diuturno quod concoctum eſt cæteros non expectat. Nam cruditates fuſæ digerentibus medicamentis turgentiam faciũt, ideo imminet periculum,ne in partem principem ferantur. Dum autem crudi ſunt, non videntur moueri poſſe de loco ad locum. Quod ſi in apoplexia moueantur ad ventriculos cerebri, id fit, quia fuſi ſunt: ideo in eo caſu adeſt turgentia ex humoribus frigidis: ſic aliquando in angina ex humoribus prædictis. Turgent enim antequam figantur humores. Si igitur humores crudi & fixi in aliqua parte non requirunt medicamentum purgans ante- E
quam concocti ſint,non dicuntur turgere,licet pars irritetur ad expellendum, inutiliter enim irritatur ante coctionẽm, vt in tuſsi ſicca, & teneſmo. Ad turgentiam igitur non ſolum requiritur partium impetus ad expellendum, ſed & motus humorum de parte ad partem. Et hoc modo ſemper ubi turgeant, requiritur medicamentum purgans. At verò aliquando venæ ſectio videtur ſatisfacere poſſe ad turgentiã. Si enim in humorum defluxionibus facientibus apoplexiam, anginã, pleuritidem, phrenitidem & alia huiuſmodi, adeſt impetus partium ad expellendum, & motus humorum de parte ad partem, turgere dicentur: His autem præſentaneum eſt remedium uenæ ſectio. quod & colligitur ex 4. Acut. 28. vbi ad huiuſmodi defluxiones, uenam, inquit, confeſtim ab initio ſecare oportet, cum nondum fixa ſunt omniã quæ contriſtant. Particulatim autem ex pleuritide ſic argumentari licet. Hippocrates 2. Acut. 11. in pleuritide deſcendente ad hypochon- F
drium purgat in initio elleboro aut peplio medicamẽtis validiſsimis, quæ veritus Galenus ob nimiam caliditatẽ, laudat magis venæ ſectionem. Si ergo ratione turgentiæ Hippocrates purgat in principio, cur Galenus præfert venæ ſectionẽ, ſi hæc non confeiat, vbi turget. Quod ſi non turgeat, admittitur ergo in principio medicamentum purgãs, cum non turget: quod aduerſari videtur 1. Apho. 22. vbi in principijs purgationem negat, niſi turgeat. Quod ſi etiam venæ ſectio conueniat in materia turgente, mirum eſt, nunquam fieri mẽtionem turgentiæ, niſi cum purgandum ſit. Inquit enim Hippocrates 4. Aph. 10. Medicari in valde acutis, ſi materia turget, eadẽ die, tardare enim malum eſt. Non præcipit venam ſecandam. Quaſi verbum turgere non ſignificet cuiuſcunque humoris motum, ſed prauorum tantũ, quibus conuenit purgatio non uenæ ſectio: idque in acutis, in quibus ob motus celeritatem

A celeritatem imminet periculum, ne in partem principem ruant. Nam in longis motus non fiunt celeres: nec eſt neceſſe eadem die medicari, cum dent inducias. Quibus hoc modo conſtitutis uidendum eſt, vtrum abſque turgentia liceat in principijs vti medicamento purgante: Nam concocta materia purgandum eſſe nemini dubiũ eſt, ſeu turgeat, ſeu non. Videtur quidem Hippocrates omnino negare purgationem in principio, niſi turgeant: at præceptum id non videtur obſeruare in pleuritide. Nam in dolore aſcendente ad iugulum venam ſecat, in deſcendente purgat, non quia turgeat, cur enim magis in hac turgeat, quam in illa? & quomodo raro, cum in omni pleuritide deſcendente purget in initio? Dicendum eſt igitur Hippocratem negare purgantia medicamenta in materia cruda: ſunt autem cruda, vel quia craſſa & viſcoſa, vel quia infixa in particulis. Ideo ante coctionẽ non poſſunt auelli: hæc tamen aliquando ſed raro licet medicamento
B purgante extrahere, ſi turgeant. Plurima autem non turgent, quia vt inquit Galenus frequentius accidit, vt maneant in aliqua parte, in qua concoquuntur toto morbi tempore vſque ad eius ſolutionem. Cruda igitur turgere raro contingit. At concocta, vt plurimum turgere, non eſt abſurdum: inſurgit enim natura ad expellendum: Omnes quoque humores praui antequam figãtur in aliqua particula turgere poſſunt, cum expelluntur à natura de loco ad locum. Hi vero ſiue actu moueantur, ſiue non, purgatione egent non expectata alia coctione, niſi forte præparatione aliqua in humoribus craſsis: nam tenues & calidi paratiſsimi ſunt ad excretionem vt Galenus teſtatur 3. Progn. 23. Quę enim natura iam ſeparauit tanquam inutilia, expellenda ſunt, antequã decumbant in aliquam particulam: Nam poſtquam decubuerint, noua egent concoctione. Si igitur hæc ita ſe habent, patet, in principio morborum ſæpius ex vſu eſſe purgationem, aliquando & venæ ſectio
C nem, aliquando vtrumque: vt tamen præcedat venæ ſectio. 4. Acut. 21. Idque antequam humores ex toto figantur: ſic enim diminuta materia reliquum facilius concoquetur. Et hoc eſt, quod præcipitur 2. Aph. 29. Inchoantibus morbis, ſi quid videtur mouendum, moue. Non enim ratione turgentiæ id dicitur. Nam humores non dum fixi ſeu turgeant, ſeu non turgeant, euacuari utiliter poſſunt. Fixos autem non licet euacuare, niſi natura eos commouerit, quod eſt turgere: Id autem contingere videmus aliquando & raro, pręcipue in morbis acutis vbi humores fuerint tenues: Nam in angina ex flaua bile, videmus aliquando tranſmigrationem fieri humoris ad pulmonem, & ex pleuritide aut peripneumonia ad cerebrum & neruos: idem in febribus ardentibus aut malignis aliquando contingit; non ſolum in principio ſed & in toto morbi decurſu, rarius tamen in principio: quia natura conſueuit prius coctionem aggredi, quã expellere, vbi in aliqua parte

humores

humores fuerint infixi. Ex his patet bene Raſim dixiſſe: purgandum D in initio, vbi humores fuerint tenues, etiam ſi non turgeant. Intelligit enim non infixos, ſed mobiles: Expectandam coctionem ſolum in craſsis & viſcoſis, hi enim mobiles non ſunt, niſi prius fundantur incidantur & attenuentur, quæ coctio quædam eſt, licet non perfecta. Bene quoque Auicenna monuit, etiam in tenuibus expectãdam eſſe coctionem, niſi turgeant: intellexit etiam infixos & immobiles, qui neque ſigna aliqua coctionis oſtendunt in vrinis, cum immobiles & con cluſi maneant, non reddentes aliquam hypoſtaſim. Signum quoque admodum fidum eſt, quod 4. Acut. 43. ſcribitur. Quibus principio vrinæ nebuloſæ & craſſæ, purgare conuenit cæteris annuentibus, quibus tenues, nequaquam. Rationem affert Galenus, quia illis adſunt ſigna coctionis, in tenuibus nequaquam. Humores enim, qui in aliqua parte non ſunt concluſi, non dicuntur crudi, cum hypoſtaſim faciant in vrina. At dicet quis. Principium morborum dicitur, in quo natura E adhuc non aggreſſa eſt coctionem. Quomodo ergo in principijs vrinæ ſint craſſæ & nebuloſæ, quæ coctionem oſtendunt? An principiũ dicitur cruditatis tempus ratione humoris collecti in particula, non ratione eius qui colligitur? hic enim non eget coctione, cum non adhuc faciat morbum. Ideo purgatio in principio magis ad præſeruationem facit, quam ad curationem: aufert enim cauſam antecedentem morbi, non coniunctam. Addit autem, cæteris annuentibus, propter varia impedimenta, quæ ſolent in morbis acutis contingere, enumerata à Galeno 1. Aph. 24. Ideo cum præmeditatione faciendum. Nam ſi inflammatio affuerit, prius ſecanda eſt vena, dein molliter purgãdum 4. Acut. 21. Si obſtructio ob craſſos & glutinoſos humores, attenuare & incidere prius oportet. Si febris vehementia reſpuat calida medicamenta, vtendum frigidioribus, ac leniter purgantibus, quibus hodie vtimur, vt ſunt tamarindi: caſsia: manna: ſyruppus ex infuſione roſarum, violarum, diaprunis, & alia huiuſmodi. Nam & Hippocrates, cũ F eo tempore non eſſent manifeſta huiuſmodi medicamenta, in febre ardente purgabat ex lacte aſinæ, quamuis febricitantibus ſit inimicũ 4. Acut. 7. & Galenus pro lacte etiam ſero utebatur. Vſus quoque mulſæ crudioris faciebat ad exonerandas per aluũ primas venas 12. Meth. 3. In proceſſu vero morbi cum ſuſpitio aliqua fuerit turgentiæ, ſiue in augmento ſiue in ſtatu, quando quieſcere melius eſſet teſte Hippocrate: Rhabarbarum ſæpiſsime ægrotantes à maximis periculis reuocauit. Quod ſi febris vehementia non adeo vrgeat, tum in initio tum in progreſſu etiam vehementiora medicamenta conueniunt: vt Diaphinicon: & Electuarium Roſatum apud Meſuem, & alia.

Aqua

A

Aqua frigida potum in vehementiſsimis tantum febribus conuenire. Quæſt. VII.

QVAMVIS frigidæ potio remedium ſit febris vt febris 11. Meth.9. nam feruorem extinguit, aduerſatur putredini, tumorem venarum, qui per ebullitionẽ attollitur, compeſcit, vt frigidæ inſtillatio in ollis feruentibus, vnde & pro venæ ſectione conuenire poſsit. Tamen ob pericula ſolum in febribus vehementiſſimis vſurpatur & in ſtatu, cũ febris eſt maxima, vt morbo magno opponatur remedium magnum. Duo enim hæc maxima traduntur febrium continentiũ remedia, aquæ frigidæ potio, & ſanguinis miſsio. 9.Meth.5. Intelligitur autem remedium maximum, ſi non tantũ actu frigida, ſed & prorſus gelida, & in multa copia exhibeatur. Nam alio-
B qui poſſet per antiperiſtaſim calorem augere. Mẽſura autem eſt apud Galenum 1.Acut.43.ad ſatietatem vſque quantumlibet. Sed in pleuritide quantum inſpirando haurire poſsit. Requiruntur autem ſigna euidentia coctionis & virtus valida. Multa præterea ſunt, quæ dehortantur, vnde Medici in hoc remedio formidoloſi reddũtur, ſed ob imperitiam, vt Galenus notat. In primis eſt obſtructio, quæ ob craſſos & viſcoſos humores fit: & putridus humor nõ concoctus incommodat, quia ob refrigerationem craſsiores redduntur: Obſtat etiam phlegmone, œdema, ſcirrhus, quia indurãtur à frigore: Præterea frigidarũ partium imbecillitas, vt gulæ, ventriculi, veſicæ, neruorum, ſepti tranſuerſi: vnde pericula imminent ex potu frigidæ, ne incidant in difficultatem reſpirandi, deglutiendi, concoquendi: fiunt & conuulſiones, tremores, reſolutiones neruorum, & alij graues affectus, præcipue in extenuatis, & vbi vires ſunt imbecillæ. Renuit etiam hoc remediũ aeris
C ambientis frigiditas, & conſuetudo, vbi æger non ſit conſuetus frigidã bibere. Verum in omnibus comparanda eſt vis remedij cum noxa: & conſiderandum vtrum noxa corrigi poſsit. Si igitur vehementia caloris omiſſo eo remedio maius periculum allatura ſit, quam remedij noxa: audacter faciendum eſt: audactius, ſi noxa quæ infertur, corrigi poſsit. Vt in phlegmone exhibet Galenus, ſi timeatur hectica 10.Meth.6. inquit enim: ſatius eſt phlegmonas in præſens augere, quam ſinere febrem hecticam inuadere. Quod ſi humores putreſcentes non fuerint in parte principe, non adeo verenda frigidæ potio: nam concedit Galenus in pleuritide 1. Acut.43. At eryſipelas quod verum ſit, non aliter ſanaueris, inquit, 9. Meth.5. nec in eo expectat coctionem, hãc vero expectat in eo, qui mixtus eſt cum phlegmone. Obſtructio, dum febris eſt vehemens, tolli nequit per incidentia & abſtergentia: at extincto calore facilius & tutius adminiſtrari ea poſſunt: nã & noxa

ſi quæ

ſi quæ facta eſt ex frigidæ potu, corrigetur. Febres tamen in frigidis D
humoribus non ſunt adeo vehementes, vt hoc remedium expoſcant. Humores putridi non omnes renuunt hanc refrigerationem, ſed tantum qui proprie crudi dicuntur, nempe frigidi & craſsi. Nam bilioſi requirunt, ut patet in eryſipelate. Porrò in magna putredine febrium peſtilentium Arabes exhibent, nec vnica vice, ſed ſæpius iterata potione non ſolum ad extinguendum feruorem, ſed etiam ad propellendũ ab internis ad externa materiam peſtilentem, vt ſolet in exanthematibus natura expellere. Galenus quoque exhibet in colliquantibus 10. Meth. 11. idque quam primum faciendum præcipit, non expectata coctione: quæ enim coctio ſperatur in colliquantibus? Dum igitur adeſt robur uirium extinguendus eſt feruor, vt natura roborata poſsit peſtilentiam expellere, & reliquias concoquere. Quod ſi neque coctio neque robur virium adſit, ſolis prognoſticis æger eſt relinquendus, 11. Meth. 9. ijs enim neque aquæ frigidæ potus neque vlla remedia conueniunt. E
Antequam ergo uires valde labefactentur, cum præterierint ſigna cruditatis, non eſt procraſtinandum, etiam ſi debilis concoctio appareat, dummodo ſit euidens. Periculum enim eſt in vehementiſſimis febribus, & in magna putredine, ne pro ſignis coctionis ſuperueniant ſigna inconcoctionis, quæ lethalia ſunt. Cum aliqua fuerint, quæ obſtant, potio mitigari poteſt, ſi frigida, nõ planè gelida exhibeatur: ſi non in magna copia, ſed compenſetur refrigeratio iteratis uicibus donec ſufficiat: vt in cæteris magnis remedijs facimus, tum in uenæ ſectione, tum in purgantibus medicamentis. Nam Galenus 10. Meth. 6. poſt cibos aquæ frigidæ potu vtebatur, quo tempore non conuenit larga copia: hoc modo prohibet, ne ex ephemeris tranſeant in hecticam: ſic enim tuto extinguitur feruor, ſeruato robore partium. Quod autem dicitur de conſuetudine, eodem modo eius uis conferenda eſt cum vi morbi. Nam vbi vrget morbus, tranſeundum eſt ad F
inconſueta. Frigidus aeris ſtatus prohibet quidem extremum hoc remedium, quia corpus ab inſpirato aere refrigeratum non ſuffert eam refrigerationem, quæ in æſtate requiritur. Ob id Hippocrates ſcripſit 1. Acut. 43. Oxymeli æſtate quidem frigidum, hyeme vero calidum dandum eſſe. Quod ſi & hyeme vrgeat morbus, mitiganda eſt potio, vt dictum eſt. Accidit autem animalibus in vehemẽti æſtu & in febribus, quod plantis accidere ſolet in æſtate. Cum enim ab aere ambiẽte non ſatis refrigerentur, ſphaceliſmum patiuntur, corrupto per marcorem eorum calore, niſi auxilium paretur: ad radices enim quædam genera lapidum ſubdunt, & aquam in vaſculis, vt radices refrigerentur, Ariſt. in lib. de iu. & ſen. cap. vlt. Sic animalia ad conſeruationem caloris natiui, cum nõ ſufficit reſpiratio, vel ob externi aeris feruorem, vel ob febrem, egent refrigeratione per cibos & potus. Alimentum enim ingre-

A ingrediens primum refrigerat, antequam concoquatur, ſed præcipue
potus: eſt enim ſitis deſiderium frigidi & humidi, vt refrigerentur lo-
ca circa ventriculum, ad quæ perueniunt venæ & arteriæ tamquam ra
dices plantarum. Cum igitur ſecundum naturam indita ſit appeten-
tia frigidi potus, ut in ſanitate conſueuimus, multo magis vbi vrgeat
neceſsitas ob extraneam caliditatem, frigidus potus concedendus eſt:
hoc enim eſt vnicum auxilium ex ijs quæ per ſe refrigerant. Nam ve-
næ ſectio & purgantia per accidens refrigerant euacuata materia cali-
da. Quæ autem potentia frigida ſunt, ſi non exhibeantur actu frigi-
da, non cito refrigerant, oportet enim prius duci ad actum: at quomo
do in eo feruore non conuertantur potius in naturam calidam, vt li-
gna in igne? hoc enim medicamenta frigida patiuntur, cum diutius
manſerint in corpore 3. Simpl. 18. Hæc dicta ſint aduerſus eos, qui ſiti
non ſolum cruciant ægrotantes, ſed etiã ſæpe enecant. At dicet quis.
B Si hæc vera ſunt, non tantum in vehementiſsimis febribus conueniat
frigidæ potio, ſed etiam in cæteris mitioribus & in omni intemperie
calida internarum partium, vt innuit Hippocrates 4. in 6. Epid. 13. vbi
laudat in calidis naturis aquæ potum: quamuis hunc locum ſuſpectũ
habeat Galenus 8. Meth. 3. Nam idem Hippocrates 3. Acut. 40. Aquæ
potum damnat in morbis acutis & in naturis bilioſis, nam bileſcit. So-
lum concedit vbi eſt fortis capitis grauitas vel mentis læſio, in quibus
non conuenit uinum niſi aquoſum flauumque & prorſus inodorum,
quod cum exhibet, præcipit, ut exiguum aquæ ſuperbibatur, prohi-
bet enim ne caput tentet. Interponit etiam aquæ paulum inter oxy-
meli & mulſam, vt magis inundet & ſputum educat. Nam ſi quis aquę
potione prorſus vtatur, cæteris minus tuſsim ſedat, neque ſputum edu
cit, multaque alia incommoda præſtat: Hypochondrio infeſta: ſi ve-
nerit in vacuitatem, vires maxime labefactat: lienem & iecur adau-
C get, vbi phlemone obſidetur: fluctuat & innatat: tarde permeat, quia
frigida & incoctibilis eſt: neque aluum deijcit: neque vrinas mouet:
nocet etiam, quia ſtercoris ſuapte natura expers eſt: quam ſi pedibus
frigentibus quis biberit, multo magis nocebit. Hæc apud Hippocra-
tem. Quæ pleroſque medicos adeo auerterunt à frigidæ potu, vt me
rito pſycrophoui à Galeno appellentur inſtar eorum qui demorſi à ca
ne rabido in aquæ pauorem inciderunt. Sed tamen idem Hippocra-
tes paulo poſt inquit. In quibus autem maxime aqua utendum ſit, &
quando ualde multa, & quando modica: & quando gelida, & quan-
do calida: partim quidem dictum eſt, partim uero ſuo tempore dice-
tur. Dixit quidem antea potum æſtate frigidum, hyeme calidum dan
dum eſſe: & aquæ utilitates cum alijs potibus interponitur. Interius
autem in curatione febris ardentis 4. Acut. 5. inquit. Huic aquæ, mul
ſæque coctę & aquoſæ quantũ voluerit dabis: quo in loco magnam

quantitatem laudat, & obſeruat, quæ præcepit 3. Acut.40.non deti- D
nendum eſſe ægrotantem ſolo potu aquæ, nam vires maxime labefa-
ctaret, cum careat conſiſtentia, quæ in ſtercus abit: ſed interponen-
dum inter alios potus, qui aliqua ex parte nutriant, vt oxymeli, mul-
ſam, vinum: eligit autem in febre ardente mulſam coctam & aquo-
ſam, ne ſubſtantia mellis bileſcat. In medio igitur aliarum potionum
aquam tempeſtiue quis ingeſſerit, inquit Galenus 3. Acut.40.& præ-
ſertim cum ſiticuloſus æger fuerit. Eoſdem potus laudat in angina 4.
Acut.30.ſed non frigidos: inquit enim: Bibet aquam & mulſam nō
frigidam. Quamuis autem liber quartus Acutorum non cenſeatur
Hippocratis, ſententiæ tamen prædictæ à Galeno probantur: conſen-
tiunt enim cum ijs, quæ in libris legitimis ſcribuntur. Facile igitur
ſoluuntur obiecta. Supponendum autem, aquæ vires ſecundum pro-
priam naturam infirmiſsimas omnium eſſe, cum nullas qualitates præ-
ſe ferat, nec acrem, nec ſalſam, nec acidam; nec tandem ſapores vllos, E
in quibus vires efficaces medicamentorũ conſiſtunt: Quamuis enim
dulcis appelletur, potius priuationem omnium ſaporum ſignificat.
Ideo ex propria natura minimam omnium impreſsionem facit in cor-
pore, niſi valde gelida, aut feruens adhibeatur: ob acquiſititiam enim
qualitatem non ex propria natura aut vrit, aut vehementer refrigerat.
Impotens etiam eſt ad nutriendum ſola epota: hac multo potentior
eſt mulſa. 3. Acut.19. deinde vinum album olygophoron. Ergo aſſum
pta aqua in magna quantitate minus afficit, quam reliqui potus. Nam
oxymelitis aut uini, quorum virtus eſt potentior, non eſt tutum inſi-
gnem copiam aſſumere. Talis autem cum ſit aqua puriſsima, facilli-
me alienas qualitates recipit: nam vini pauxillum eam vinoſam red-
dit, non aquæ pauxillum vinum reddit aquoſum: facilius enim aquã
in vinum conuertitur, quam uinum in aquam. Ob eandem rationem
in bilioſis aqua redditur amara: non ſic vinum. Non eſt igitur aqua F
magnum remedium ex natura ſua, ſed quatenus adiunctum habet ex
ceſſum aut frigoris, aut caloris: vnde & maximum auxilium præbet
tempeſtiue exhibita, aut maximum detrimentũ, ſi intempeſtiue. Qui-
bus autem frigida tempeſtiue exhibeatur dictum eſt: ſcilicet ad ma-
gnum feruorem extinguendum: non autem ad promouendas excre-
tiones ſeu per ſputum, ſeu per vrinas, ſeu per aluum, aut ſudores: im-
potens enim eſt ex ſui natura: licet aliquando per accidens ea præſtet:
roborata ſcilicet facultate concoctrice & expultrice. Neque periculũ
eſt, ne innatet in uentriculo, aut tardius permeet, vnde aliquando inſe
quuntur tenſiones hypochondrij, lienis, & hepatis. Nã vbi vehemens
adeſt caliditas in viſceribus, cito attrahitur in venas, & diſsipatur. Ideo
non conuenit hoc remedium in febribus mitioribus: niſi enim vehe-
mentem caliditatem inuenerit, immoratur in hypochondrijs, & alias
noxas

A noxas infert, quas recenſuit Hippocrates. Ideo in eo caſu alijs potionibus utendum eſt, & parciori quantitate, ne copia grauent: nunc actu frigidis, nunc calidis, vt affectus poſtulat. Ad uehementem refrigerationem, nihil aliud tuto præſtat quam aquæ frigidæ potio: alia enim omnia lædunt, ſi in magna copia aſſumantur, in parua autem non ſufficiunt.

Tria eſſe genera victus ægrotantibus neceſſaria, Quæſt. VIII.

INDICAVIT Hippocrates libro primo acutorum tria hæc genera uictus in morbis acutis neceſſaria: primum tenuiſsimum, qui in ſolo potu conſiſtit: alterum tenuem, qui in cremore ptiſanæ: tertium pleniorem, qui in tota ptiſana, quæ & ſim-
B pliciter ptiſana uocatur, craſsior cremore, ſorbilis tamen: vltra quem transferuntur conualeſcentes ad reliqua cibaria ſanis conſueta. Per ſolum autem potum intelligit uel mulſam, vel oxymeli, vel vinum, vel aquam ordei, aut ſimile quid. Aqua autem ſimplex nō aſſumitur pro vllo genere uictus, quoniam per ſe nulla ex parte nutrit, cū careat corpulentia, & vt Hippocrates inquit, ſtercoris expers ſit. Sed aliquando ceteris potibus aut ſorbitionibus interiecta iuuat, vt ſuperius à nobis explicatum eſt. Talis autem uictus in acutiſsimis conuenit, qui non vltra quartam diem progrediuntur. Vtebantur tamen antiquiores etiā in ijs, qui ad ſeptimam accedunt, dummodo vires perferre poſſent. At noſtris temporibus ſolo potu vix ad quartam diem peruenire poſſunt ſine magno virium diſpendio. Cremor autem apud Hippocratē prælatus eſt ex hordeo, Galenus etiam laudat ex chondro, quod eſt zeæ genus, ſeu farris, latini halicam vocant: alij etiam ex auena: ex quibus
C diligenter coctis in aqua exprimitur ſuccus, qui cremor uocatur. Similis ſorbitio eſt & quæ fit ex farina tritici in multa aqua decocta, cuius mentio ſæpe reperitur apud Hippocratem in libris de morbis. Cyceō autem vocabatur, cui etiam caſeum erat adiectum, aliquando mel, aliquando vinum. Quemadmodum autem cremor tenuis quædam eſt ſorbitio victum tenuem exhibens: ſic cum craſsior eſt, pleniorem victum conſtituit in longioribus morbis commodum, & vbi vires non ſufficiunt ſolo potu & cremore. Hodie pro ptiſana tota aliud genus ſorbitionis paramus ægrotantibus, cum præcipue hordeum nauſeam gignat, vtpote cibus non conſuetus in ſanitate. Incoquimus panis medullam detritam in aqua, aut iure pulli, donec ſorberi poſsit, aut ſine labore deuorari. Etiam in aqua frigida panis optimi medullam diutius maceramus, donec molliſsima fiat, adiecto aceti aut alterius ſucci acidi parum, vbi cibum frigidum expetimus. Ex carnibus quoque

contuſis craſsior quædam ſorbitio paratur, quod contuſum vocamus. D Adeo vt quemadmodum ex hordeo tam potus aquæ ordei, quam ſorbitio cremoris, & ptiſanæ totius fieri ſolita eſt apud antiquos: ſic hodie ex pane & carnibus decoctis ſimilia parentur. Nam ius, & aqua ſtillatitia ex pullo potius quidam ſunt: Carnium optime decoctarum expreſsio, quæ refrigerata condenſatur in gelu, cremor quidam eſt: ipſum contuſum eſt craſſa quædam ſorbitio. Neceſſaria autem ſunt in ægrotantibus, hæc tria genera victus: quoniam ſolidiores cibos nō ferunt. Facilius enim eſt impleri potu quam cibis 2. Aph. 11. Ideo in acutiſsimis ſolus potus conuenit, hic enim minime grauat naturam. In acutis cremor: in cæteris tota ptiſana, & quæ ei ſunt proportionalia. Secundum hunc ordinem etiam ægrotantes transferendi ſunt de vno genere victus in alterum pro morbi magnitudine ſeu vehementia & temporibus. Nam vbi ex ſolo potu transferendi ſunt ad ſorbitiones, prius conuenit cremor, deinde ptiſana 1. Acut. vlt. Quod ſi propter vires perdurare nequeant cum ſolo potu, ab initio poſt potum ſorbitio aliqua adijcienda eſt, vt accedentibus ad ſtatum dematur aliquid ſenſim de ſorbitionibus. Aliquando tamen è conuerſo. Nam in pleuritide quamdiu nihil expuitur, ſolo potu vtitur Hippocrates: cum vero ſputa adueniunt, ſorbitiones concedit, eaſque auget, quo magis ſputa procedunt, vſque ad iudicationem & ultra per duos dies: tunc mane ſorbitionem dat, veſperi transfert ad alios cibos 1. Acut. 25. In quo loco non videtur obſeruare id quod præcepit 1. Aph. 10. ſcilicet in ſtatu & parum ante illum ſubtrahendum cibum, & 2. Acut. 37. Detractioni incumbendum magis quam adiectioni. Num id fallit in pleuritide & peripneumonia, quia augere vires oporteat ad ſputi eductionem? At in cæteris quoque morbis viribus egemus robuſtis ad criſim perficiendam: ſed has ab initio coniectari oportet, vtrum ſufficiant cum eo victu, ne in ſtatu, quando victu tenuiſsimo vtendum eſt, cogamur amplius nutrire 1. Aph. 9. An declinatio eſt, cum ſputa procedunt? minuitur enim dolor 1. Acut. 27. In ſtatu autem omnia grauiora 2. Aph. 30. Quod de ſymptomatis intelligendum eſſe vult Galenus: Nam diſpoſitiones in conualituris melioris conditionis ſunt in ſtatu, quam in principio ob coctionem. Tenuiſsimus tamen victus in ſtatu requiritur, tum propter acceſsiones grauiores, tū propter ſymptomata, quos labores vocat Hipp. 1. Aph. 7. vt Galenus interpretatur. Nam licet in ſtatu diſpoſitio aliquando melior ſit, in quibus ſequitur declinatio: vehementiores tamen ſunt acceſsiones & caſus: vnde ſummos habent labores, & omnia grauiora. Cum ergo in pleuritide remittuntur ſymptomata, vt dolor, etiam diſpoſitionem remitti neceſſe eſt. Inſequuntur enim ſymptomata ad morbos. Sed aduerſus hanc ſententiam opponitur, quod ſcribit Galenus 1. de Criſ. 18. Ex coctione ſputi tēpora conſide-

A conſideranda in pleuritide: nam cum nihil expuitur, omnino cruditas eſt & morbi principium: cum expuitur quidem, ſed paucum & tenue, adhuc circa principium uerſatur: cum autē pauca cocta expuunt iam augmentum eſt, & reliquo tempore vſque ad ſtatum ſemper eo plura ac meliora, & facilius expuunt. Cum vero exquiſite cocta fuerint, & multa & ſine difficultate educta, tunc ſtatus eſt tempus. Quando verò ſimiliter quidem exquiſite cocta & ſine moleſtia educta, atque eorum multitudo minuta fuerit, dolorque non amplius affuerit: tunc ceſſare ſtatum oportet, ſubſequitur enim declinatio. Hæc Galenus. Cum igitur Hippocrates pro augmento ſputi ſorbitionem auget vſque ad iudicationem, non in declinatione id facit, ſed in augmento morbi. Quod ſi id verum eſt, ratio à Galeno poſita in Commento veriſimilior eſt, vt ſcilicet ſorbitionis auctione roborata natura, melius fiant expurgationes è thorace: validioribus enim egemus uiribus in B expurgationibus per tuſsim, quam in cæteris. Verū non ob hanc cauſam concedi ptiſanam, colligi poteſt 1. Acut. 33. vbi inquit Hippocrates: Si lateris dolor aſsiduus eſt, calidiſque fomentis non remittitur, ſputúque non procedit, ſed abſque coctione glutinoſum ſit, niſi quis dolorem uel alui ſubductione, vel ſecta vena pro vtriuſque exigentia ſoluerit, ptiſanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem. Quaſi ceſſante dolore ob quamcumque cauſam, concedatur ptiſana: Idem colligere licet 2. Acut. 13. vbi poſt purgationem ex medicamento, quod in principio adhibet, ſorbitionem dat, eandemque perpetuo liberalius exhibet, ſi & dolor ceſſauerit, & nihil aliud obſtiterit. Quod autem dolor non ſemper ſcreatione deſinat, ſed alijs multis modis, patet 2. Progn. 52. vbi inquit. Quicumque dolor in his affligit ſedibus, non deſinens neque ſcreationis purgatione, neque ventris ſubductione, neque uenæ ſectione, ac medicamento & victus ratione, C in ſuppurationem uerti ſciendum eſt. Dicimus igitur, ceſſante dolore ob quancumque cauſam ex dictis, inflammationem in declinatione eſſe: ideo recte ſorbitiones augeri. Sed cum inflammatio non unicus ſit morbus ſed plures: neque eorum tempora coincidant, ſit, ut ratione vnius morbi declinatio ſit, alterius uero ante ſtatum. Quatenus enim tumor morbus eſt organicus nempe in magnitudine; tempora non penes cruditatem & coctionem conſiderantur, ſed tantum penes ſymptomata: coctio enim & cruditas in intemperie tantum cum materia conſiſtit, qui morbus eſt ſimilarium. Ad morbum autem in magnitudine ſequitur tenſio & dolor, quæ augentur dum tumor augetur, & deſinunt, cum minuitur: nihil autem refert, ſi dolor aliquando non tenſiuus, ſed punctorius ſit: inſequitur enim & hic ad tumorem aliquem. Coctio autem humoris ulterius protenditur. Poteſt enim tumor ante coctionem deſidere ex uenæ ſectione, aut purgatione:

vnde quorumdam ſententia orta eſt: non eadem eſſe tẽpora ſymptomatum & coctionis, non animaduertentes id fieri ob morborum diuerſitatem, ſed putantes unum & eundem morbum eſſe, cuius ſymptomata vigeant in principio, coctio uero in ſtatu. At ſi vera ſunt, quę alibi dixit Hippocrates: circa principia & fines omnia imbecilliora, cũ vero conſiſtunt, fortiora: neceſſe eſt tam diſpoſitiones quam ſymptomata conuenire in eiſdẽ temporibus: Quod ſi uideantur aliquãdo diſcrepare, vt innuit Gal. 3. Acut. 62. id fieri putandum eſt, quia nõ unus ſit morbus, ſed plures. Dum enim fit coctio, febres fiunt vehementiores, & ſymptomata febrem ſequentia eodem modo, vt dum pus conficitur. Dum vero colligitur materia, alia oriuntur ſymptomata, vt dolores, & quæ dolores inſequuntur: hæc autem pro ratione collectionis augentur, & pro ratione diminutionis minuuntur. In ijs vero quæ ſuppurãtur, perſeuerat morbus in magnitudine, quam diu coctio perficitur & ſimul declinat tumor, & concoctio, & vtriuſque morbi ſymptomata. Succedit autem alter morbus in numero, qui abſceſſus dicitur, ob puris collectionem: qui declinat per vomicæ diſruptionem, & puris euacuationem. Ratio autem victus in ſingulis varianda eſt, pro diuerſorum morborum genere, vehementia & temporibus. Nam in pleuritide vehementior eſt morbus, qui dolorem parit & reſpirandi difficultatem, ideo tunc victu tenuiſsimo vtendum eſt, ſolo ſcilicet potu, aut omnimoda abſtinentia, ſi vires ferant. Vbi remittitur dolor, morbus qui relinquitur, mitior eſt, qui ſcilicet coctione ſanari poteſt: ideo tunc conuenit ſorbitio primum cremoris, deinde ptiſanæ, donec morbus iudicetur. Tunc autem cum deſierit vterque morbus, tranſitus fieri poteſt ad reliqua cibaria niſi alter ſuperuenerit, vt in ſuppuratis. Idem obſeruandum eſt in cæteris morbis inæqualibus, ſeu ob plurium morborum complicationem ſeu ob infidas declinationes. Declinante enim morbo ob criſim imperfectam, non eſt abſurdum ſenſim cibum augere, & recidiuam faciente, detrahere pro morbi uehementia, alternatimque agere, donec omnino morbus iudicetur.

D E F

Balneum aquæ dulcis etiam in morbis acutis aliquando conuenire. Quæſt. IX.

QVOD Balneum aquæ dulcis totius corporis habitum refrigeret atque humectet, in febribus ephemeris, hecticis, & ijs quæ ex bile ortum ducunt, commodiſsimum remedium, patet. Quatenus enim tepidum adhibetur aut paulo frigidius, refrigerandi tantum & humectandi vim habet, quod in Hecticis requiritur, & in ijs ephemeris, quæ ex nimio æſtu, labore, vigilijs, & alijs cauſis exſiccantibus ortum ducunt. Quatenus autem paulo calidius adminiſtratur,

A ſtratur, vim relaxandi habet, ac mediocriter digerendi: quod ad effluxum calidorum vaporum facit in omni ephemera neceſſarium. Si adhuc calidius adhibeatur, fundit & efficacius digerit, quod in pleuritide & peripneumonia laudatur ab Hippocrate. 3. Acut. 58. Nam lateris, pectoris, & dorſi dolorem mulcet: ſputum maturat, atque educit: ſpiritum facilem reddit, vrinas cit: laſsitudines tollit, & alia multa præſtat: laudatur & in febre ardente, ſed minus: quamuis enim iuuet educendo ad ſuperficiem humores, lædit tamen ſua caliditate, niſi in fine transferantur ad lauacrum frigidum, aut frigidę aſperſionem, vt in Hecticis præcipitur, 10. Meth. 10. Sed aduerſus hanc ſententiam facere videtur, quod ſcribit Galenus. 7. Apho. 42. Inquit enim: vbi inflammatio aliqua, aut abſque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balneæ non ſunt vtiles antequam noxij humores euacuētur, aut concoquantur. Idem manifeſte dicitur 10. Meth. 10. Cum B enim balneum humores fundat, quoties in animali uel Phlegmone quæpiam, vel affectus Phlegmonæ ſimilis conſiſtit, vel vtrauis abundantia, ſiue ea quæ ad vires, ſiue ea, quæ ad vaſorum capacitatem confertur, omnium profectò inimiciſsimũ exiſtit. Nam Phlegmonæ quidem, cum calfacti & liquati ſucci ad ipſas confluunt, augentur. Tunicæ verò uaſorum impares abundantiæ, quæ iam ex liquatione ſpiritu eſt impleta, diſtenduntur, ac uires hoc ipſo male afficiuntur. An in eiſdem locis innuitur ſolutio? lædere enim, ſi non uacuato corpore adhibeatur: aut ante coctionem. Sed apertius explicatur 3. Acut. 62. ubi inquit: in uniuerſum de balneorum uiribus, ſi non antea uacuato corpore exhibeantur, membris affectis fluxionem pariunt: vacuato autē coctionem iuuant. Nempe corpore toto ante uacuato adhibita aduacuatoriam obtinent facultatem: Quo fit, ut ex febre ardente laborantibus ijs tantum opitulentur, qui ſine tumore uel Phlegmones uel C Eryſipelatos laborant, feruente in ipſis per totum corpus bile. Quod ſi coctionis ſigna habuerint, his multo magis conferent. Verum ſi æſtuoſa febris ob ſalſam pituitam putrefactam oriatur, aduerſiſsimum illis eſſe balneum ſcire oportet: neque enim pituitoſus humor vt bilioſus per cutim euacuatur: propterea quod tum craſſus tum glutinoſus ſit, neque extinguitur longa egens concoctione. Hæc Galenus. In hoc loco Balneum admittere videtur tantum in febre ardente ex flaua bile in toto corpore, non in ea quæ ex pituita ſalſa fit: neque ubi adeſt inflammatio aut Eryſipelas. Quomodo igitur in Pleuritide & Peripneumonia conferet? & magis quam in febre ardente, ut Hippocrates teſtatur? An ſi Galenum contradicere ſibi & Hippocrati nequaquam eſt putandum, eius verba hoc modo accipiēda ſunt. Quod enim ſcribit 7. Aph. 42. Vbi inflammatio aliqua, aut abſque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balneæ non ſunt

vtiles anteq̃ noxij humores euacuentur,aut concoquantur. Significat euacuationẽ quidem præcedere oportere,vbi inflammatio aliqua adeſt: coctionem autem,vbi ſola humoris putredo: hoc enim indicat coniunctiua particula, aut. Simili modo cum dicit 3. Acut. 62. Si non antea vacuato corpore adhibeantur, membris affectis fluxionem pariunt, de partibus inflammatis intelligendum eſt. Cum vero paulo poſt inquit: Quo fit vt ex febre ardente laborantibus, ijs tantum opitulentur,qui ſine tumore Phlegmones vel Eryſipelatis laborant: accipiendum eſt ſimpliciter abſque conditione illa, vt præcedat euacuatio: feruorem enim bilis extinguunt: non tamẽ feruorem pituitæ, ob prædictas cauſas. Nam in febre ardente non eſt neceſſe ab initio humores noxios euacuare, ſed egent extinctione aut concoctione. Vtrumque facit Balneum in biliosis. Sed in febre ardente ex pituita ſalſa dubitatio eſt. Negat enim Galenus vſum balnei, quia pituitoſus humor ob craſsitiem non euacuatur per cutim: neque extingui poteſt,cum egeat longa concoctione. Auicenna tamen balneum magis laudat in ardente ſalſa quam in biliosa. An aduerſiſsimum prædicat Galenus balneum in pituita ſalſa, ſi abſque præcedente euacuatione adhibeatur,vt de Phlegmone & Eryſipelate dictum eſt? Nam vniuerſaliter explicans remedia ad expellendam putredinẽ,quæ in toto corpore fit 11. Meth. 9. inquit: Sane totum corpus priuſquam id euacuaris, rarefacere non expedit. Vbi vacuatum eſt,vtique licebit id medicamẽto aliquo, cui calor tepidus inſit,rarefacias,cuiuſmodi eſt, quod ex chamæmelo conficitur: In hoc tempore, ſi vinum quoque aquoſum bibatur,id omnes euacuationes promouerit: idem faciat & temperatum dulcis aquæ lauacrum,& quæ ſequũtur. In ſola igitur ardente biliosa quocunque tempore balneum adhiberi poteſt, magis tamẽ confert, ſi coctionis ſigna apparuerint, & in declinatione, vt in cæteris. Confert aliquando in eiſdem, ſi quadrato corpore fuerint, & in media æſtate lauatio in aqua frigida: nam protinus ſuccedit ſudor aut biliosa excretio 11. Meth. 9. Quod autem Auicenna balneum laudet magis in febre ex pituita ſalſa,ob eandem rationem fit, quam Hippocrates animaduertit in Peripneumonia. Balneum enim digerens in illis affectibus magis confert, quam in febre ardente ex flaua bile, in qua potius extinctio requiritur,quam digeſtio. Quod autem Galenus in febre ex pituita ſalſa aduerſiſsimum balneum prædicat, quia pituitoſus humor neque per cutim euacuari poteſt, ob craſsitiẽ, neque extingui vt flaua bilis,prædictam expoſitionem declarat. Nam flaua bilis ob tenuitatem euacuari poteſt ante coctionem,& facilius extingui. Pituita extingui nequit, neque euacuari per cutim, niſi & multitudo ablata fuerit,& reſiduum eius coctione extenuatum. Patet autem hęc omnia de Balneo aquæ dulcis intelligenda eſſe: nam Sulphurea, aluminoſa,

A minoſa,ſalſa,& huiuſmodi alia ob naturam metallicam ſiccantia ſunt, ideo in febricitantibus abdicantur 11. Meth.9. Sunt tamen quædam parum ab aqua dulci differentia, quæ ob modicum teporem naturalem etiam in febribus Hecticis utilia reperta ſunt. vt Balneũ de aquis in agro Piſano. Modus autem vtendi duplex,tum in dulci,tum in naturalibus Thermis: aut natando,aut irrigando. Efficacius imprimunt irrigationes. Has laudat Hippocrates in Peripneumonijs, vt non ſolum totum corpus ſed & caput frequentibus perfuſionibus à miniſtris diligenter irrigetur: nã defluxiones, quæ à capite ad pectus fiũt, auertunt ad exteriora: tutius ſi continua fiat irrigatio conſtructo canali,quod aquam copioſam transfundat,quas vulgo Duccias vocant. His utimur in Thermis naturalibus aut ad caput tantum,aut ad ceruicem, aut ventriculum, aut ad aliam quamlibet particulam. Sed aquæ dulces capiti ſæpe noxia eſt ob cerebri humiditatem: ideo tutius oleis B irrigare hanc partem conuenit,nunc frigidis nunc calidis,vt oxyrhodino ſolemus in Phrenitide. Frigidum lauacrum non ſuſtinent corpora extenuata: ideo Hectici ex tepido ad paulo frigidius transferendi, cum egeant refrigeratione.Qui recte valent,abſque noxa è balneo calido ſeſe in aquam frigidam proijciunt: ſed qui ægrotant,contactũ frigidæ non ſuſtinent ſine læſione: Ob id frigidam calidæ mixtione ſupprimimus.Gal.3.Acut.49.Quoniã uero corpora madida in egreſſu ex calida ſponte refrigerantur,cito reſiccanda ſunt, & à frigore cuſtodienda,atque vngenda.

Ex arterijs per cerebrum diſcurrentibus neruos conſtitui oppoſiti lateris. Quæſt. X.

QVOD arteriolæ multæ veluti fibræ in egreſſu ex cerebro vel C ſpinali medulla in vnum veluti funiculum coeũtes neruum conſtituant, explicatum eſt in quæſtionibus Peripateticis. Quod autem arteriæ dextri lateris neruos conſtituant ſiniſtri, & è conuerſo, hinc patebit: Conferunt enim hæc Medicis ad notitiam particularum affectarum. Scribit Hippocrates in lib. de vuln. cap.inter cætera ſigna lethalia, illud. Plerisque,inquit, etiam neruorum diſtentio in altera parte corporis ſupernaſcitur: ſi quidem vulnus in ſiniſtra parte capitis fuerit, neruorum diſtentio dextram corporis occupat: ſi dextra capitis vulnerata ſit,nerui in ſiniſtra corporis diſtenduntur. Et ſuperius,vbi docet loca, in quibus uitare oporteat inciſionem, inquit. Eum enim,qui inciſus fuerit, neruorum diſtentio prehendit, acſi tempus ſiniſtrum inciditur, dextrum neruorum diſtentione occupatur,ſi dextrum,nerui diſtenduntur in ſiniſtro. Et in 5.Epid.narrat: Autonomum in Omilo ictũ in ſuturas in medio ſincipite, cui conuul

ſio

ſio ad ambas manus venit, quia, inquit, in medio capitis ac ſincipitis D
vlcus habebat. Et paulo poſt de famula quadam inquit, conuulſio ma num ſiniſtram inuadebat, nam in dextris magis vlcus habebat. Hodie non ſolum diſtentionem ſed etiam paralyſim eadem ratione oriri ſæpe uidemus. Ratio horum ſymptomatum ualde difficilis uiſa eſt. Quidam tamen in præciſione temporis hanc excogitarunt. Præciſo muſculo temporis dextri oppoſitus muſculus, qui in ſiniſtro eſt, non poteſt prohiberi, quin ad ſuum principium feratur: quod & in cæteris muſculis oppoſitis contingit: contrahitur enim ſemper pars ad latus ſanum. At hæc ratio non ſatisfacit in vulneribus, quæ ſupra muſculorũ regionem ſunt: nulla enim eſt in ijs muſculorum oppoſitio. Præterea ſi totum brachium conuellitur aut crus ex vulnere capitis in parte oppoſita, quæ læſio oppoſitorum muſculorum excogitari poſſit? Alij commenti ſunt, abrumpi in oppoſita parte aliquid intra caluariam ex ictu alterius partis, vt de ſciſſura cranei aliquando contingit: teſtatur E
enim Hippocrates rumpi aliquando in alia parte os, quam vbi plaga ſit. In colliſione autem cranei quæ intus continentur moueri ad partem ictam, ideo abrumpi in oppoſita parte aliquid, vnde ſequatur oppoſitorum membrorum conuulſio. At ſi lęſio aliqua in parte oppoſita, eius lateris conuulſionem facit, multo magis debuiſſet ex parte vulnerata in ſubiectas ſibi partes conuulſio oriri: at oppoſito modo fieri uidemus. Præterea commoueri quæ intra craneum ſunt in ictu ad plagam, ſolum in magnis contuſionibus contingere poſſit, habent enim vim quatiendi quæ intus ſunt. at in ſolis præciſionibus quati cerebrum non eſt veriſimile. Amplius cur magis ſecundum oppoſitionem dextri & ſiniſtri, quam ſecundum ante & retro fiat huiuſmodi diſruptio? vt enim vulnera dextræ partis lædunt partes ſiniſtras: ſic anteriora læſionem facient in poſterioribus, & è conuerſo. At ſolam communionem uidemus inter partes dextras & ſiniſtras. Hoc autem F
auxit dubitationem. Scribit enim Galenus, naturam diſtinxiſſe in cerebro per velamẽta partem dextram à ſiniſtra, ne unius noxa alteram afficeret. Cur igitur vulnus lateris dextri in craneo non facit conuulſionem in dextro corpore, ſed in ſiniſtro? Si autem in medio contingat, utræque partes conuelluntur, tam dextræ quam ſiniſtræ? An facillime omnes difficultates ſoluuntur, ſuppoſita ſententia quam prædiximus? Si enim nerui ſiniſtri lateris exoriuntur ex arteriolis dextri, & è conuerſo: quid mirum ex læſione unius lateris, quæ utplurimum inflammatio eſt, affici ſolum neruos oppoſiti lateris, nõ eiuſdem? Nec offenditur ſententia, quæ ex diuiſione dextri & ſiniſtri affertur. Diuiſum eſt enim cerebrum in partem dextram & ſiniſtram membrana intercedente ad ſimilitudinem falcis in ſuperiori tantum uſque ad eam partem, quæ baſis cerebri uocatur. In hac autem interſecant ſe arte-

riolæ

A riolæ ex dextris deſcendentes ad ſiniſtros neruos,& ex ſiniſtris ad dextros: vt videre licet in neruis viſorijs: quos Galenus putauit non quidem ſe interſecare,ſed coire tantum, ac reuerti ad oculum eiuſdem lateris: monitus ſomnio,vt teſtatur 10.vſ.par.12.ne ſpecies viſibiles duę vnius apparerent: vt contingit,quãdo alterum oculum quis è ſua ſede aut deprimit aut conuertit. Oportere enim, inquit, duos viſionis conos in idem planum incidere,vt vna appareat res,quod putat in coitu neruorum fieri. At ſi coitus neruorum in eodem plano cõſtituendus eſt cum axe vtriuſque coni,immobiles oculos eſſe oportebit: cũ enim flectuntur, ſi conus vltra chryſtallinum humorem protenditur ad neruorum coitum,frangi axem neceſſe eſt. Præterea ſtrabi deciperentur in uiſione, cum alterum oculum extra naturalem poſitionem habeãt. Quid igitur eſt in cauſa, quod dimoto altero oculo duplicia vidẽtur? An quia duo coni conſuetam poſitionem mutant, ideo duo iudican-
B tur,tamquam in duobus locis:quamuis aliquando ob viſus imbecillitatem duo appareant,etiam ſi poſitio oculorũ inculpata ſit,quia duos conos uirtus nequit vnire. Cum autem poſitionem eandem ſeruant, in qua conſueuerunt vnum iudicare,non decipiuntur, ſi virtus ſit robuſta. Idem contingit in tactu. Si enim quis duobus digitis ſed tranſpoſitis eandem ſpherulam tangat,duas iudicabit, quia non conſueuit digitorum aduerſis particulis eandem rem tangere. Si igitur nerui viſorij ſe interſecant, vt qui ex dextris exoritur, tendat ad oculum ſiniſtrum, & qui ex ſiniſtris ad dextrum, idem putandum eſt cæteris contingere: non apparet autem in cæteris, quia arteriolæ neruos conſtituentes non coeunt in vnũ corpus,niſi propè exitum è caluaria:quod in quibuſdam videre licet: nam veluti ſtamina multa conſpicua ſunt in vnum neruum coeuntia in ipſo foramine, vnde exeunt. At nerui viſorij ob craſsitiem multo altius ſuas arteriolas complectuntur, nępe
C vltra locum interſectionis: ideo in ijs conſpicua redditur neruorum interſecatio: non conſpicua vero, cum arteriolæ ſeparatim ſe interſecant,ob tenuitatem. Inſtituit autem natura arteriolis his iter hoc longum, vt interim contactu medullæ cerebri ſpiritus animales exactius temperarentur, priuſquam in neruos exirent, & ne ſibi ipſis impedimento eſſent,ſi per eandem partem egrederentur,in quam ſubierunt. Diuiſio igitur cerebri in dextrum & ſiniſtrum in ſuperiori tãtum eſt, vbi duo ventriculi continentur, recipiunt enim arterias ex eodem latere tantum: baſis autem indiuiſa eſt, vt in ea communicarent vaſa dextra cum ſiniſtris ad dextros & ſiniſtros neruos conſtituendos. Ideo affectiones per eam partem communicari poſſunt inuicem. Sed aduerſus hæc dubitatur. Repertus eſt aliquando in Anatome alter ex neruis viſorijs attenuatus,alter plenus: viſus autem erat imbecillis in oculo,ad quẽ neruus extenuatus ferebatur: habuit enim vulnus in capite circa eandem partem: neruus autem extenuatus non ad oppoſitã partem

A nudati oſsis cauſa plaga in capite ſecatur, vt appareat læſum nec ne à telo fuerit: eatenus incidi debet: & reliqua. Superius quoque dixit. Danda opera eſt, vt an os nudatum ſit, aperte intelligamus, & an in conſpectum veniat nudatum: Specillo enim conſiderandum eſt, vbi oculis ipſis non pateat. Quod ſi nudatum os reperiatur à telo uiolatũ, primo malum, quod in oſſe eſt, videre oportet, dignoſcereque, quantum ſit, & quam operam exigat. Ex his colligere licet, Hippocratẽ nequaquam plagas capitis incidere, vbi os non fuerit denudatum: forte quia veriſimile eſt, vbi cutis vſque ad os non fuerit violata, neque os violatum eſſe. At id quidem verum eſſe putandum eſt, vbi telum incidendo vulnus effecit, ſi enim inciſio non peruenit ad os, illæſum illud eſſe dicendum eſt. Vbi autem colliſionem aut compreſsionem effecit, vt contingit ijs qui deciderunt ex alto, non eſt mirum frangi os integra cute. Præcipue autem id contingit pueris, nam ob mollitiem pa-
B tiuntur ſæpe oſsis depreſsionem, non abrupta cute, & forte abſque fractura id contingit, vt Paulus tradit. Vtrum ne in his ſcalpello vtendũ, vt os denudetur, ac præcidatur, vt in cæteris fracturis? Profecto hodie Chirurgi abſque diſcrimine omnes fracturas denudant, vt oſsis vitiũ in conſpectum veniat: & vt tuto præcidi poſsit, quod præcidendum eſt. Comprobare videtur hanc ſententiam Paulus, qui abſque diſtinctione ulla, vbi adſint indicia fracturæ, inquit: ſi ampla cutis diuiſio fuerit, per ſe ipſam prompte cognoſcemus: ſi autem diuiſio non per totum ierit, & anguſta ſit: fracturam tamen eſſe ſuſpicemur: cute diuiſa & oculis & ſpecillo demiſſo eam pernoſcemus. Sed apertius Cornelius Celſus inquit. Solet etiam euenire, vt altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit. Itaque ſi grauiter aliquis percuſſus eſt, ſi mala indicia ſubſecuta fuerint, neque ea parte qua cutis ſciſſa eſt, rima reperitur: non incommodum eſt, parte altera conſiderare, num quis locus
C mollior ſit, & tumeat, eumque aperire. Siquidem vbi fiſſum os reperietur, nec tamen magno negotio cutis ſaneſcit, etiam ſi fruſtra deſecta eſt. Os fractum niſi ſuccurſum eſt, grauibus inflammationibus afficit, difficiliuſque poſtea tractatur. Raro ſed aliquando tamen euenit, vt os quidem totum integrum maneat, intus vero ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid ſanguinis mittat, iſque ibi concretus magnos dolores moueat, oculoſque obcæcet. Sed ferè contra id dolor eſt, & eo loco cutè inciſa pallidum os reperitur. Ideoque id quoque os excidendum eſt. Hæc ille. Videtur & Hippocrates in eadem ſententia eſſe, cum in eodem libro: Quintum modum fracturæ tradens, inquit. Frangitur Caluaria ſub vulnere alia parte, quam vbi plaga eſt atque os nudatum. Quod infortunium vbi accidit, nihil eſt, quod iuuare poſsis: quoniam vbi malum hoc fit, nulla via deprehendere licet, homo ne id patiatur, aut qua parte caluariæ. In his ſignifi-

care

care videtur: ſi aliqua adeſſent indicia loci, ſcindendam eſſe cutim, vt D
os præcidatur. Contrariam ſententiam tuetur Vidus Vidius Medicus noſtræ ætatis celeberrimus in Commentario ſuper Hippocratis librum de vulneribus capitis: teſtimonio nixus Iacobi Peruſini Chirurgi famoſiſsimi, qui aſſerebat, ſe longo vſu obſeruaſſe, magis ſeruari eos qui citra ſcalpelli operam partim lenientibus partim ſiccantibus curantur: quam quibus cutis inciditur, & os aperitur. Cui etiam rationem addebat: Calorem innatum per ſe integra cute felicius & ſanguinem & ſaniem collectam diſcutere, & oſſa fracta glutinare, quam aperta cute & exciſo oſſe medicamenta poſsint. Perſpirat enim in ijs per vulnus calor innatus, qui author eſt omnis medelæ. Quod patet in cæterarum partiū fracturis. Magis enim ſanantur crura aut brachia perfracta, vbi caro & cutis non eſt abrupta, quam vbi os detectum eſt. Nudato enim oſſe & perſpirante calore neceſſe eſt humorem putreſcere, & niſi ſaniei detur exitus hominem conſumere, ſi intra caluariam contineatur. E
Quibus addere licet: longe maiorem noxam inſequi ex nudatione ac præciſione cranei, quam cæterorum oſsium, quia detectu cerebri membrana læditur pars princeps: ob id & putredo eius loci multo perículoſior eſt. Si igitur integra cute minus putreſcunt quæ intus ſunt, ſectio periculoſior exiſtit. Contra autem ſi putredo intus lateat exitioſius laborant, niſi cito ſaniei paretur exitus. Hoc autem modo ſolui poſſunt difficultates prædictæ. Præcipit Hippocrates ſcalpello cutim aperiendam, vbi os nudatum eſt: in his enim prohiberi nequit putredo, cum calor internus expiret. Vbi autem ſub integra cute os fiſſum eſt, infortunium hoc eſſe inquit, quia locus non deprehenditur, in quo ſecari debeat. In his Celſus ſecat, vbi locus attollitur, aut vbi dolor ſentitur: Hippocrates de his nihil ſtatuit: quia cum in initio non facta fuerit ſectio: in progreſſu periculoſior euadit, nil tamen ob id prohibet ſecari, ſi aliqua adſit ſpes ſalutis, antequam putredo multum inualuerit. F
Adeo vt os fractum ſi non fuerit nudatum in initio nequaquam aperiendum ſit: quia prohiberi poteſt putredo: In proceſſu autem ſi putredo non prohibeatur (quod ex febribus cognoſcitur) aperiri oporteat licet cum pauca ſpe. Iubet enim Hippocrates, ſi videatur ſectionem exigere, feſtinandum, neque expectandum vt res tertium diem excedat, priuſquam ſeces, ſed intra id ſpacium ſecabis, præſertim vbi tempus calidum fuerit, tuque principio adhibearis: Quaſi aliquando liceat & poſterius ſecare licet, cum grauiori periculo. Sed hæc quæſtio exigit, vt explicetur, quid nudatio cranei & membranæ detectio efficiat, vt noxa & auxilium comparari poſsint. Profecto cerebrum detectum ab aere ambiente refrigerari tradit Galenus 8. vſ. par. 2. etiam ſi in æſtate id cōtingat, quia cerebrum calidius eſt quocumque aere æſtiuo, quod intelligendum videtur de eo calore

qui

A qui actu ineſt ex calido innato influente à corde. Hic enim calidior eſt quam ſit aer ambiens etiam in æſtate in regione habitabili: eius enim inſpiratione refrigeratur. Sed tamen citius putreſcunt in æſtate quam in Hyeme,& ex æſtu febres excitantur,quia non ſatis refrigeratur. At partes internæ præter naturam denudatæ,vt acri externo ſine medio exponantur, non ſolum noxam ſentiunt ex aere frigidiori, ſed & quia per loca aperta expirat calor innatus, vnde per accidens redduntur frigidiores. Apertio igitur cranei duo efficit,refrigerationem ex contactu aeris frigidioris, alterum expirationem calidi. Vtræque noxæ aliqua ex parte corriguntur alterato aere, ne tamen interim offendat reſpirationem,& tegmentis & Emplaſticis ſuper poſitis,vt Hippocrates initio faciebat ex polenta in aceto cocta donec maxime glutinoſa redderetur, & hodie albumine oui, quod facit ad ſanguinem ſiſtendum. Glutinoſæ etiam ſunt reſinæ & olea,quæ poſtea adhiben-
B tur. Meatus enim occludunt,vt minus perſpiret calor. Vtilitatem autem unicam præſtat apertio, initio quidem, vt ſanguis intra craneum effuſus exeat, poſtea vt per eundem locum ſanies & pus expurgetur. At ſanguis extra venas prius in grummos conuertitur refrigeratus, ut nequeat etiam per loca patentia exire priuſquam contabeſcat in ſaniem: parua igitur ob hanc cauſam erit utilitas apertionis in principio,ſed magis iuuat in futuro. Vbi autem ſigna adſunt manifeſta collectionis ſanguinis aut ſaniei intra craneum,magnum præſtabitur auxilium, ſi aperiatur locus, antequam putredo & febris magis inualeſcant: non enim ſperandum eſt poſſe à calore naturali diſſolui collectionem huiuſmodi latentem intra caluariam, vt in crure & alijs huiuſmodi partibus ignobilioribus: ſuſtinere enim pars princeps vehementiam morbi vt cæteræ partes, non poteſt. Eo igitur tempore incidi debet,vt Celſus iubet: non enim antea adſunt ſigna manifeſta col-
C lectionis tantæ, quæ nequeat à natura diſſolui tegente cute: At nudato oſſe tanto minus: Ideo ſtatim in his aperiendum eſt, antequam oriatur inflammatio. Sed ſi hæc vera ſunt,dicet quiſpiam: non ne tutius eſt omnes initio incidere,in quibus ſuſpitio eſt fracturæ oſsis? Nã vt Celſus inquit, etiam ſi fruſtra inciſio adhibeatur, cutis nullo negotio ſanatur: at os fractum,niſi præcidatur, inflammationes graues patitur. Reſpondetur: ſi abſque præciſione ſanari poteſt,non eſt ducendus æger in periculum,quod imminet ex apertione. Sanari autem plures ſine apertione,ſi recte tractentur,experientia comprobatum eſt, vt patet ex dictis: natura per rimulam expurgante & digerente ſanguinem,ſi cutis protegat calidum innatum: quod ſi aliquando non ſuccedat, non præterit occaſio, ſi paulo poſt differatur præciſio, vt oſtenſum eſt.

D

Dolorem omnem à ſolutione continui fieri in parte ſentiente. Quæſt. XII.

QVAMVIS in omni ſenſu lætitia ſit & triſtitia: dolor tamẽ propria paſsio eſt ſenſus tactus. de ſympt. diff. 3. Neque in ſenſu tactus quælibet triſtitia dolor eſt: nam æſtatis feruorem moleſte ferimus, & hyemis frigiditatem, non tamen ſemper dolemus: ſed dolor eſt inſigne quoddam ſymptoma in ſenſu tactus, quod non contingit, niſi ſoluatur continuum: vt tradit Gal. 2. Catato. 1. Nam ſi alteratio dolorem faciat, vt quæ confertim fit, continuum ſoluit. Frigidum quidem mordax contrahendo: calidum diſſoluendo, & fundendo. 4. Simpl. 2. Indicio ſunt ea quæ dolorem inferunt: quæcunque enim diuidunt partes ſentientes ſiue incidendo, ſiue pungendo, ſiue contundendo, ſiue diſtrahendo, dolorifica ſunt, & inter alterantia ſola humiditas abſque dolore afficit, niſi ei coniungatur alia cauſa, quæ ſoluat continuum. Nam humiditatis eſt potius diuiſa in vnum glutinare, quam diuidere. Indicant id remedia, quæ à ſedando dolore anodyna dicuntur, humiditatem enim glutinoſam habent vt olea: At ſicca facilius dehiſcunt quam humecta: ideo & dolorifica ſunt. Patet etiam ex motu. Cum enim particulas in ſolutione continui moueri oporteat dolor non fit ſine motu. Quod patet in ijs quæ diuidunt aut diſtrahunt, & in alteratione confertim facta à calido, aut frigido, aut ſicco: ad omnes enim huiuſmodi alterationes inſequitur congregatio & diſgregatio, quæ ſpecies ſunt motus. Ideo partes affectæ ſæpe ſine dolore ſunt, cum in quiete degunt: ſi autem pertractentur, dolores vehementes patiuntur, vt dolor nihil aliud ſit quam ſenſus motus diuellentis in parte ſentiente. Ob id non eſt dolor niſi dum fit ſolutio continui, facta autem nequaquam: ceſſante enim motu ceſſat dolor. Cum autem in omni ſenſatione obiectum aliquod ſit aut triſte, aut iucundum, dolor autem ſenſatio quædam ſit triſtis: quod nã obiectũm eius fuerit? Non enim ipſe dolor obiectum eſt, quamuis dicatur dolor ſentiri, aut quia à ſenſu interno ſentiatur ſenſus externus, quando animaduertimus nos ſentire, quod in delirantibus ſępe nõ fit, quia mens laborat, ideſt ſenſus communis: aut quia pro dolore aliquando accipimus diſpoſitionem dolorificam, vt Galenus teſtatur. 2. Apho. 6. An obiectum eſt tangibilium excellentia, quæ apta nata eſt corrumpere ſenſorium tactus, vt calidorum frigidorum, durorum, vt inquit Ariſto. 3. de An. tex. 67. Hæc enim in dolore ſentiuntur facientia ſolutionem continui. Quod ſi corrumpant abſque ſolutione continui, non fit dolor, vt alteratio quæ paulatim fit, quamuis ducat ad interitum, vt ſenectus, ſine dolore eſt. Quin & ſæpe alteratio ad ſtatum naturalem E F

ducens

A ducens ſi confertim fiat, dolorem affert, vt patet, ſi quis manus gelidas repente calfaciat: ſi verò ſenſim fiat, iucunda eſt. Non enim in eà alteratione diuelluntur partes. Obiectum igitur dolorificum in omni dolore eſt id quod ſoluit continuum, ſeu ſolo motu, vt corpus durum: ſeu alteratione confertim facta, ut calidum, frigidum, ſiccum. Ipſa verò ſolutio continui non eſt obiectum, ſed paſsio quæ ab obiecto fit, & læſio, cui ſi adiungatur ſenſus, eſt ipſe dolor, actio ſcilicet læſa in ſenſu tactus. Ponitur autem inter actiones deprauatas à Galeno, de ſympt. dif. 3. licet ſentire id quod lædit, videatur ſecundum naturam eſſe: datus eſt enim ſenſus, vt lædentia aufugiat, iucũda perſequatur. Quod ſi aliquando quis ea non ſentiat, vitium ſubeſſe ſignificatur: nam aut mens ægrotat, aut ſtupida eſt pars. An læſionem ſentire non minus ſecundum naturam eſt, quam ſentire iucunda? Senſus enim ſecundum naturam non magis receptiuus eſt mediorum, in quibus eſt iucundi-
B tas, quam extremorum, in quibus eſt dolor. Sed lædi dum ſentit, hoc præter naturam eſt: ſeu læſio ab externa cauſa fiat, ſeu ab interna: omnis enim læſio præter naturam eſt. Differt autem: nam cum ſolam cauſam externam ſequitur, paſsio quædam eſt ab obiecto facta, cum uero fit à cauſa interna, à Medicis ſymptoma appellatur, licet concurrat aliquando cauſa externa, quæ per ſe dolorem non faceret, niſi pars affecta eſſet, vt cum vlcus aut pars inflammata tangitur etiam leuiter, dolet: & qui Cephalea laborant, uel à minima aeris mutatione cruciantur: huiuſmodi enim dolores ſymptomata ſunt morbi, non ſequuntùr cauſam externam. Nam ſi pars ſana eſſet, à minimis quibuſque nõ afficeretur dolore, non enim ex quocumque motu aut alteratione fit ſolutio continui in parte ſana, vt in ægra. Ex omnibus igitur his patet vnicam eſſe cauſam proximam doloris, quæ ſolet à Medicis coniuncta vocari, ſolutionem continui. Sed aduerſus hæc dubitatur. Si unica
C eſt cauſa proxima doloris, unica erit eius curatio, ſcilicet remedijs ad ſolutionem continui. At teſtatur Galenus 2. Catar. 1. variam eſſe curationem doloris, quia inſequitur uarias corporis affectiones, has autem omnes reducit vel ad alterationem confertim factam, uel ſolutionem continui in parte ſenſibili 12. Meth. 7. Non ergo alteratio reducitur ad ſolutionem continui: diuerſa enim ſunt utriuſque remedia. In eadẽ ſententia videtur eſſe Ariſtoteles 3. de An. tex. 67. Si enim corruptiua ſunt quæ excedunt in tangibilibus qualitatibus, vt frigida, calida, dura; hæc quidem diuidendo, vt dura, hæc autem alterando, vt calida & frigida, cur magis diuiſioni tribui debeat corruptio, quam alterationi? Similiter igitur & dolor, qui eſt ſenſus rei corrumpentis, tam alterationem ſolam inſequetur, quam diuiſionem. Amplius hoc modo dubitatur. Si dolor inſequitur varias corporis diſpoſitiones, vnde varia curatio, non pendebit immediate ab obiecto lædente, aliud enim eſt

obiectum ſenſus, alia eſt corporis diſpoſitio. Si igitur diſpoſitiones D corporis morbi ſunt, à quibus dolor vt reliqua ſymptomata emanant, nulla alia intercedente cauſa: obiecta ſeu alterantia ſeu diuidentia fruſtra erunt: aut ſi obiecta cauſæ ſunt immediatæ, non pendebunt ſymptomata immediate à morbis. Alteratio enim & diuiſio, quæ in dolore fit ab obiecto lædente, non eſt morbus quam diu fit, ſed ſi permaneat. At ſolutio continui facta & permanens non dolet, niſi alia fiat, vt patet in vulneribus: non enim dolent, niſi inflammentur, aut aſperius tractentur. Hæc ſunt præcipue dubitationes, quæ circa doloris cauſas oriuntur. Sed ex iis, quæ ſuperius dicta ſunt, non eſt difficile ſoluere. Nam ad primam dubitationem dicimus. Curationem doloris, quę conſiſtit in ablatione morbi, variam eſſe, quia dolor inſequitur varios morbos. Mitigatio autem ſymptomatis vnica eſt in omnibus per ea quæ Anodyna vocantur 5. Simpl. 19. hæc enim ſymptomatis eſſentiā reſpiciunt ſcilicet ſolutionem continui & ſenſum; eſt enim dolor ſenſus ſolutionis continui, vt dictum eſt. Conferunt porrò omnibus à E quacumque cauſa fiāt, particulam præparando, ne offendatur ab obiecto, ideſt ne fiat ſolutio continui, aut ne ſentiatur. Priora vere anodyna vocantur: altera ſpuria. Vere anodyna, quæ temperiem partis naturalem conſeruant, calida in primo gradu aut temperata, vt defendāt à quocumque exceſſu: tenuium partium, vt penetrent in profundū: non aſtringentia nec ſiccantia, ſed æqualitatem facientia, & omnem aſperitatem auferentia. Ideo humiditatem habeant neceſſe eſt, eamque glutinoſam, vt hæreant, quę Emplaſtica vocantur, vt oleum dulciſiſsimum, Althææ mucillago, vermes terreni. Quædam ex his ob craſsitiem non penetrant intus, ideo in ſuperficie tantum vtilia ſunt, vt Gummi ad Guttur & aſperam arteriam, albumen oui ad oculos: ſi penetrarent, eſſent maxime anodyna: nam ſua humiditate glutinoſa morſu carente ęqualitatem faciunt, illinuntque partes ne offendantur F ab humoribus mordentibus & exaſperantibus. At Chamæmelum & Anetum temperiem quidem anodynorum habent, & tenuium ſunt partium, ſed quia per ſe humiditate carent, egent oleo, vt anodyna reddantur. Hæc igitur defendunt à ſolutione continui, quæ in omni dolore eſt. At ſpuria anodyna non quidem partem tuentur ne offendatur, ſed efficiunt, ut læſionem nō ſentiat, obſtupefaciendo ſenſum. Hæc quoque omnem dolorem ſedant, quia ſine ſenſu non fit dolor: non tamen in omnibus tuta ſunt, quia deſtruunt temperiem. Vſurpantur magis in calidis affectionibus, & vbi ſecandum aut vrendum ſit. Sanatio autem doloris non fit, niſi morbus auferatur, quæ eſt ſymptomatis cauſa, vt humor mordens aut diſtendens aut grauans, vel ſola intemperies calida, vel frigida, vel ſicca: quorum ſingula diuerſas requirunt curationes, quarum vna non reducitur ad alteram. Alio enim

modo

A modo ſanatur ſolutio continui, quæ à multitudine humorum fit diſtendendo, alio modo intemperies ſiue cum humore, ſiue ſine humore. Ideo dicebat Galenus cauſas doloris eſſe aut intemperiem, aut ſolutionem continui: ſignificans morbos diuerſos, qui curatione diuerſa egent. Nam per ſolutionem continui inibi intelligit manifeſtam, vt quæ fit à tendentibus aut incidentibus aut contundentibus & ſimilibus, in quibus ſolutio continui non tantum fit, vt quando vitio humorum fiat, ſed etiam affectio eſt permanens, vt in plagis. In intemperie autem morbus eſt ipſa met intemperies, ſolutio autem continui, quæ inſequitur non eſt manifeſta nec permanens, niſi vlcus oriatur, vt in vſtione. Ad alteram dubitationem, qua ex Ariſtotele oſtendebatur ſolam alterationem corrumpere poſſe, & ſolam diuiſionem, reſpondetur. Omnia hæc quamuis corruptiua ſint cum excedunt, non tamen omnia apta nata eſſe dolorem facere, vt ſuperius dictum eſt: multa B enim ſunt, quæ ſine dolore corrumpunt, vt alterationes ſenſim factæ, & obſtupefacientia, & quædam inter putrefacientia: nam aut non ſoluunt continuum, aut prius quam ſoluant virtutem corrumpunt. Ad vltimam dubitationem dicimus, non ex neceſsitate aliam eſſe corporis diſpoſitionem & obiectum dolorificum. Contingit enim quandoque idem eſſe, vt in intemperie caliditas & frigiditas, & in ſolutione continui humor impactus diuidens, aut lapis in vrinæ meatibus, aut flatus in inteſtinis. In his igitur non eſt neceſſarium aliud obiectum ad dolorem faciendum, quam ipſa diſpoſitio ex corpore infeſtante. Quod ſi in his aliud quandoque concurrat obiectum: augebit quidem dolorem duplicata cauſa. Inſtabit adhuc quis. Si vnius vnica eſt cauſa immediata, quam diximus ſolutionem continui: dolor non pendebit immediate à morbis, plures enim hi ſunt. Reſpondetur: ſymptomata immediate à morbis pendere, quia non intercedit alia diſpo- C ſitio: nec ob id eſt neceſſe, vnius vnicam eſſe cauſam immediatam: æque enim plures cauſæ gignere poſſunt idem ſymptoma: ſed illud eſt neceſſarium, vt omnes cauſæ concurrant in vnam rationem, vt vnum producant, vt in propoſito: quælibet enim cauſa ſoluendo cõtinuum dolorem affert.

Priuata omnino ſenſu tactus animalia nutriri non poſſe. Quaeſt. XIII.

CVM nutritio quatuor facultatibus naturalibus perficiatur, ſcilicet attractione, retentione, concoctione alimenti, atque expulſione excrementorum: attractio autem & expulſio ſine ſenſu tactus non fiant: perempto omnino hoc neceſſe eſt & nutritionem perire. Quod autem attractio alimenti & expulſio rei inutilis

ſenſu tactus egeat, patet. Non enim attrahit natura alimentum, niſi id D
familiare eſſe ſentiat: neque expellit aliena, niſi ab ijs irritetur: Hæc
autem ſine ſenſu tactus non contingunt, eſt enim tactus ſenſus alimen
ti 2. de An. tex. 28. Ob id concluſit Ariſtoteles 3. de An. tex. 67. Ani-
malia ſolo hoc ſenſu priuata mori neceſſarium eſſe. Tetigit hanc ra-
tionem Galenus in lib. de Sub. fac. nat. in fine, vbi teſtatur Platonem
ob id etiam Plantis ſenſum quendam tribuiſſe diuerſum à cęteris, quo
familiaria & aliena dignoſcant. Verum in hoc ſermone, inquit, eſſe
quandam obauditionem. Neque enim plantis, neque facultati natu-
rali vim cognoſcendi eſſe. Nam neque viſibilium, neque audibilium,
neque olfactibilium, neque guſtabilium, neque tactilium qualitatum
iudicium obtinent, ſed earum tantum quæ alere vel nō alere, poſſunt.
In hoc igitur laudat Platonem: quod animæ naturali ſenſum quendā
tribuerit domeſticorum & alienorum diſcretiuum. Qua ſententia in-
nixus Galenus aſſeruit 1. loc. af. vlt. in eo differre inſtrumenta naturalia E
ab animalibus, quod naturalia inſitam vim habent, qua actiones ſuas
perficiant, animalia verò influentem habent à principio tamquam lu-
men à ſole. Quaſi actiones naturales non egeant virtute ſentiendi, vt
perficiantur: ineſt enim ſenſus quidam naturalis, quo familiaria expe-
tant, attrahant, retineant, & concoquant, aliena verò expellant. Ex qua
ſententia illud ſequitur: actiones naturales non lædi, niſi ipſa met in-
ſtrumenta affecta ſint: animales autem lædi poſſe earum inſtrumen-
tis nequaquam affectis, ſed quia virtus non influat à principio. Vtrum
autem hæc vera ſint, hinc conſideretur. Profectò ex principijs Ariſto
telis non poſſumus ſenſum vllum plantis tribuere 3. de An. tex. 66. Sen
ſus enim animalia conſtituit. Nutritio igitur plantarum abſque ulla
dignotione alimenti peragitur. Animalia autem nutriri non poſſe
abſque ſenſu alimenti, id eſt calidi frigidi humidi & ſicci, quibus alun-
tur omnia viuentia, & quorum eſt ſenſus tactus, quamuis ſuperius F
oſtenſum eſt, iterum ex ijs quæ in medicina apparent, exactius oſten-
damus. Manifeſtum eſt neruos ſentiendi vim ferentes non ſolum ad
cutim ferri, vt externas qualitates animal ſentiret, ſed & ad muſculos,
vt ijs motus voluntarius tribueretur, & ad interna viſcera, vt ſentirent
quæ dolorem afferrent, qui tertius naturæ ſcopus in neruorum diſtri
butione traditur à Galeno 5. de vſ. par. 9. Viſcera enim neque motu
voluntario aguntur, neque inſtrumenta ſunt tactus. Si igitur non fru-
ſtra datus eſt illis ſenſus, ſed vt internas affectiones ſentirent, ac dole-
rent, vt Galenus inquit: profectò putandum eſt hanc dotem illis tri-
butam eſſe, non vt animal cruciaretur, ſed vt particulæ irritatæ expelle
rent, quæ moleſtant, & retinerent, quæ iuuant. Hæc autem opera ſunt
facultatis naturalis. Senſus igitur ad opera naturalia neceſſarius eſt.
Quem vſum Galenus diligenter explicauit 5. de vſ. par. 10. & 3. Fac.
nat. 12.

A nat. 12. Si enim membra nutritionis ſenſu non dignoſcerent quæ moleſtiam exhibent, breuiſsimo tempore animalia labefactarentur: nam ab excrementis, quæ in ipſa quotidie aceruantur, vlcerarentur, ac putreſcerent: Nunc autem cum ſenſilia ſint, non patiuntur acria & mordacia excrementa intus ſubſidere. Quibus addere licet: ſi tollatur ab iis ſenſus, vt contingit aliquando ex ſpinæ concuſsione aut luxatione ad interna, ſupprimuntur vrinæ, & alui deiectiones 3. de Artic. 51. Vt enim obſtupeſcunt crura aut aliæ partes, ſic aliquando & veſica & inteſtina. Sed hanc affectionem Galenus inflammationi tribuit communicatæ ab ictu. At videmus ex ictu ſpinæ quam primum partes internas obſtupeſcere, & vrinas ſupprimi ſimul & alui excrementa, antequam febris & inflammatio oriatur. Neque igitur illud verum membra naturalia non lædi per conſenſum, vbi per neruos facultas animalis ad ea non fertur. Nam ſine ſenſu proprias operationes perficere ne
B queunt. Præterea ſi omnis motus, qui à naturali facultate fit, vt attractio, expulſio, retentio, per fibras agitur 3. Nat. fac. 8. fibræ autem neruoſa corpora ſunt & ſenſu prædita: rationi conſonum eſt ortum habere ab ea parte, quæ & neruorum principium obtinet, & ſenſus: vt inde etiam motus prædicti pendeant. Sed quoniam ſine voluntate fiunt, dicuntur naturales, non animales, vt quicumque in rigore contingunt, in ſingultu, & concuſsionibus Epilepticis. Quamquam enim motus hi fiant vel in muſculis, vel in partibus neruoſis, vel in ipſo cerebro, naturales tamen ſunt, quia præter voluntatem ab excretrice facultate fiunt, irritata tamen virtute per ſenſum rei noxiæ. Sed aduerſus hæc dubitatur. Si priuata ſenſu tactus mori eſt neceſſe: quomodo in Paralyſi membra omnino ſenſu deſtituta viuunt? Quamuis enim neque moueantur, neque ſentiant, nutriuntur tamen, quamdiu per uenas & arterias nutrimentum & calor innatus affluit: non eſt igitur ne-
C ceſſarius ſenſus tactus ad nutritionem. Præterea ſi in plantis nutritio fit ſine ſenſu, cur non in animalibus? Amplius partes quædam ſunt in animalibus, quæ ſenſu carent, vt oſſa, Cartilagines, cerebri medulla, nutriuntur tamen & augentur. Sed ad primam dubitationem illud ſatisfacere poſsit, quod videmus in Paralyſi partes omnino ſenſu deſtitutas paulatim extenuari & tabeſcere: deficit igitur nutritio, quã uis non deſint venæ & arteriæ alimentum ferentes: Quod autem aliquo tempore viuant, non eſt abſurdum. Calor enim cordis vitam ſuppeditat quamdiu ſpiritus vitalis aliquid alimenti diſtribuit: nõ poteſt autem perpetuo ſuppeditare deficiente attractione & expulſione ob defectum ſenſus. Quod ſi partes animalium aliquo tempore viuunt abſque ſenſu, quid prohibet plantas perpetuo inſenſibilia viuere? Cũ enim affixæ maneant, non ſeligunt cibos ut animalia. Sufficit autẽ ſpiritus ad alimenti attractionẽ ex terra in radices, & ad diſtributionem

ex radicibus in germina, nullo ſenſu diſtinguente: niſi intelligentiam, D
qua natura gubernatur, ſenſum appellemus. Diſtribuit enim natura partem alimenti puriorem in medullam, craſsiorem in corticem, & quaſdam in ſemina, quaſdam in folia: quomodo & prima animalium conſtitutio peragitur, antequam ſenſus adueniat. Ad vltimam dubitationem de partibus non ſentientibus, quæ tamen nutriuntur, animaduertendum eſt, nullam eſſe particulam in animali, quæ aliqua ex parte non recipiat uim ſentiendi. Nam oſſa per membranas, quæ perioſtia vocantur, & dentes per neruos ad eorum radicem, diſtributos, & caro viſcerum, cerebrum, & ſpinalis medulla per ſuas membranas ſenſu participant magis & minus. In membranis autem exquiſitior eſt ſenſus, quia neruoſa eſt earum ſubſtantia. Quomodo autem cerebri membranæ ſentiant, cum neruos non recipiant, dubitationem aliquam habet. Nerui enim à cerebro egreſsi non reuertuntur ad membranas. Sed putandum eſt ſpiritus animales in cerebro exiſtentes non E
minus eius membranis & vaſis ſenſum tribuere, quam neruis inde prodeuntibus.

Deliria non omnia affecto cerebro fieri. *Quæſt.* XIIII.

QVAMVIS hæc ſententia Galeno & cæteris Medicis repugnet, qui ſedem principum facultatum in cerebro ponunt: niſi enim cerebrum patiatur aut per eſſentiam aut per conſenſum, nequaquam deliria fieri exiſtimant. Si tamen ea, quæ apparēt in morbis, conſideremus, veriorem Ariſtotelis & antiquiorum ſententiam comperiemus, qui Phrenes à mente appellabant particulam prope cor exiſtentem, nempè ſeptum tranſuerſum. Nam primum concedit Galenus 1. ad Gla. 3. Phrenitim denominatam eſſe ab inſtrumēto patiente: quaſi Phrenum ideſt ſepti tranſuerſi affectio ſit. Quod ſi F
quis etymologiam paruipēdens aſſerat Phrenitim, quæ ex ſepti tranſuerſi inflammatione fit, eſſe per conſenſum, quia cerebro communicatur affectio: illud obſtat, quod Galenus ſæpius aſſerit: cerebri noxas per conſenſum non eſſe continuas 1. in primum Prorrh. 1. Si igitur ex ſepto tranſuerſo delirium eſt continuum, vt conceditur 5. loc. af. 4. nam alioqui non eſſet Phrenitis: nequaquam per conſenſum cerebri eam noxam fieri, fateri poſſumus. Præterea cur magis ſeptū tranſuerſum cerebro conſentiat continuum pariens delirium, quam os ventriculi? Nam ab ore ventriculi ob neruorum multitudinē multæ graues affectiones cerebro communicātur, vt conuulſiones, dolores, viſa ſuffuſis ſimilia: Phrenitis autem nequaquam. Peculiarem autem vim alterandi mentē in ſepto tranſuerſo eſſe, argumento eſt riſus: eſt enim riſus huius particulæ motus ſimul mente præter voluntatem mota 3.
Part.

A Part.an.cap.10.non quia mentis ſedes in eo ſit, ſed quia Cordi, quod principatum tenet, ſubtenditur. At dicet quis, ſi ex inflammatione ſepti Phrenitis oritur ob Cordis viciniam: multo magis continget ipſo Corde inflammato: at nemo remedia Cordi applicat in Phrenitide. Reſpondetur Cor non poſſe pati inflammationes vel minimas, cum incipientibus intereant oborta ſyncope 5.loc.af.2. Phrenitis ergo nō fiet niſi ob partium illi conſentientium inflammationem: inter quas ſeptum tranſuerſum ob vicinitatem id facit: aliquando & Pulmonis inflammatio, 3.Progn.20.& febris ardens putredine exiſtente in uena caua: vicinæ enim hæ quoque partes ſunt Cordi. Sed cum cerebrum ab his magis afficiatur quam à ſepto tranſuerſo & ob ſanguinis abundantiam & locum ſuperiorem: Si Phrenitis eſt propria paſsio cerebri, debuiſſet ab iiſdem partibus magis contingere, quam ex ſepto tranſuerſo, quod nequaquam videmus. Rationi autem conſentaneum eſt, B vt Cor magis à ſepto tranſuerſo afficiatur, quam à Pulmone & vena caua: quia caloris natura eſt ſurſum aſcendere. Cum itaque Cor ſupra ſeptum tranſuerſum ſit, euaporationem ab eo aſcendentem euadere nequit, vt euadit eam quæ à Pulmone & uena caua attollitur. Quod autem aliqua Phrenitis ex affecto cerebro fiat, non eſt præter rationē, etiam ſi principium intelligentiæ ponatur in Corde. Nam ſine officio cerebri contemperantis calidam euaporationem, neque ſenſus fit neque intelligentia. Duobus autem modis prohiberi poteſt contemperatio, vnde mens lædatur, vel quia ex corde feruentior attollatur ſpiritus, quam vt ſufficiat cerebri frigiditas ad contemperandum, uel quia ipſum cerebrum affectum ſit, vt in eius inflammatione cōtingit: vrit enim aſcendentes ſpiritus non contemperat. Ex quibus patet in omni Phrenitide ac delirio prodeſſe remedia refrigerantia capiti adhibita: ſeu ad affectum eius calidum, ſeu ad calidam euaporationem & C temperandam & repellendam. De argumento igitur ex Phrenitide ſumpto hæc ſatis. Idem patere poteſt ex Mania & Melancholia & cæteris delirijs. Sæpe enim ex ſepto tranſuerſo ortum ducunt: vt quæ traditur 1.in 1.Prorrh.vlt.vbi inquit Hippocrates. Dolores circa vmbilicum palpitantes mentis perturbationem oſtendunt. Nam Galenus id tribuit ſepto tranſuerſo flatuoſum ſpiritum accipienti. Simili modo ſe habet Hypochondriaca paſsio, nam & ipſa flatuoſa eſt infeſtans ſeptum tranſuerſum & mentem. Ariſtoteles eandem ſententiam ſignificat 3.de Part.ani.10.cum inquit. Vbi Phrenes ex uentre inferiori propter vicinitatē attraxerint humorem calidum atque excrementitium, continuo mentem ſenſumque planè perturbant, vnde Phrenes dicti ſunt. Quod præterea ſæpe ex uehementibus animi motibus oriatur inſania 6. Aph. 26. oſtenditur eius principium in corde eſſe. Nam excandeſcentia, ira, mæſtitia, ſunt cordis paſsiones: neque ſolum

ab ijs ſæpe incipit inſania: ſed aliquando eædem per totum morbum D perſeuerant, ut timor & mæſtitia in Melancholia. Quomodo autem ex ijs mentis perturbatio fiat, non eſt difficile videre. Vt enim ſanguis purus & tenuior ad ſapientiam facit 2. de Part-an. 2. & apud Hippocratem 1. de Morb. in fine: qualis eſt qui in arterijs continetur: ſic cũ redditur turbulentior, turbari quoque mentem neceſſe eſt. Et ſi enim intellectus non vtatur inſtrumento corporeo, eget tamen ſpiritu claro, qui in ſanguine arteriali continetur. Omnis autem agitatio ſeu feruor vim habet conturbandi. Quid igitur mirum, ſi dolores circa vmbilicum palpitantes, & flatuoſæ Hypochondriorum afflictiones, & vehementes animi motus, aut multa Meri potio, & medicamenta turbidos vapores gignentia permiſceant cum ſpiritu prauos vapores aut humores? vnde mens lædatur? Oportet enim ſpiritum animalem nõ ſolum in cerebro purum eſſe, vnde incipit apprehẽſio ſpecierum ſenſibilium, ſed & in corde, in quem deſinit omnis cognitio tamquam in E principium. Inter cæteros autem humores maxime atra bilis ſua craſſitie & nigredine ſpirituũ claritatem inficit & obſcurat, ſi loca ea petat, in quibus iudicium exercetur. Loca autem ſpirituum ſunt cordis ventriculi & arteriæ cerebrum petentes. Quandiu igitur affectio in ſpiritibus ſolis fuerit, mens tantum læditur, cum autem corpus ipſum afficit, ideſt vaſa, arterias & neruos, Epilepſia gignitur 6. Epid. in fine, quem locum Galenus explicat 3. loc. af. 7. Vergit etiam in corpus: cũ lingua repente incontinens fiat. aut aliqua pars corporis ſtupore langueſcit, quæ inter ſigna Melancholica traduntur 7. Aph. 40. Et cum tumores ſuperuenerint 1. in 1. Prorrh. 14. Si enim uerum eſt, neruos eſſe arteriarum poſtrema, vt in Peripateticis oſtenſum eſt, non mirum celerrimum fieri conſenſum ex corde in neruos, & ex neruis ac cerebro in principium arteriarum. Patet id ex pulſu, qui durus fit in Maniacis 1. de Præſ. 4. Et in conuulſionibus arteria redditur tenſa ad ſimi- F litudinem cordæ ſurſum deorſumque agitatæ quaſi vibratæ, vt ſtrepitum quemdam edere uideatur ad tactum, quod in nullis alijs affectibus contingit 4. cau. pul. 17. Præterea in delirantibus tum maniacis tum Phreniticis plerumque uis motiua adeo robuſta eſt, ut contineri nequeant etiam à robuſtiſsimis. Spiritus enim multus ex arterijs in neruos tunc influit ob mentis agitationem. Eundem conſenſum indicat & dolor, qui ex vulnerato neruo, aut inuſtione partis ualde ſentientis oritur; Sentiunt enim vſque ad cor læſionem penetraſſe. De conſenſu autẽ, qui ab ore ventriculi fieri putatur cerebro, vnde oriantur conuulſiones: comitiales: Melancholiæ: ſopores: ſuffuſiones, vt Galenus tradit 5. loc. af. 6. non ab re quis ſuſpicari poſsit ob viciniam cordis contingere. Vt enim praui humores eius particulæ aliquando Cardiacam ſyncopem faciunt ſpiritus cordis corrumpendo: cur

non

A non & conturbando mentem lædant, & vellicando motus deprauatos neruis communicent?

Somnum & vigiliam fieri calore natiuo intus & extra vergente. Quæſt. XV.

EXPLICAT hanc ſententiam Galenus 2. Aph. 1. Nam in vigilijs inquit, fieri ſpiritus, ſanguinis, & caloris naturalis ad externa motionem: ideo vim digerendi habere 12. Meth. 3. Somnum autem incidere, cum naturalis calor aut ex fatigatione & nimia ſiccitate ad alimentum ſe conuertit: aut ob immodicam humiditatem foras nequit progredi 3. cau. pul. 10. Ideo cum ad alimentum ſe conuertit, qui ſomnus naturalis eſt, meliores fieri concoctiones, calore natiuo in viſcera ſe colligente 3. cau. pul. 9. Hãc Hippocratis ſententiam eſſe teſtatur, cum inquit: hominem vigilantem extrinſecus calidiorem eſſe: dormientem vero contrario modo ſe habere: quod etiã quibuſdam alijs rerum naturalium ſtudioſis viſum eſt: ſomnum & vigilias fieri ſecundum innati caloris motiones. Sed hæc aduerſari videntur ijs, quæ Galenus paſsim de facultate animali tradit, principatũ habere in cerebro. Cum enim in vigilijs operationes fiant animales, ſenſus ſcilicet & motus: in ſomno autem eædem quieſcant. Si facultatis animalis principium eſt in cerebro, erit ſomnus & vigilia cerebri paſſio. At cum dicimus ſomnum fieri motu caloris natiui intro, vigilias autem motu eiuſdem extra: concedimus calorem natiuũ, cuius principium eſt in corde, authorem eſſe tum vigiliarum tum ſomni. Vigilias enim fieri, cum calor natiuus ad ſenſoria & inſtrumenta motus voluntarij vergit, quo etiam digeſtio peragitur: Somnum autem, cum idem calor ad alimentum & viſcera conuertitur, per quem concoctio alimenti perficitur. Num reſpondere licet, motu caloris innati ad cerebrum & ſenſoria, excitari facultatem animalem in vigilijs, ſopiri eandem in ſomno motu eiuſdem ad interna? Eſt enim calidum innatum commune animæ inſtrumentum ad omnes operationes perficiendas 8. Plac. 7. & 2. ad Gla. 2. Veriſsima quidem hæc ſunt, videntur tamen tollere diſtinctionem facultatis animalis à naturali & vitali, quam ponit Galenus in libris de Placitis Hippo. & Plat. Vult enim non ſolum ratione differre, ſed & ſubiecto, ſicut & earum principia, cor, cerebrũ, Hepar. At hoc modo vnicum erit principium cor, cuius calore ſenſus & motus excitentur in uigilijs, ſimul & digeſtio fiat: in ſomno autem concoctio in viſceribus. Idem enim calor ſubiecto in inſtrumentis ſenſuum & motus vigilias facit & digeſtionem, in inſtrumentis autem concoctionis ipſam concoctionem, prout vergit ad hæc aut illa. Idem comprobat antiquorum ſententia, qui venas ad cerebrum tendentes

dentes

dentes carotidas uocabant, quia apprehenſæ aut obſtructæ Caron, D
ideſt ſoporem inducunt: prohibetur enim ex hoc, ne calor innatus
ad cerebrum & neruos feratur, qui uigilias facit, vt teſtatur Ariſt. in
lib. de ſom. & vig. cap. 2. Apprehenſis enim venis in collo inſenſibile
reddi animal: quam inter ſpecies Apoplexiæ poſuit Auicenna. Et
Hippocrates inter obmuteſcentia 4. Acut. 23. cum inquit. Qui repen
te obmuteſcunt ſani ſine occaſione, ijs venarum interceptio & occlu-
ſio fit. Hæc ſententia Galeno ſuſpecta fuit 2. de Plac. 6. Videbat enim
ea admiſſa ſequi ex neceſsitate, Cor cerebro & neruis ſenſum & motũ
ſubminiſtrare. Nam inquit: Nemini dubium eſt, quin ſi ex ea re ſopi
tum animal re vera fieret (quod verbum illis ſenſu motuque orbatum
ſignificat) neceſſario conſequeretur, cor eſſe quod primam & ſenſus
& motus originem cerebro præſtaret: licet cerebrum in totum cor-
pus per neruos uim eam poſtea diſtribuat, vt quaſi magni Regis præ-
fectus ſecundam quandam nõ principalem originem obtinere uidea- E
tur. Demonſtratum enim in ſuperiore libro eſt, ſicut arteriarum cor,
ita neruorum originem cerebrum eſſe: efficeretur itaque ſi uerum eſ-
ſet quod dicunt: Cerebro animalem vim à corde per arterias ſuppe-
ditari: ſed verum non eſt. Hactenus Galenus. Redarguit autem eam
ſententiam hoc experimento. Nam apprehenſis arterijs in collo, quas
Carotidas, inquit, ab antiquis appellatas eſſe: non mutum animal red-
di, nec ſenſu & motu priuari, ſed tantum pulſu deſtitui partes ſupra
compreſsionem. Deceptos autem eſſe antiquos in ea appellatione,
quia ſimul cum arterijs neruos ad vocem facientes apprehenderunt,
vnde animal mutum redderetur. Sed quam fallax ſit Galeni experi-
mentum, ex eo patet. Nam antiqui Carotidas uocabant non ſolas ar-
terias ſed omnes uenas, ad cerebrum delatas: venis enim apprehenſis
in collo inſenſibile reddi animal tradit Ariſtoteles: nomine autem ve
narum tam uenas quam arterias ſignificabant. Non eſt autem mirum F
ſolis arterijs interceptis ſoporem nequaquam ſubſecutum eſſe: nam
calor ex corde tranſire poterat per uenas iugulares: communicant
enim oſculis uenæ cum arterijs, ut ſanguis transfluere poſsit & ſpiri-
tus per anaſtomoſim, vt tradit Galenus 6. vſ. par. 10. Neque igitur ne-
ganda eſt ratio appellationis Carotidum apud antiquos, neque exem-
plum ab Ariſtotele ſcriptum. Referunt enim qui laqueo ſuſpenſi nõ
interierunt, ſed reuixerunt, in conſtrictione laquei ſtupore correptos
eſſe, vt tandem nihil ſentirent. Confirmare uidetur hanc ſententiam
Hippocrates 2. de Artic. 22. vbi inquit: Muſculos circa mandibulam
luxatam, cum alterantur & intenduntur, ſoporiferos eſſe: comprimun
tur enim ex ijs Carotides. Eo igitur modo tueri poſſumus tria princi-
pia, unde tres facultates fluunt, ut cordis calor reliquas ad actum du-
cat. Sic enim quodammodo vnicum eſt principium, fons calidi inna-
ti, quo

A ti, quo omnes operationes perficiuntur: quodammodo tria, quia pro xima ſingularum inſtrumenta tria ſunt. Sine cerebro enim & neruis non fit ſenſus & motus, & ſine Hepate ac venis facultas naturalis non agit: ſine corde autem vita non permanet. Pereunte enim facultate vitali, quæ in calido innato conſiſtit, ſimul omnes alias perire neceſſe eſt, non è contra, vt teſtatur Galenus 5. loc. af. 1. In ſyncope enim pereunt ſtatim omnes facultates: in Apoplexia nequaquam: adhuc minus in Hepatis affectibus. Hinc etiam patet ſomnum & vigiliam partim in corde eſſe, vt voluit Ariſtoteles: partim in cerebro, vt Medici fatentur. Quatenus enim calidum innatum ex corde ortum ducit, in eo ſedes eſt omnium facultatum: quatenus autem ſine cerebro & neruis non fit ſenſus neque motus voluntarius, neceſſe eſt in vigilijs calorem innatum ad eas partes vergere: recedere autem in ſomno, vt omnes fatentur tam Medici quam Peripatetici. Non tamen omnis receſ-
B ſus calidi innati ſomnus eſt, ſed cum alimenti gratia vergere intus cogitur, & ab opere externo quieſcere: quod fit aut aſſumpto cibo, aut cum virtus à vigilijs defatigata deſiſtit ab opere, vt vires colligat. Nam etiam abſque nouo cibo ſomnus conciliatur. Cum autem calor innatus prohibetur foras exire aut intus vergere, fiunt ſomni & vigiliæ præter naturam. Prohibetur quidem foras prodire, ſiue propter obſtructiones in collo aut cerebro, vt contingit ijs qui ſuffocantur, & in Apoplexia & caro & cæteris affectibus ſoporoſis: ſiue propter caloris penuriam, vt in animi deliquio, & in ea affectione, quæ vigilandi impotentia vocatur: huiuſmodi non ſomni ſunt dicendi, non enim quies adeſt, ſed labor. Prohibetur autem intus vergere in affectibus calidis & ſiccis, motus enim & agitatio mentis & dolor quietem prohibent. Porrò in omni ſopore prohibetur ſenſus & motus ob defectũ caloris natiui in cerebro, nõ tamen prohibetur viſio Phantaſmatum,
C quod ſomnium vocatur pertinens ad facultatem animalem: remanẽt enim motus hi in anima abiunctis ſenſibilibus. At inſtabit quis in ſomno nequaquam prohiberi calorem natiuum in cerebro & ſenſorijs: pulſant enim arteriæ in toto corpore etiam in ſomno. At præſente calore innato debuiſſet duci ad actum facultas animalis. An calor innatus in ſomno viget in venis & arterijs, non in neruis, ſine quibus non fit ſenſus & motus. Extra igitur ferri eſt neruos petere: intra autem non ſolum ad uiſcera, ſed in omnes venas & arterias, vnde operationes naturales magis perficiuntur in toto corpore.

Conuulſionem

 D

Conuulſionem: Diſtentionem: Palpitationem: Rigorem, & tremorem ab eadem cauſa fieri. Quaſt. XVI.

EANDEM cauſam omnium prædictorum motuum eſſe ſpiritum, vt Terræmotus in viſceribus terræ vult Ariſtoteles 2.Meteo. cap.8. Nã inter corpora ſpiritus maxime motiuus eſt: velocitate maxime percutit, ac tenuitate in omnes corporis partes penetrare poteſt. Motus etiam voluntarios fieri agentibus ſpiritibus idem teſtatur in libro de Com.an.mo. Sed quomodo vnica hæc cauſa conſentiat cum multis quæ ab Hippocrate & Galeno traduntur, difficile eſt videre. Nam de conuulſione inquit Hipp.6. Aph.39. vel ab inanitione, vel à repletione fieri. Quam rem Galenus patefacit exemplo cordarum: tenduntur enim ſiue humore madeſcant repletæ, ſiue ſiccentur inanitæ ab omni humore. Simili modo inquit neruos conuelli ob repletionem quidem in inflammationibus, ut ex vulnere in parte neruoſa 5.Aph.2. in Phrenitide lib. de Trem. vlt. in abundantia crudorum humorum, vt in pueris cum dentire incipiunt 3. Aph.25. In Epilepſia ex pituita craſſa & Melancholico humore 3. loc. af.7. Ex vino in Ebrijs 5.Aph.5. Aliquando ex flatu.2. ſympt. ca.2. Ob inanitionem autem in febribus vrentibus 7.Aph.13. In vigilijs 7.Aph.18. In largo ſanguinis profluuio 5. Aph. 3. In ſuperflua purgatione 5. Aph.4. Ex Elleboro aſſumpto 5.Aph.1. His omnibus additur morſus neruoſi corporis 12.Meth.vlt. & frigus: nam hoc primo ob morſum rigorem concutientem, poſtea congelando contrahit 5. Aph.17. & 20. Videtur autem Hippocrates hæc comprehendere ſub inanitione & repletione: nam ſubiungit: ita verò & ſingultus. Nam hic à morſu fit irritata expultrice ab acredine humorum in tunicis ventriculi Galeno teſte in Commento. Omnis autem morſus aut à frigore aut à calore continuum ſoluente fit 4.Simpl.2. Sed quomodo ad inanitionem vel repletionem ſequatur, inferius patebit. Prius autem videamus, quomodo ſpiritus author ſit motus, qui in conuulſionibus videtur. Quod igitur neque humores neruos replentes, neque ipſi nerui inaniti motus illos præſtent, hinc manifeſtum eſt. Nam cadauera eorum, qui ex conuulſione perierunt, nequaquam tenſa conſpiciuntur: ſed relaxata, cum tamen eadem cauſa relinquatur, vel humor replens, vel exſiccatio. Cum enim aliquando ſit tanta vis conuulſionis, vt vel magna vi adhibita neque flecti neque contineri queant ægrotantes: ſi ab humore aut exſiccatione id fieret, debuiſſet animali extincto eadem inflexibilitas permanere: at apparet quidem id in tendonibus & muſculis ac ligamentis aut ex vulnere, aut ex vſtione, aut tuberculo decurtatis: in conuulſionibus autem nõ apparet: niſi conuulſionem E F

appellare

A appellare velimus ſpinæ diſtortionem in Gibbis, aut colli, cubiti, & reliquorum membrorum inflexibilitatem ob cauſas prædictas. At conuulſiones motus ſunt, non immobilitates. Nam licet aliquando immobilia videantur, vt in neruorum diſtentione, actio tamen eſt muſculorum in eadem figura diutius membra continentium. vt Galenus teſtatur 2. ſympt. ca.2. In gibbis autem & muſculorum decurtationibus prædictis nulla eſt actio muſculi, ſed omnino immobilitas. Præterea ſi exſiccatio neruorum conuulſionem faceret, cur Hectici non conuellerentur? cum enim ad maraſmum perducuntur, non ſolum caro, ſed & partes fibroſæ & neruoſæ ad extremam maciem transferuntur, nequaquā autem conuelluntur. Si igitur vera eſt Hippocratis ſententia, conuulſionem ab inanitione & repletione fieri, alio modo intelligenda eſt, quam vt vulgò creditur. Sed poſita ſententia, quam prædiximus: motus omnes in animalibus à ſpiritibus fieri: dubitationes facile ſoluuntur. Commouentur enim ſpiritus aut à voluntate, aut à cauſis moleſtantibus. In motu quidem voluntario ſpiritus commoueri patet: cum enim volumus vehementiorem aliquem motum eniti, cogimur ſpiritum in Thorace cohibere, vt maior copia ſpiritus in neruos trudatur, vnde vires augentur: vt tradit Ariſt. de ſom. & vig. cap.2. Ob cauſas autem moleſtantes motus fiunt præter naturam, vt conuulſiones, rigores, & cetera huiuſmodi, ſpiritibus vario modo commotis. Nam in conuulſione ſpiritus in neruis intercepti aut motu reciproco agitationem membrorum efficiunt, aut impacti perpetuam tenſionē, quæ neruorum diſtentio vocatur: Intercipiuntur autem ob clauſionem meatuum aut in principio neruorum in conuulſione vniuerſali, aut in exortu alicuius nerui aut propaginis in conuulſionibus particularibus: ſic enim ſpiritus exitum non habentes partes conuellunt, & tam diu motus inuoluntarios efficiunt, quam diu aut tollatur clauſio, aut ſpiritus interclusi euaneſcant: vtroque enim modo ceſſat conuulſio, ſed differt ſolutio. Cum enim permanet clauſio meatuum euaneſcentibus ſpiritibus membrum redditur immobile abſque tēſione vt in Paralyſi. Si autem clauſio tollatur, ad ſanitatem reſtituitur. Clauſionem hanc tradit Galenus 3. loc. aff. 7. Nam in Epilepſia, inquit: humorem craſſum in cerebri ventriculis meatum ſpiritus obſtruere, atque impedire quo minus animalis ſpiritum exire poſsit. Ideo neruorum principium ſe ipſum quatere, quo excutiat id quod noxium eſt. Similem præterea affectionem eſſe in cæteris conuulſionibus, quæ à ſpinali medulla incipiunt, ſingulorum neruorum irrigatis proceſsibus. Sed hic duplex difficultas ſuboritur. Prima: ſi nerui meatus non habent, per quos ferantur ſpiritus, ut traditur 7. de Plac. 4. quomodo in ipſis obſtructio oriri poſsit, qua prohibeantur ſpiritus, quo minus poſsint exire? Altera, ſi ex obſtructione prohibetur exitus ſpirituum, cur potius

tius conuulſio fiat, quam Paralyſis? Priuata enim ſpiritu animali, neceſſe eſt ſenſu & motu priuari. Ad primam dubitationem ſatisfacere vt cumque poſsit, quod ab eodem Galeno ſcribitur 1. ſympt. ca. 5. Etſi enim meatus in neruis non concedantur: ferri tamen virtutem animalem per neruos, vt lumen per diaphanum: prohiberi autem, ſi ijdē nerui craſsiore habitu vel duriore reddantur, vel à frigore ſtupentur, aut comprimantur: nam veluti nebula interpoſita prohibet luminis tranſitum: ſic huiuſmodi neruorū conſiſtentia virtutis animalis tranſitum impedit. Verum Medicis, qui magis ſenſui manifeſta ſequuntur, admitti hæc poſſunt. Cum enim in neruis meatus non ſint conſpicui, virtutem tantum ſine corpore tranſire putant: nam etiam ſpiritus ob id incorporei putantur. Cum autem corpora ſint tenuiſsima, vt Ariſtoteles teſtatur, etiam tenuiſsimis & inſenſibilibus meatibus indiguerunt. Sed altera dubitatio difficilior viſa eſt. Fatetur enim Galenus 1. de ſym. ca. in fine: difficile dictu eſſe, quæ omnino morbi cauſa ſit, cuius occaſione partes contrahantur. Nititur autem eam explicare 2. ſymp. ca. 2. reducens ad ſententiam Hippocratis de inanitione & repletione. Impleri autem muſculos aut ſpiritu flatuoſo aut humoribus, vt in inflammatione. Vacuari autē in febribus ardentiſsimis ſicciſsimiſque. Sed ex his non conſtat quomodo ab eadem cauſa neruos implente & ſpiritus prohibente ne exeant, nunc conuulſio fiat, nunc Paralyſis: nunc Epilepſia nunc Apoplexia: vtrique enim affectus ab obſtructione fieri traduntur, aut in ventriculis cerebri, aut in radicibus neruorum. Præterea quomodo morſus & congelatio ad dictas cauſas reducantur, non patet. Verum ſi conſiderentur ea, quæ conuulſiones comitantur, forte cauſa innoteſcet, quæ eas producit. Primum igitur omnes conuulſiones & neruorum diſtentiones motus quoſdam eſſe patet. Reſolutiones autem in priuatione ſenſus & motus conſiſtere. Ideo dicebat Galenus 1. ſym. ca. vlt. tale eſt in Epilepſijs conuulſio, quale in ſentiendi functione vigilia: Apoplexia autē eiuſmodi eſt vitium circa voluntariam actionem, quale eſt in ſentiendi actione altus ſomnus. Præterea conuulſiones plerumque dolor comitatur, & ſæpe acerbiſsimus, vt nomine ſpaſmi vulgo dolor vehementiſsimus intelligatur: At Paralyſis omnino ſine dolore eſt. Non tollitur igitur ex neceſsitate ſenſus in conuulſione. Epilepticæ tamē conuulſiones ſine dolore videntur, forte quia mens laborat: non enim ſentiunt ſe ſentire, quibus adeſt mentis occupatio. Rationi autem conſentaneum eſt, vt partes conuulſæ, ſi ſentiunt, doleant, cum ob tenſionem vehementem diſtrahantur particulæ. Ex his autem aliquis colligeret obſtructionem in Paralyſi maiorem eſſe quam in conuulſione: non enim in hac ſemper prohibetur ſenſus: quaſi relinquatur aliquis tranſitus ſpirituum animalium: in Paralyſi autem nullus. Sed ſi non

alia

A alia ratione differrent, quam magnitudine & paruitate obſtructionis: qua ratione differret conuulſio à torpore, & tremore? quæ ſunt incipientes Paralyſes 2. ſymp. ca. 2. quia virtus non ex toto ſed aliqua ex parte prohibetur, ne feratur ad neruos. An in conuulſione obſtructio neruos implet ſpiritu? vnde tentio oritur & membrorum contractio: & aſsimilatur vigilijs: In Paralyſi autem prohibet ſpiritus ingreſſum in neruos, vnde relaxatio ac veluti ſomnus contingit. Oritur autem differentia ex modo occluſionis: Si enim intra meatus latentes impingantur humores ex laxioribus vaſis, ſimul & ſpiritus impingi neceſſe eſt, vnde conuulſio fiet, donec ſpiritus intercepti euanuerint: tunc enim deſinet conuulſio remanente torpore aut Paralyſi, quamdiu obſtructio alterius ſpiritus ingreſſum prohibuerit. Si autem extra meatus humores neruum obſederint vt eos comprimant, ſtatim torpor fiet, aut Paralyſis. Prohibetur enim ex ijs tranſitus ſpirituum, neque
B ob id quicquam impingitur in meatus. Ideo hic diuturnior eſt morbus: conuulſio breuior & acutus. Spiritus enim cito euaneſcunt. Patet autem hæc diuerſitas occluſionis in Paralyſi, & conuulſione. Si enim vinculo neruus excipiatur, perit ſenſus & motus in partibus ſubiectis, nulla conuulſione præcedente: idem ſi ex toto abſcindatur, nullus enim datur tranſitus ſpirituum ad partes ſubiectas. Si autem neruus vulneretur, vt non ex toto abſcindatur, ſed aut pungatur tantum, aut pars quædam relinquatur non diſciſſa, oborta inflammatione conuulſio ſuccedit, humore ſpiritum compingente in nerui partẽ non ſciſſam: remedium autem eſt, ſi neruus ex toto abſcindatur, ſic enim à conuulſione liberatur. Præterea ex morſu conuulſio oritur, nõ Paralyſis: morſus enim ſimile quid efficit, quod inflammatio. Nam ſpiritus commouet ad expellendum id quod mordet, vnde particula impletur. Particulæ autem conuulſio ſæpe communicatur toti corpo
C ri: non Paralyſis: Spiritus enim poſtquam particulam demorſam aut inflammatam repleuerit, vrgente affectu replet aliquando vſque ad principium: vnde totius conuulſio ſequitur. Id efficere nequit humor vaſa tantum comprimens. Frigus congelans torporem potius & Paralyſim parit meatus comprimendo: niſi morſu ſpiritus commoueat. Facit tamẽ congelatio ad conuulſionem ratione ſiccitatis: quod enim ſiccatur, contrahitur vt corium. At hæc contractio æquiuoce conuulſio dicitur: quod enim congelatum eſt aut ſiccatum, immobile eſt redditum, niſi ſpiritus accedens commoueat. Quod autem ſcribit Hippocrates, inanitionem aliquando conuulſionem facere, non intelligit neruorum inanitionem, ſed totius corporis: vt plurima ſanguinis fluxio & ſuperflua purgatio. 5. Aph. 3. & 4. Ad repentinas enim euacuationes partes inanitæ replentur ſpiritu: Nam hic ſolus cito ad replendum uacuum fertur: vnde contingit & neruos commoueri.

Indicat

Indicat id horror, qui aliquando contingit in vrinæ excretione 8. D Probl.9. At exſiccatio quæ fit in ſenectute atque in Hectica, non commouet ſpiritus, quia non repente fit: Ideo ab huiuſmodi inanitione non fit conuulſio. Quod autem in omni conuulſione fiat neruorum repletio à ſpiritu, indicio eſt pulſus, qui omnes conuulſiones comitatur: eſt enim valde durus arteria ad ſimilitudinem cordæ tenſa & furſum ac deorſum agitata vibrationis inſtar, vnde videtur vehemens & magnus, & ſtrepitum quendam edere ad tactum, quod in nullis alijs contingit. 4. ca. pul. 17. Ex arteriarum enim tenſione immodica neceſſe eſt neruos tendi, cum inde oriantur. Quod autem nunc perpetua fiat tenſio, vt in Catoche & Tetano, nunc iterata concuſsio, vt in Epilepſia quadam cauſa eſt: tenſio enim perpetua ſequitur perpetuā occluſionem ſpiritus, vt in inflammationibus & cæteris obſtructionibus: Concuſsio autem fit à morſu irritata facultate expultrice per interualla, vt in ſingultu. 3. loc. af. 7. in fine. Sed huiuſmodi conuulſio per conſenſum dicitur: Irritata enim facultate expultrice ob morſum aut oris ventriculi, aut alterius partis, aut ipſius cerebri, concuſsio fit in principio ad excutiendum id quod contriſtat, ad eius autem concuſsionem inſequitur totius corporis conuulſio concuſsiua. Ex dictis etiam patet, quomodo intelligenda ſit Hippocratis ſententia conuulſionē fieri vel à repletione vel ab inanitione. In repletione enim contingit repleri neruos & occludi, vnde ſpiritus intercipiantur, vt ex meri potu: tentat enim neruos: ex inflammatione & alijs neruorum irrigationibus. Ab inanitione autem non quia nerui inaniantur, ſed quia ex inanitione ſpiritus commouentur, qui neruos petant. Morſus tum ob repletionem prauorum humorum fit, tum ob inanitionem vtilium: acuuntur enim humores ex inedia & ſuperfluis purgationibus. Quod igitur conuulſio & neruorum diſtentio à ſpiritu fiant, patet. De palpitatione autem nulla dubitatio eſt, velox enim eleuatio ac depreſsio F non niſi à ſpirituoſa ſeu flatuoſa ſubſtantia fieri poteſt 2. ſympt. ca. 2. Differt autem à conuulſione loco. Nam conuulſio in fibris tantum & neruis cōtingit: palpitatio autem in qualibet parte dilatabili, vt membranis, cuti, carnibus, quibus nullus motus ineſt ſecundum naturam, niſi quatenus fibras habent. Motus autem, qui videntur in rigore & tremore, cum non ſine facultate naturali aut animali fiant: à ſpiritu fieri neceſſe eſt. Hoc enim commune eſt animæ inſtrumentum ad quemcumque motum præſtandum: rigorem quidem faciens, cum natura irritatur ad expellendum: Tremorem autem, cum in motu voluntario non ſufficit virtus. Coniungi poſſunt plures motus præter naturam, vt conuulſiuus cū rigore aut Palpitatione, aut Tremore: quas neruorum incontinentias appellat Hippocrates 5. Aph. 16. quæ fiunt propter vſum immodicum calidorum: cujuſmodi etiam eſt tremor,

qui

A qui ex ictu Phalangij oritur. Nam ſimul & crura conuelluntur. Nihil enim prohibet, à virtute expulſiua ob morſum, aut ex motu voluntario agitari ſpiritus, qui in diuerſas partes ferantur; vnde tremor ſimul cum conuulſione, aut palpitatione fiat, vt in febribus peſtilentibus ſæpe contingit, & Phrenitide.

Suffocationem in Angina fieri magis oppletis venis iugularibus quam clauſo Laryngis oſculo. Quæſt. XVII.

QVAMVIS repentina ſtrangulatio ſolius gutturis paſsio cenſeatur à Galeno 4. Aph. 34. Et Angina ſit eius partis aut faucium inflammatio meatum reſpirationis coanguſtans 4. loc. af. 3. Hippocrates tamen 4. Acut. 30. & 31. aliam cauſam ſuffocationis innuit in vtraque angina. Cum enim ad duas ſpecies reduxerit pro di
B ſtillationis diuerſitate: vnam in qua fluxio pituitoſa hyeme & vere ad venas iugulares fertur: alteram, in qua humores bilioſi infeſtāt, quod Aeſtate & Autumno contingit. De priori inquit. Cum fluxio frigida & glutinoſa fuerit, ſpiritus obſtruit permeationes: ſanguinemque coercens, quæ vicina ſunt inſpiſſat, ſanguinemque ipſum immobilem reddit & conſtantem: quippe cum natura frigida ſit & obſtrictoria: ob id ſuffocantur liuente lingua: & quæ ſequuntur. Ex quibus verbis ſignificatur, propter venarum plenitudinem, & ſanguinis immobilitatem prohiberi ſpiritus permeationes in arterijs, vnde contingit ſuffocatio. Non enim interpretari poſſumus ſpiritus permeationes in Laringe, quia vna hæc eſt permeatio, non plures. Præterea corpus cartilaginoſum, quale eſt Laryngis, non poteſt adeo conſtringi ab adiacentium tumore, vt omnino claudatur meatus. Solum ex toto claudi contingit ab operculo ſuperpoſito, quæ Epiglottis vocatur: quod fit vo-
C luntarie quidem in ſpiritus cohibitione, inuoluntarie autē in conuulſione internorum muſculorum, aut cum aliud corpus inhęreat, quod eleuationem Epiglottidis prohibeat, quorum nullum in hac Angina ineſt. De altera autem inquit. Cum ex capite fluxerit calida & nitroſa fluxio, vtpote acris mordet, vlcerat, ſpiritu implet, orthopneam parit, ſiccitatemque multam: præterea quæ intuenti apparent, haud quaquam tumentia videntur: tendines quoque ceruicis poſteriores contenduntur, apparentque tetani modo intendi: vox abrupta, ſpiritus paruus, ſpiritusque reuulſio frequens & violenta accedit. Talibus arteria vlceratur, inceditürque pulmo: neque externum aerem admittere intro queunt. Hactenus Hippocrates. In hac Angina alius ſuffocationis modus innuitur: Nam orthopneam parit, neque externum aerem admittere intro queunt: quorum cauſa non Laryngis occluſio oſtenditur, ſed quia acris defluxio mordet, vlcerat, & ſpiritu implet:

feruntur enim ſpiritus ad locum demorſum: hinc pulmonis repletio, vnde Orthopnea, & difficilis inſpiratio, cum non ſit locus, in quem externus aer admittatur, quantumcũque thorax dilatetur. Eandem ſententiam confirmat Hipp.lib.3.de Morbis: vbi in curatione Anginæ inquit. Venam ſecandam maxime ſub Mamma: nam hac parte concomitatur ex pulmone ſpiritus calidus: & paulo poſt inquit: faciẽdum vt citiſsime ſpuat,& pulmo gracilis fiat: quaſi intumuerit pulmo ex ſpiritu calido replente. Hanc interpretationem Aetius ex Archigene affert, aſſerente: occultam Anginam in quibuſdam per neruos ad ſtomachum delatos affectione calida ad cor & pulmonẽ communicata,inde ad Carotidas & adiacentes partes: non fieri autẽ Apoplexiam,quia ſola intemperies exiſtit, non etiam coarctatio locorum. Quaſi ea Angina, quæ ex pituitoſa defluxione fit, venas & arterias in ceruice coarctans,inter Apoplexias connumeranda ſit, quod & Auicenna facit. Nam & Hipp.3. de Morbis inquit: quoſdam Anginoſos obtuſius videre atque audire, & præ ſuffocatione non intelligere neque quid dicant, neque quid audiant,aut faciant: quaſi ad inſenſibilitatem veniant ob venarum clauſionem in collo, vt contingit ex laqueo, & ob luxationem mandibularum apud Hippocratem, vt alibi explicauimus. Quomodo igitur in Angina biliosa ſpiritu repleatur pulmo, patet ex dictis. Sed quomodo in pituitoſa ſuffocatio contingat ex venarum clauſione,forte non facile eſt videre. Non enim dicere poſſumus,vt Galenus de Apoplexia teſtatur,lædi reſpirationem ob læſionem facultatis motiuæ,quæ à cerebro communicatur: Nam contingit auferri ſenſum & motum in toto corpore abſque læſione reſpirationis,vt patet in Caro.4.loc.aff.2. Videtur igitur neceſſarium in tumoribus ceruicis aut claudi os Laryngis, vnde ſequitur manifeſta ſuffocatio: aut ex clauſione venarum communicari pulmoni aliquam læſionem,ex qua dilatari aut conſtringi nequeat. Ariſtoteles in lib.de Somno & vig.cap.3.tumefieri inquit,in Epilepſia venas à ſpiritu,quibus coarctatur meatus, quo reſpiratio fit. Idem fieri putandum eſt in interceptione venarum & occluſione, vnde repentinæ fiunt obmuteſcentiæ 4.Acut.23. Occluſis enim in collo uenis,cum ſanguis & ſpiritus permeare nequeant ſurſum, neceſſe eſt deorſum ad cor & pulmonem regurgitare,vnde oppletus pulmo dilatari & conſtringi nequeat, idque eſt coarctari meatum,quo reſpiratio fit,ideſt pulmonis arterias. Hæc ſuffocationis cauſa etiam in Apoplexia veriſimilior eſt,quam impotentia motiuæ facultatis. Mirum enim eſſet,ad ſolos muſculos thoracis aliquando vim motiuam deferri ob reſpirationis neceſsitatem, vt inquit Galenus, cum in toto corpore perierit ob principij læſionẽ. Ex hac vero poſitione non mirum aliquando ſolum ſoporem gigni ex venarum apprehenſione in collo, aliquando etiam ſuffocationem.

Neceſſe

A Neceſſe enim eſt ex ea apprehenſione virtutem cordis non communicari cerebro, ideo tolli ſenſum & motum voluntarium toti corpori: at non eſt neceſſe oppleri adeo pulmonem, vt ſuffocetur. Sed illud ſpeculatione dignum videtur, propter quid ex vinculo intumeſcunt venæ vltra locum apprehenſum, non citra: quod experimento ſciunt, qui uenam ſecant: vinculum enim adhibent citra locum ſectionis, nõ vltra: quia tument venæ vltra vinculum non citra. Debuiſſet autem oppoſito modo contingere, ſi motus ſanguinis & ſpiritus à viſceribus fit in totum corpus: intercepto enim meatu non vltra datur progreſſus: tumor igitur venarum citra vinculum debuiſſet fieri. An ſoluitur dubitatio ex eo quod ſcribit Ariſtoteles de ſom. cap. 3. vbi inquit. Neceſſe enim quod euaporatur aliquo uſque impelli, deinde cõuerti & permutari ſicut Euripũ: calidum enim cuiuſque animalium ad ſuperiora natum eſt ferri: cum autem in ſuperioribus locis fuerit, multũ
B ſimul iterum reuertitur, ferturque deorſum: Hæc Ariſtoteles. Pro cuius loci explicatione illud ſciendum eſt: Cordis meatus ita à natura paratos eſſe, vt ex vena caua intromiſsio fiat in Cordis ventriculum dextrum, vnde patet exitus in pulmonem: Ex pulmone præterea aliũ ingreſſum eſſe in cordis ventriculum ſiniſtrum, ex quo tandem patet exitus in arteriam Aortam, membranis quibuſdam ad oſtia vaſorum appoſitis, vt impediant retroceſſum: ſic enim perpetuus quidam motus eſt ex vena caua per cor & pulmones in arteriam Aortam: vt in quæſtionibus peripateticis explicauimus. Cum autem in vigilia motus caloris natiui fiat extra ſcilicet ad ſenſoria: in ſomno autem intra, ſcilicet ad cor: putandum eſt in vigilia multum ſpiritus & ſanguinis ferri ad arterias, inde enim in neruos eſt iter. In ſomno autem eũdem calorem per venas reuerti ad cor, non per arterias: ingreſſus enim naturalis per venam cauam datur in cor, non per arteriam. Indicio ſunt
C pulſus, qui expergiſcentibus fiunt magni, vehementes, celeres, & crebri cum quadam vibratione: in ſomno autem parui, languidi, tardi, & rari 3. de cau. pul. 9. & 10. Nam in ſomno calor natiuus minus vergit in arterias: in eaſdem erumpit vehementius, cum expergiſcuntur. Venæ autem contrario modo ſe habent: nam in ſomno fiunt tumidiores, in vigilia exiliores, vt patet intuenti eas quæ in manu ſunt. Tranſit enim in ſomno calor natiuus ex arterijs in venas per oſculorum communionem, quam Anaſtomoſin vocant, & inde ad cor. Vt autẽ ſanguinis exundatio ad ſuperiora, & retroceſſus ad inferiora in ſtar Euripi manifeſta eſt in ſomno & vigilia, ſic non obſcurus eſt huiuſmodi motus in quacumque parte corporis vinculum adhibeatur, aut alia ratione occludantur venæ. Cum enim tollitur permeatio, intumeſcunt riuuli qua parte fluere ſolent. Forte recurrit eo tempore ſanguis ad principium, ne interciſus extinguatur. Non efficit autem ſuffocationem

quælibet venarũ interceptio, ſed ſi eæ intercipiantur,quæ feruntur ad D caput ob præſtantiam & magnitudinem. Quomodo igitur angina ſuffocet oppleto pulmone aut ſpiritu in biliosa fluxione, aut ſanguine in occluſione venarum manifeſta eſt. Contingit tamen aliquando claudi os Laryngis ab Epiglottide aut ob conuulſionem,aut ob inflammationem internorum muſculorum eam deprimentium, aut ob tumorem in faucibus inhærentem Epiglottidi: cui Hippocrates ſuccurrit 3.de morbis: fiſtulis in fauces detruſis iuxta maxillas, quo ſpiritus ad pulmonem trahatur. Remedium autem à poſterioribus excogitatũ, perforatione aſperæ arteriæ ſub Larynge vanum videtur: Cum ſuffocatio contingit ob pulmonis plenitudinem.

Orthopneam in Angina non contingere ob gutturis clauſionem. Quæſt. XVIII.

E

QVo pacto in angina biliosa fiat orthopnea ex ſententia Hippocratis ſuperius oſtendimus. Quoniam autem à poſterioribus putata eſt fieri ob gutturis coarctationem, vt patet apud Galenum 3.Progn.16. videndum eſt, an contingere id poſſit, & quo modo. Scribit igitur loco prædicto huiuſmodi anginoſos erecta ceruice melius ſpirare, quia iacentibus ſupinis meatus gutturis extreme clauditur,priore corpore in ceruicis vertebras coincidente. Erectis autem meatus paulum diſpeſcitur. Duas autem alias vtilitates apud eundem reperio ex ſitu recto ceruicis: vnam, quæ ſcribitur 2.in primum Prorrh.53. vt ſcilicet maior cauitas acquiratur aſperæ arteriæ cum omnibus propaginibus. Ex huiuſmodi enim ſitu,viſcera,quæ infra ſeptũ ſunt,non occupant thoracis cauitatem compreſſo ſepto: ideo pulmonis arteriæ ampliorem locum habent,in quem dilatentur. Id contingit in Peripneumonia & Aſmate. Alteram,quæ ſcribitur 2.in 3. Epid. F 4. vt omnibus muſculis thoracis ſuperioribus fiat reſpiratio facilius. Cum enim non ſufficit ſeptum tranſuerſum, cogimur partes ſuperiores thoracis attollere,quam ſublimem reſpirationem vocat Hippocrates. At in angina ſi pulmonis receptacula recluſa ſunt, & pura,vt ſupponit Galenus, quæ neceſsitas eſt aſſurgendi, & ſuperiores thoracis partes attollendi? nihilo enim magis per gutturis anguſtiam attrahetur & reddetur ſpiritus,ſiue ſolo ſepto, ſiue omnibus thoracis muſculis reſpiret: vt patet in folle, cui anguſta ſit fiſtula: quantumcunque enim laboret quis in attractione & redditione flatus,nec plus nec minus trahet quam capiat fiſtula. Si igitur experientia conſtat,eos qui ab angina ſuffocantur,ſuperioribus thoracis partibus magna vi reſpirare, aliud quid præter gutturis anguſtiam infeſtare neceſſe eſt. Sed videndum, vtrum ex ſitu recto ceruicis magis aperiatur os Laryngis, vt ſaltem

A tem propter hanc cauſam cogantur aſſurgere. Siquidem muſculi qui in ceruice ſunt & ad Laryngem & ad fauces motu voluntario carerent, vt viſcera: forte ſuo pondere concidentes in ceruicem in decubitu claudere poſſent meatum reſpirationis. Sed cum motu voluntario moueri poſsint in quacumque poſitione corporis, concidentia aſcribi illis nequaquam poſsit: neque ſi concidant, corpus cartilaginoſum comprimere, veriſimile eſt, vt oſculum claudant. Præterea quæ concidentia aſcribi poſsit muſculis tenuibus intra Laryngem exiſtentibus? quorum inflammationi tribuitur grauiſsima angina, in qua Orthopnea fieri traditur. At magis probabile eſſet, muſculos externos per inflammationem concidentiam huiuſmodi facere, qua clauderetur guttur in decubitu: maiores enim ſunt muſculi, & tumorem euidentem efficiunt. In hac tamen angina non traditur Orthopnea. Niſi igitur coanguſtetur locus pulmonis, in quem dilatari aſperas arterias B neceſſe ſit, non contingit Orthopnea: Coanguſtatur autē ob inflammationem pulmonis in Peripneumonia: ab humoribus in aſmate, à pure in ſuppuratis: à flatu in Orthopnea ſicca, ſic enim vocat Hipp. 4. Acut. 21. quam fieri inquit ob ſpirituum interclusionem: quomodo & in angina fieri oſtenſum eſt: per accidens vero à tumoribus intra ſeptum tranſuerſum. Cum enim hoc flectitur ad dorſum, cauitatem thoracis occupat, cum tenditur innitens ſua parte carnoſa finibus coſtarum, tendine autem lato, qui in medio eſt, pulmonem cum mediaſtino deorſum trahens, inſpirationem liberam facit. Si verò à corporibus prædictis impediatur, neceſſe eſt cæteris muſculis præcipue ſuperioribus thoracis partibus eleuatis ſpacium inſpirationi parare.

In omni Angina deuorationem impediri, reſpirationem non in omni. Quæſt. XIX.

C CVM in omni angina fauces doleant, ſiue inflammatio in faucibus ſit, ſiue in gutture; ſiue in partibus circumſtantibus: non contingit ſine dolore deglutire. Nam aut propter anguſtiam impeditur tranſitus ciborum, aut propter motum, qui in deuorando fit, dolor irritatur. At reſpiratio cum non egeat motu earum partium, ſolo enim ſepto tranſuerſo fieri poteſt, ſi alioqui tranſitus ſpiritus non impediatur, abſque difficultate fiet: patet id in tertia ſpecie anginæ quam tradit Hipp. 3. Progn. 18. De hac enim Galenus inquit, nō vehementer affligi dolore, nec ſpirare difficulter, gutture quidem nequaquam patiente, ſed aut in fauces fluxione, aut in ceruicem aut in hæc vtraque decumbente. Melius igitur Raſis ſignum Pathognomonicum anginæ tradit, deglutiendi anguſtiam, ineſt enim omni, quam Galenus 4. loc. af. 3. vbi ponit difficultatem reſpirandi comitari

omnes anginas: niſi per anginam intelligamus proprie dictam ſcilicet grauiorem, quam deſcribit author definitionum in hunc modum: D
Eſſe affectum colli acutum, difficilem, qui angit præfocatione. Nam communiter angina accipitur pro quacumque inflammatione circa ceruicem. Hippocrates lib. 3. de Morbis, grauiorem anginam vtpote ſuffocantem Cynanchem vocat: mitiorem vero Paracynãchem. Sed circa difficultatem deglutiendi illud ſpeculatione dignum videtur: Propter quid anginoſi quandoque neque ſaliuam neque potum neque aliud quid deglutire poſſunt, aliquando ſorbitiones & potus admittunt, ſolidiores cibos nequaquam: aliquando è conuerſo: nam ſi cogantur potum deglutire, egeritur per nares: cibos autem facilius deuorant. Si quidem ſola adeſſet meatuum anguſtia, neque etiam impedirctur actio quorundam muſculorũ: corpulentiora tranſmeare difficilius poſſent, quam liquidiora, neque contingeret è conuerſo, qua enim ratione potus impediatur, ſi cibi tranſeant? Num aliqua affectio E
adſit, quæ potus auerſetur non cibos? vt videtur contingere ijs, qui ex morſu canis rabidi in pauorem aquæ inciderunt: nam hi ad cibos deglutiendos nullam ſentiunt difficultatem, ſi autem cogantur potum deglutire, conuelluntur, & in animi deliquiũ incidunt: quod ex quocumque genere ſorbitionis aut liquoris contingit: non enim eſt tantũ aquæ pauor, ſed omnium liquidorum, dum nituntur haurire: quaſi affectio quædam ſit in inſtrumentis ad deglutionem humidorum facientibus, non abominatio: non enim guſtui eorum ingrata ſunt. Videamus igitur quibus particulis vtamur in deuoratione ſolidorum, & quibus in liquidis hauriendis. Scimus enim duos eſſe meatus, qui ad fauces deſinunt: vnum ipſius Laryngis ad ſpiritum ſuſcipiendum & reddendum, alterum gulæ ad cibos & potus tranſmittendos. Quod autem Laryngis muſculis vtamur non ſolum ad vocem modulandam ſed etiam ad deuorandum patet. Niſi enim totus Larynx cum lingua F
ſurſum trahatur, non impellitur cibus in gulam, neque ex gulæ principio traijcitur deorſum, niſi muſculi contrahantur, qui ex Cartilagine ſcutiformi gulam amplectuntur. Interim vero ne quid labatur in aſperam arteriam, neceſſe eſt deprimi Epiglottim; vt exacte os Laryngis claudatur, ſi quid enim intro labatur, tuſſim excitat: facilius autem labitur potus quam cibus, imò potus prohiberi omnino nequit, madefacit enim aſperam arteriam. Quod ſi claudi exacte nequeat, vt contingit ijs qui exeſam eam partem habent, grauiter cruciantur in deuoratione præſertim humidorum, quia plus quam oportet in aſperam arteriam prolabitur, quod vehementem excitat tuſſim. contingere etiã idem poteſt ob Paralyſim eius particulæ quæ claudit os Laryngis. Ad potum autem hauriendum vtimur magis lingua, quæ dum introrſum trahitur, ex labijs liquorẽ ducit ad fauces, inde ſolius gulæ opera egemus,

A mus, quæ & villis rectis internæ tunicæ admodum carnoſæ inſtar muſculi trahit deorſum,& circularibus externæ tunicæ compreſsis exprimit. Cum autem cibi maiori egeant expreſsione quam potus,ſine muſculis Laryngis non exprimuntur: ad potus autem ſatis eſt linguę motus, qua ad radicem depreſſa vt fauces dilatentur, & inde modice ſurſum ſublata ad palatum impellitur potus in gulam: inde vel ſponte dilabi poteſt ijs qui erecta ceruice bibunt, vt aues: pronis autem neceſſarius eſt ipſius gulæ motus. Quod igitur potus aliquando ad nares repellatur, in cauſa eſt vitium aut in radice linguæ aut in ipſa met gula: Si quidem lingua ad radicem deprimi ſufficienter nequeat, potus ob anguſtiam non in gulam ſed in nares repellatur aut totus aut aliqua pars eius: quod cibi non faciunt,nam muſculis Laryngis impellentibus viam ſibi parant ob ſoliditatem. Si verò gula affecta ſit, aut ob inflammationem in affectibus anginoſis,aut ob paralyſim,ſeu con-

B uulſionem,vt in rabie,nam hi plerumque conuulſi moriuntur, motũ proprium præſtare nequit. Igitur neceſſe eſt potum ad eam partem illapſum,cum alioqui ſemper eius meatus cõniueat, niſi ab ingredientibus aperiatur, Euripi inſtar reflecti ſurſum. Cibi autem pertranſire poſſunt, agentibus muſculis Laryngis, vſque ad aliquam partem: Si vero inferius ſit affectio,in itinere firmari neceſſe eſt, cum propelli inferius nequeant. Si igitur & muſculi Laryngis afficiantur, neque cibus neque potus deglutiri poteſt: ſi vero hi tantum afficiantur, illæſa gulæ & linguæ radice,potus hauriri poterit, cibus nequaquam. Ad cibos enim vtimur magis motu Laryngis, ad potus autem linguæ, ad vtrumque ipſa gula. Sed de hoc problemate hæc ſatis.

Cordis palpitationem ob complicationem diuerſarum cauſarum fieri. *Quæſt.* XX.

C

QVAMVIS cæterarum partium palpitationes à ſimplici cauſa oriri poſsint, vt à ſpiritu præter naturam cito replente & cito euaneſcente 2.ſympt.ca.2. In corde tamen ſaltem duorum motuum complicationes palpitationem faciunt: naturalis ſcilicet motus qui pulſus vocatur,& exaltatio præter naturam ob vim morbi: vnde inæqualitatem ob diuerſos motus oriri neceſſe eſt. Non ſolum autem diuerſi motus concurrunt,ſed & eorundem cauſæ plures: vnde variæ extant Medicorum ſententiæ circa affectum hunc, & curationes.Nam alij affectum eſſe frigidum prædicant ex Ariſtotele in lib. de vita & mor. cap.2. Aſſerit enim fieri motum illum propter refrigerationem ſuperfluam & corrumpentem, vt in timore. Alij calidum aſſerunt,vt Actuarius: vult enim feruorem ſanguinis,aut vaporem biliosum vel melancholicum aſcendentem ad cor affectũ illum parere.

Paulus Aegineta tradit aut copiã ſanguinis in corde, aut eiuſdem feruorem. Meſues & Auicenna omnes intemperies illum parere teſtantur ſiue puræ ſint, ſiue cum humore, aut per eſſentiam in corde aut per conſenſum à membris vicinis remotiſque. Raſis tremorem eſſe calidũ in febre: frigidum ſine febre. Galenus 5. lo. af. 2. Aliquando fieri ob copiam ſanguinis, aliquando ob aquam intra Pericardium præter naturam: aliquando ob tuberculum ſeu aquoſum, ſeu durum propè cor. Amplius eſſe affectum Palpitationi ſimilem motum cordis crebrum ob cauſam calidam, 4. Aph. 65. At vero Palpitatio omnis illud commune habet, repletionem: hinc enim exaltatio oritur & concuſſio, vt aliquando ſonitus in thorace ſentiatur, & dolor ob vim concuſſionis, quod ſymptoma Hippocrates pulſum vocat. 4. Acu. 26. Nequit autem violenta fieri concuſsio ſine calore aucto in materia quæ diſtendit, frigiditas enim immobilitatem potius præſtat. Concurrere tamen aliquando etiam frigiditatem conſtat, vt apparet in timore & in melancholicis euaporationibus, aut venenóſis præcipue ex vtero. Modum vero tradit Ariſtoteles, vbi inquit: Eſt cordis ſaltus calidi in ipſo exiſtentis compulſio propter refrigerationem ſuperfluam & corrumpentem, vt in morbo, qui vocatur palpitatio, & in alijs morbis, & timoribus: etenim timentes infrigidantur ſecundum ſuperiora. Calidum autem fugiens & contractum facit ſaltum, cum in anguſtum fuerit compactum, adeo vt aliquando extinguantur animalia & moriantur propter timorem & propter affectionem morbóſam: Hæc Ariſtoteles. Cum igitur inquit frigiditatem contractionem calidi facere in anguſtũm, ſignificat vtramque cauſam concurrere, frigiditatem contrahentem, & caliditatem in anguſto loco coactam impetum facere. Poteſt autem coanguſtatio ab alijs cauſis fieri, vt ab obſtructione in magnis vaſis in plenitudine, vt in ijs qui ſanguine abundant 4. Acu. 26. aut ab alio corpore coanguſtante cor, vt aqua multa intra Pericardium, aut tuberculo 4. loc. af. 8. & 5. eiuſdem 2. Duplex igitur cauſa in omni palpitatione cordis ineſt: Repletio eiuſdem à ſpiritu calido impetum faciente: & obſtaculum extra cor, quod prohibet dilatationẽ, vt refrigeratio, obſtructio, turberculus, aqua. Quæ autem palpitationi ſimilis traditur à Galeno, creber & velox cordis motus, fit ob maximum virtutis vitalis incendium: hunc tremorem calidum vocat Raſis. Sunt & tremuli pulſus ob virtutis imbecillitatem, qui à qualibet intemperie fieri poſſunt, qui palpitationi aſcribuntur apud Auicennam. Has Galenus inter pulſus differentias numerat. Nam ab intemperie inæquali motus inæquales fiunt. 2. cau. pul. 1. Inæqualitatem autem huiuſmodi in ſuccis magis eſſe quam in copore cordis tradit 3. de præſ. 4. At vera palpitatio ab ijs differt ictus vehementia.

Dyſen-

A

Dyſenteriæ non conuenire venæ ſectionem, niſi vlcus inflammatum fuerit. Quæſt. XXI.

CVM in Dyſenteria ex affluxu humorum acrium & mordentium abraſio quædam fiat inteſtinorum, & excernantur ſanguinolenta quædam ramenta internæ tunicæ cum dolore, & continua ferè deijciendi cupiditate, vnde aliquando inſequitur inflammatio & febres. Humores quidem acres & mordentes nō debent per venæ ſectionem retrahi ad ſuperiora, ſatius enim eſt per inferiora excerni, interim inteſtina defendendo, ne abradantur, quod præſtatur ijs quæ tectorij modo inteſtinis hæreant, & lubricum præbeāt deſcenſum, vt amylum, tragacantha, ouum cum albumine, ptiſana cum oleo roſaceo & huiuſmodi. Vlcus autem ſi non fuerit inflammatum abſter-

B gentia requirit & aſtringentia, quæ apud nos fęliciſsime præſtantur ex aqua Tettuccij; aut iniecta vbi in inferioribus inteſtinis vlcus fuerit, aut per ſuperiora, vbi in ſuperioribus. Mirum enim ex eius vſu tolli morſum & irritationem, cum alioqui ex reliquis ſalſis maxime irritentur dyſenterici. At vbi euidens inflammatio fuerit, quod ex febre cognoſcitur & vehementi dolore, & copioſa ſanguinis & ramentorum excretione: aliquando in teneſmo ſupprimitur vrina ob tumorem inteſtini recti collum veſicæ comprimentis: In his indicatur venæ ſectio reuellens ad ſuperiora ex interna ſcilicet brachij: quod remedium in omni inflammatione requiritur, ne ſanguis ad partem feratur. Hoc Alexander Trallianus laudat, ſi iuuenis fuerit, tempuſque & vires permittant: Particulæ autem affectæ repellentia, & dolorem mitigantia ex roſaceo conueniunt. Idem purgabat ex lacte cocto, aut extinctis calculis vel Calybe, mitigat enim acrimonias & vlcera omnia interna

C ſanat. Dubitabit verò quis, ſi ratione inflammationis indicatur venæ ſectio, in omni dyſenteria ſecanda erit vena. Nam author definitionē deſcribens dyſenteriam, inquit: eſſe inteſtinorum exulcerationem cū phlegmone, quod hinc patet. Vt enim reſudat ſanguis ex inflammata membrana ſubcingente ob tenuitatem, ſic ex interna inteſtinorum tunica. An differunt, quia per membranā ſubcingentem non tranſfluunt humores abradentes, vt per inteſtina? Ideo ſanguinolenta excretio ex inteſtinis contingere poteſt ex ſola abraſione abſque inflammatione. Author vero definitionum phlegmonem illi adiungens, intelligit grauiſsimam, vt ſolet in cæteris morbis deſcribendis: nō enim eſt neceſſe omni vlceri inflammationem coniungi. Neque ſufficit febris ad diſtinctionem: ſæpius enim febris oritur ob motum, quæ eſt de genere Diariæ, at ex inflammatione putridam eſſe neceſſe eſt. Venæ igitur ſectio tum ratione inflammationis tum febris conuenit. Ne-

que contraindicat in his alui fluxus, vt præcipitur 1. ad Gla. 14. Nam D in dyſenteria non fit copioſa humorum excretio, imò egent ſæpius ijs quæ aluum ſubducant, cum tantum exigua quædam exprimantur ex loco affecto.

Duo tantum Lumbricorum genera in inteſtinis reperiri.
Quæſt. XXII.

QVAMVIS tradantur quatuor genera Lumbricorum in inteſtinis, Aſcarides, qui tenues Lumbrici ſunt geniti vt plurimũ in parte inferiore craſsi inteſtini ex putrefactis fęcibus: Rotundi, qui magis in ſuperioribus inteſtinis generantur, adeo vt aliquando ad ventriculum aſcendant, in pueris frequentiores, de quibus Hippocrates 3. Aph. 26. Lati, quorum generatio rarior eſt, longiſsimi & ſæpe per tota inteſtina extenſi, ex interna inteſtinorum gracilium E membrana geniti, vt Paulus & Aetius tradiderunt. Quartum genus, quos Cucurbitinos vocant ob ſimilitudinem ſeminis Cucurbitæ, de quibus Galenus 1. de loc. af. 5. inquit. Excrementa ſeminibus Cucurbitæ ſimilia latorum vermium indicia eſſe. Re vera tamen duo tãtum genera eſſe, ſcilicet latos & rotundos hinc patet. Latus enim vermis inſtar cinguli in multam longitudinẽ extenſus ex particulis coagmentatus eſt veluti ex Cucurbitæ ſeminibus glutinante muccoſa quadam ſubſtantia. Cucurbitini igitur non aliud genus conſtituunt, cum ſint lati particulæ, & ideo eius indicia. Aſcarides autem non differunt à rotundis niſi ætate: nam ob velocem exitum non peruenerunt ad iuſtum incrementum. Magna autem ex parte cito exeunt cum fęcibus, quia oriuntur in infima inteſtinorum parte. Quibus autẽ datur aſcenſus, creſcunt ad longitudinem dodrantalem & ampliorem. Viſos eſſe cubitali longitudine teſtatur Auicenna: Generari vt plurimum in co F lo inteſtino & cæco. Qui aſcendunt augeri, qui deſcendunt, egredi priuſquam augeantur. Ariſtoteles 4. Meteo. cap. 3. inquit, generari vermes in inferiore ventre ſolum, vbi continetur excrementum putrefactum, non in ſuperiore, vbi fit coctio, licet aſcendant ſurſum. Qui deſcendunt minime omnium lædunt, & ob paruitatem, & quia cito excernuntur. Qui aſcendunt deteriores, & quia ob magnitudinem morſu magis affligunt, & quia coctionem deprauant. Viſos eſſe, qui non ſolum inteſtina perforauerint, ſed & abdomen, exiuiſſeque, & antiqui prodiderunt, & noſtris temporibus compertum eſt. Lati difficilius expelluntur, quia hęrent inteſtinis, eorumque nutrimentum exſugentes Atrophiam inducunt.

Flatus

A

Flatus refrigerantibus remedijs magis tolli, quam calefacientibus. Quæſt. XXIII.

CVm natura flatus aerea ſit, generecurque incaleſcentibus humoribus, caliditatem participare neceſſe eſt. Nihil enim exhalat niſi incaleſcat. Præterea omnino ſiccum abſque humiditate non exhalat, vt terra arida: Neceſſe eſt igitur flatum etiã humiditatem participare: & eius ſubſtantiam eſſe calidam & humidam, vt aer. Quamuis enim exhalatio quædam ſicca ſit, vt fumus, humiditatem tamen quandam habet, quod pabulum ignis dicitur: quia proxima eſt ignis materia, vt aquoſa aquæ. Cum igitur hæc ſit natura flatus, per refrigerantia inhiberi magis quàm per calefacientia patet. Refrigerantia enim prohibent eorum generationem, & eos qui geniti
B ſunt, repellunt. Quod quidem prohibeant eorum generationem teſtatur Galenus 5. Simpl. 23. Cum enim ſeminis natura flatuoſa ſit, à calidis & humidis tum gignitur, tum proritatur: à frigidis autem extinguitur, & à ſiccis ſeu calida ſint ſeu frigida: ſicca enim carent flatu. Idem contingit in ſpumæ generatione: nam vel à motu, vel à caloris multitudine fit, calore intemperato atque igneo in patientibus partibus aggregato. Gal. 7. Aph. 30. & 2. Progn. 20. Quod autem repellentia affectibus flatuoſis conueniant, explicatur. 2. Catat. 1. In doloribus enim capitis à flatu repellentia adhibentur, vt quando ex vini potu caput vaporibus repletur: Et ſimpliciter refrigerantia laudat Galenus in affectibus flatuoſis, nam per ea ſola curat Priapiſmum & linguæ inflationem 14. Meth. 7. & 8. Sed aduerſus hæc dubitatur. Obſtant enim huic ſententiæ medicamenta flatus diſcutientia, quæ omnia calida ſunt, vt ruta, ſemina dauci, ameos, feniculi, & alia multa, quæ à Galeno
C recenſentur 8. Meth. 5. & 12. Meth. 8. & 2. ad glau. 6. Ratio autem eorum colligitur ex 14. Meth. 7. Halituoſus enim ſpiritus in animalis corpore ſenſim naſcitur ex ſuccis, qui lente excalfiunt: nam vbi inſitus calor validus eſt, tum partis humiditas ad ſummum concocta, vtique in tenuem halitum ſoluta, inſenſibili tranſpirata in ambientem effluit. Contra vbi vel ingenitus calor imbecillior eſt, vel naturalis humor tùm ſemicoctus, tum craſſus, tum glutinoſus: ibi craſsior excitatur halitus, quam vt tranſpirare pòſsit, ac potiſsimùm ſicubi particula ipſa denſior eſt reddita: Nonnunquam vero humor, qui in membro continetur, ſubfrigidus eſt, præterea craſſus & glutinoſus: auctior vero calor in halitus eum craſſos reſoluit. Hæc Galenus. Ex quibus patet, flatus qui incluſi in aliqua parte infeſtant, calorificis egere, non ſolum vt diſsipentur, ſed etiam ne gignantur: diminutus enim calor eos genuit, aut ſaltem ob materiæ frigiditatẽ & craſsitiem amplior calor

non

non potuit in inſenſibilem tranſpirationem digerere, ſed liquare & in D
flatus craſſos conuertere, vt in colicis ex pituita vitrea contingit 12. Meth. 8. Medicamenta igitur flatus diſcutientia attenuando, & ſiccando, & particulam rarefaciendo perſpiratum moliuntur. Idem contemplari licet in tympanite: cum enim ſpecies ſit Hydropis, ab Hepatis frigiditate oriri teſtatur Galenus, à minori tamen quam aſcites, quoniam humida ſubſtantia in flatuoſum aerem ſine calore aliquo non poteſt tranſmutari 4. Aph. 11. Idem conijcere licet ex bullis, quæ in vrinis aliquando apparent, ſignificant enim morbum renalem & longum apud Hipp. 7. Aph. 34. quod frigidam diſpoſitionem ſignificare teſtatur Galenus. Ex his igitur & alijs huiuſmodi patet non refrigerantibus, ſed calefacientibus flatuoſos affectus curandos eſſe: qui enim halitus in ambientem aerem ſponte exhalant, non gignunt affectus flatuoſos, ſed qui vel ob craſsitiem vel particulæ denſitatem retinentur: At hi refrigerantibus ineptiores ad efflandum redduntur. Sed E
pro ſolutione huius difficultatis conſiderandum eſt. Alia eſſe remedia quæ prohibent flatuum generationem, alia quæ genitos diſsipāt. Generationem enim prohibent quæ frigida ſunt aut ſicca, vt ſuperius oſtenſum eſt: Genitos tollunt aliquādo calida digerendo & attenuando, & particulam rarefaciendo: aliquando frigida repellendo. Dicimus igitur affectus flatuoſos magis tolli refrigerantibus quam calefacientibus. Quamuis enim calida flatus diſſoluant, ſæpe magis nocent alios gignendo aut accerſendo. Ideo in Priapiſmo & linguæ inflatione Galenus ſolis refrigerantibus vtitur: & in cæteris inflationibus ſaltem in principio adhibet refrigerantia 14. Meth. 7. Tantum ſuſpecta ſunt in partibus neruoſis & reliquis exanguibus 5. Aph. 18. & vbi ob tenſionem viget dolor, nam rarefacientia & anodyna requiruntur ad mitigandum. Tamen ad tumores articulorum, podagricos, & conuulſa abſque vlcere laudat Hippocrates, aquæ frigidæ plurimæ affuſionē F
largam 5. Aph. 25. Nam extenuat, ſcilicet repellendo, & dolorem ſoluit modico torpore. Manifeſtum autem eſt tumores articulorum plerumque flatuoſos eſſe, aut non ſine flatu: in conuulſionibus quoque flatum vrgere oſtenſum eſt alibi à nobis. Similis ſententia habetur 5. Aph. 21. vbi inquit. Eſt autem vbi in diſtentione neruorum ſine vlcere, iuuene bene carnoſo, æſtate media, frigidæ aquæ multa perfuſio calorem reuocat: calor autem hæc ſoluit. Quo in loco cauſam ſanationis reducit ad Antiperiſtaſim, non ad refrigerationem per ſe. Non eſt autem abſurdum, vt refrigeratio larga prius repellendo & obſtupefaciendo, deinde calorem reuocando integre ſanet huiuſmodi affectus. Eadem ſcribuntur abundantius in libro de humidorum vſu. Sed ad dubitationes, quibus oſtenditur, flatuoſos affectus frigidos eſſe, quia flatus à diminuto calore fiunt, vt in tympanite, colicis, & ſpumoſis vrinis:

A nis: reſpondetur. Non ſequi affectum eſſe frigidum, ſi à diminuto calore natiuo fiat. Diminuitur enim calor natiuus etiam ab intemperie calida, vt in putredine. Cum igitur calor natiuus materiam non conuincit, ſiquidem ſuperante frigiditate non fiunt flatus, ſed cruditates: ſi vero ob caliditatem externam, fiunt ciborum corruptelæ in fumoſam qualitatem, quam comitantur inflationes: de ſymp. diff. 4. & 3. ſympt. ca. 1. Quamuis autem ex frigidis humoribus & glutinoſis gignantur craſsiores & frigidiores flatus, non tamē ſimpliciter dici poſſunt craſsi & frigidi, ſed comparatione ad reliquos flatus: Aerea enim ſubſtantia nec craſſa eſt, nec frigida. Colici affectus frigidi quidē ſunt ob humores frigidos, non ob flatus: hi enim excitantur, cū adhibentur calidiora medicamenta 12. Meth. 8. vnde magis cruciantur. Tympanites quamuis coctricis facultatis imbecillitatem ſequatur ob caloris natiui defectum, non tamen eſt frigiditatis ſymptoma, ſed calidita

B tis deprauantis opus ſanguificationis. Simili modo Aſcites: ob caloris enim vehementiā aduritur ſanguis, vnde abit in flatum aut in ſeroſam humiditatem, vt contingit lacti iniecto coagulo. Propterea inſequi ſolent ad viſcera indurata: craſsitie enim ſanguinis cōcreſcente in Hepate, aut liene, aut cęteris viſceribus, redundat ſeroſa humiditas in venis, aut flatuoſa, veluti expreſſo Caſeo. Teſtatur autem manifeſte Hippocrates in lib. de ae. aq. & loc. ventres Hydropicorum calidiſsimos eſſe, cum inquit de ijs qui aquis paluſtribus vtuntur. Splenes bibentibus ſemper ſunt magni & pleni, & ventres duri, tenues ac calidi: humeri verò & clauiculæ & facies attenuata. In ſplenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles exiſtunt. Edaces autem eſſe tales ac ſiticuloſos par eſt, ventreſque tum ſupernos tum infernos calidiſsimos habere, vt etiam fortioribus medicamentis opus habeant: atque hic morbus ipſis & æſtate & hyeme familiaris eſt. Ad hæc etiam Hydro-

C pes plurimi & lethaliſsimi fiunt. Hactenus Hipp. Et lib. de affectionibus inquit. Aqua inter cutem fit plerumque, cum quis ex longo morbo impurgatus multo tempore manet: corrumpuntur enim carnes & liquantur, & fit aqua. Ex his locis videtur Alexander Trallianus collegiſſe tamquam ex Galeni ſententia aliquando Hydropem ex colliquatione naſci. Teſtatur & Galenus 2. Progn. 2. in Hydrope naſcente ex parte inani, quam comitatur alui fluor, inteſtinum ieiunum & meſenterium inflammatione vexari, vnde morſus & irritatio ad excretionē, & ventris ſubleuatio repletis inteſtinis ſpiritu flatuoſo. Iterum Commento 3. de ea quæ ex Iecore exiſtit, quam comitatur paucitas & ariditas deiectionum, inquit: torreri excrementa ab inflammatione Hepatis. At video hic Medicorum turbam inclamantem, reponi Hydropem inter morbos frigidos & humidos: ideo calidis & ſiccis curari. Ad hæc dicimus, aliam eſſe diſpoſitionem, ad quā ſequitur Hydrops: aliam, quæ Hydropem inſequitur. Ad calidam enim intemperiem ſequitur

quitur

quitur ſanguificationis deprauatio, & veluti colliquatio, quæ reſudãs D
ex venis, collectáque in ventre Hydropem facit. Aqua autem collecta cum minus à calore foueatur, ex neceſsitate frigeſcit, vnde frigida intemperies oritur. Miratur autem Alexander, qui fieri poſsit, vt calor febrilis, qui plerumque Hydropes comitatur, ab huiuſmodi aqua nõ extinguatur, aut aquam non exſiccet: ſed ſimul perſeuerent. Imò ſæpe videmus à medicamentis valde calefacientibus & aquas ducẽtibus nihil minui ventris tumorẽ, aliquando etiam augeri. Redundat enim flatus ex vaſis illum effundentibus, vt repente aliquando in ingentem tumorem venter attollatur, quamuis nullo aſſumpto cibo. Fieri id ſæpe videmus in ventriculo ieiuno. Sunt autẽ vaſa ſpiritũ tranſmittentia arteriæ, vt ſignificauit Gal. 7. Aph. 35. ob acrimoniam apertis oſculis. Cõtra autẽ multos Hydropicos videmus ex vſu balnei de aquis quod Piſis habetur, ſanari, Hepate & habitu corporis refrigerato: quod ego etiã ex aqua dulci fœlici ſucceſſu expertus ſum in tympanite. Sed de hy E
drope hæc ſatis. De ſpumoſis autẽ vrinis, quomodo frigidum affectũ oſtẽdant, animaduertendũ eſt. Nõ enim flatus qui in bullis continetur frigiditatẽ ſignificat, nã gigni incaleſcẽtibus humoribus veluti in ollis feruẽtibus, aut ex motu diuidẽte humorẽ vt in vndis maris Gal. tradit 7. Aph. 30. & 2. Prog. 20. Sed humor glutinoſus in bullas elatus, qui difficile abrũpatur, frigidus eſt: humor enim tenuis, & calidus ab incluſo flatu facile diſrũpitur, vnde citò ſpuma euaneſcit, vt contingit in vino generoſo. Actuarius ſpumã in vrinis à capite tranſmitti putat, quod Hipp. tribuit excrementis alui ſpumoſis, cũ inquit 7. Aph. 30. Quibus in alui profluuijs excremẽta ſpumoſa ſunt, ijs pituita à capite defluit: quod facile eſt per palatũ & gulã ſaliua traiecta. At per venas ad renes & veſicã ſpumã integrã ex capite ferri impoſsibile eſt, vt ex Gal. colligitur 7. Aph. 30. Sed poteſt quidem pituita cũ ſanguine ferri ex capite ad renes: inibi autẽ vel in itinere ob motũ aut ebullitionẽ, aut tranſfu F
ſo per arterias ſpiritu, in ſpumã cõuerti. Videmus. n. etiã ſanguinẽ ſpumoſum ex pulmonis vaſis excerni ob ſpiritus mixtionẽ, & in febribus putridis propter ebullitionẽ ſanguis ſpumoſus ſecta vena egreditur.

Calculos in animalibus gigni non ob ſolam caliditatem aſſantem, ſed & frigiditatem coagulantem. *Quæſt.* XXIIII.

CVm veſicæ & renum lapides ex ijs ſint, quæ neque à calido liquantur, neque à frigido, ut later, à duobus coagulatos eſſe neceſſe eſt. Si enim à ſolo calido concreuiſſent, aqua ſoluerentur, vt ſales: Si à ſolo frigido, igne liqueſcerent, vt glacies. At neutrum eos ſoluit. Ratio colligitur apud Ariſtotelem 4. Mete. ca. 7. Concurrit igitur ad eorum generationem tamquam efficiens vtraque cauſa, ignis quidem adurens quicquid in humoribus ineſt aduſtibile,

ſed

A ſed non eouſque vt redigantur in cinerem ſed glutine quodam remanente: refrigeratio autem, qua gluten illud condenſetur. Quandiu enim feruet, mollitiem quandam participat, vnde lateres in caminis aliquando peruertuntur, poſt refrigerationem autem indurantur. Neque ſufficit ſola exſiccatio ad lapidem gignendum: lutum enim cum à modico igne exſiccatum fuerit, iterum humorem bibit vnde ſoluitur: ſed vehementiori igne excoctum, vt gluten gignatur, lapideſcit: nec enim amplius humorem trahit, prohibente glutine humoris penetrationem. Ineſt autem huiuſmodi gluten alijs magis alijs minus, vnde lapides duriores, vel magis friabiles: vt Marmora, Tophi. Qui in animalibus gignuntur Tophis ſimiles ſunt, nam modice condenſati ob materiæ raritatem: humor enim animalium nullo leuior eſt corporibus metallicis. Quod autem ad eorum generationem concurrat frigiditas, indicio ſunt loca, in quibus gignuntur. Veſica enim fri-
B gida eſt, quippe quæ & neruoſa ſit, & pauci ſanguinis, & ampliſsima concauitate inanis: vnde fit vt craſsitudo à renibus in ipſam tranſmiſſa, ſi diutius immoretur, cogatur, & inſpiſſetur, vt tradit Galenus 3. in 6. Epid. 15. Fiunt quoque in renibus calculi, at non in pueris, tantum in adultis. Cum enim in pueris multus inſit calor natiuus, & actiones firmæ: materiæ craſsitudo attenuata in renes fertur, inde cito & facile in veſicam percolatur, vbi concreſcit, ſi diutius immoretur. In adultis autem vtpote frigidioribus & ſiccioribus, humorum craſsities prius concreſcit, quam in veſicam labatur: idque non ſolum in renibus, ſed aliquando in veſica fellis, vt ſæpe noſtris temporibus viſum eſt: eſt enim & hæc membranoſa vt vaſa vrinam excipientia. Teſtatur author Hippocrati aſcriptus in fine de natura humana, aliquando in tuberculis ſuppuratis, ex pure cum non cito expurgatum fuerit, calculos gigni, qui ex renibus ferantur in veſicam. At certum eſt pus confectum
C frigiditatem acquiſiuiſſe. Oriuntur & in articulis tophi. 1. Alim. 5. Videmus & circa dentes ſub gingiuis ſordem aliquando cruſtoſam lapideſcere. Teſtatur Hippocrates 2. Epid. etiam ſub lingua paruos calculos naſci ex collectionibus circa oſſa & in Podagricis: quia oſsium natura, inquit, cauſa eſt, vt hæc indurentur: quod profecto ſignificat eorum naturam frigidam & ſiccã. Patet id & in externis. Vt enim aquæ thermales lapidibus, per quos tranſeunt, apponunt ſordes, quæ lapideſcũt: ſic vrinæ matulas cruſta lapidea obducunt, frigidus enim & ſiccus eſt locus. Videtur autem ſimilis generatio pinguedinis & lapillorum: licet eorum materia maxime differat. Nam vtraque ſubſtantia à calore prius elaborata agglutinatur corporibus membranoſis, ob frigiditatem cõdenſata. Sed pinguedinis materia aerea eſt & inflammabilis: lapillorum autem terra combuſta. Ideo pinguedo extrinſecus membranoſis corporibus agglutinatur, quia eius natura exhalabilis ob tenuitatem ex vaſis egreditur: lapillorum autem materia ob craſ-

ſitiem intra vaſa continetur,ſeu in veſicis,ſeu in meatibus,aut alijs col D
lectionibus. Sed aduerſus hæc vulgata eſt ſententia,calculos in anima libus á ſola caliditate fieri ſiccante humiditatem ſuperfluam: quomodo etiam extra animalia multos lapides fieri putant, vt lateres. Afferunt autem Hippocratis ſententiam in lib. de nat. hum. ſed in parte quæ ſpuria merito á Galeno cenſetur,vbi inquit. Fiunt & calculi pueris propter huius loci,ideſt, veſicæ caliditatem,itemque totius corporis. Viris autem calculi non generantur propter corporis frigiditatẽ: pueri enim calidiores ſunt. Quam ſententiam Hippocrates alibi dubitatiuo modo affert. Nam 3.in 6.Epid.15.inquit. Poſt mictum pueris concretio magis: num quia calidiores? Eandem ſententiam videtur confirmare in lib.de Ae.aq.& lo.vbi inquit. Quorum aluus feruida fuerit, in his neceſſe eſt etiam veſicam idem perpeti. Cum enim magis quam pro natura fuerit calfacta,ſtomachus ipſius inflammatur: vbi vero hæc patitur,vrinam non dimittit, ſed in ſeipſa concoquit,& E
adurit: & quod tenuiſsimũ in ipſa eſt, excernitur, & quod puriſsimũ eſt, tranſit & emingitur: quod vero craſsiſsimũ ac turbidiſsimum eſt, coaceruatur,& concreſcit. Item paulo poſt. Fit autẽ pueris etiam ex lacte, ſi non ſalubre id fuerit, ſed valde calidum ac biliosũ: ventrem enim percalfacit & veſicã: quare vrina, dum aduritur,hæc patitur. Galenus quoque apertiſsime idẽ teſtatur in lib.de Ren.af.dig.c.2.Inquit enim: In nobis lapidem frigus nõ parit: neque enim fieri poteſt,vt viuo corpore tantũ frigus accidat, quo concreſcere valeat in homine lapis, quemadmodũ fieri in externis videmus. Quo fit, vt à calore lapis in corpore generetur,eoque vel vehemẽti,vel tepido. Idem 1. Alim.5. inquit. Cũ humor crudus lentorem aſſumpſit,& trãſitus per renes qui buſdã natura ſunt anguſti: ibi quod craſsiſsimũ eſt ac maxime lentum, diutius moratũ,tophum prõpte gignit: cuiuſmodi in vaſis, in quibus aquam calfacimus adcreſcit: aut ad ſaxa adfigitur in plerisq; aquis cali F
dis ſponte naſcentibus. Confert autem ad id maxime renum ipſorum tẽperamentum,quãdo ipſorum calor acris fuerit,ac velut igneus. Hæc Galenus. Pro conciliatione autẽ tantæ controuerſiæ ſupponendũ eſt. Caliditatem omni mixto perfectionem tribuere, hæc enim aquam & terram congregat in vnam naturam homogeneam, rarefaciens attenuans & ſuperflua abſumens, vnde corpulenta redduntur mixta. Frigiditas autem mixtionem non facit, ſed condenſat tantũ congregans tum homogenea tum eterogenea. Videtur enim per accidens ingredi opus naturæ. Hinc factum eſt, vt ſæpe in generatione calculorum authores non meminerint frigiditatis, ſed ſolius caliditatis inter cauſas efficientes. Quod enim formam tribuit, caliditas eſt. Cum igitur lateres in fornacibus excoquuntur,videtur ſola caliditas efficere,potiorem enim partẽ efficit,ſcilicet mixtionẽ humidi cum ſicco. At niſi à frigore condenſarentur, ſaltẽ deficiente igne, euaneſcerent in fuliginem
aut

A aut in puluerē omni humore abſumpto: vt calx, cinis. Authoritas quæ adducitur ex libro de Nat. hum. ſuſpecta eſt. Cū enim dicat, fieri calculos in pueris ob veſicæ & totius corporis caliditatē: in adultis non fieri, quia eorū corpus eſt frigidum, innuit calidi innati abundantiam calculos facere, quo abundant pueri: nō aduentitiū, quo abundant adulti: at hoc falſum eſt. Calculi enim generatio ab igneo calore magis fit, vt apud Galenū vidimus. Rectius igitur Hippocrates in Epidemijs dubitatiuo modo dixit: nū quia calidiores? nam ea ratio ambigua eſt, niſi ſano modo intelligatur, vt Galenus notauit. Clarior autem eſt ſententia, quę habetur in lib. de aere aquis & locis, modum enim explicat, ſecundum quē ex feruore veſicæ lapis gignitur. Inquit enim veſicā inflammatā & eius oſtium vrinā non dimittere, hinc aduri in ipſa: ex aduſtione autē quod craſsiſsimū eſt coaceruari, tenuiori tantū ſubſtantia excreta, tandem concreſcere. Ex his patet nō calidum innatū, ſed quod pręter natu B rā eſt, calculos gignere. Feruorē præterea veſicæ impedire, quo minus vrina reddatur, quod patet: inflāmata enim ceruice eius, meatū vrinæ coanguſtari neceſſe eſt, & dolere cū dilatatur & conſtringitur. Corpus quoque veſicæ præ inflammatione cōprimi nequit ad vrinam expellendam: vnde ſæpe videmus in ſtillicidio vrinæ veſicā valde turgidam, & tumorem aliquando ad vmbilicū aſcendentē, quod magnam vrinæ copiam oſtendit, quæ tantā cauitatē replet. Intromiſſa tamen Syringa nō multū excerni, quod contingit, nō quia ſemper intercludatur iter à ſubſtantia limoſa, Syringa enim vltra eū locū penetrat, vbi limus colligitur, ſed quia veſicæ corpus ob inflammationē contrahi nequit: Non datur autē vrinæ egreſſus, niſi contrahatur veſica, daretur enim vacuum. Hoc igitur eſt vnum, quod feruor pręſtat. Alterū, inquit Hippocrates, aduri vrinam retentam: in quo conſiſtit præcipua generationis lapidis cauſa: vſtio vero hæc fieri poteſt, & in renibus, Hepate, venis, abſceſsibus: non C tamē vbique lapidis materia aceruatur, nec vbique coit in lapidis duritiē. Nam in febribus ſępe veluti cineres vſtorū humorum in vrinis ſubſident, qui ſi retinerentur accedente aliquo glutine, in lapidē verterentur: vt harena cū calce mixta. Aceruatur autē, vbi nō datur exitus, vel ob vaſorū anguſtiā vel humorum craſsitiē ac lentorem. Quid igitur calor vrens faciat, oſtenſum eſt. Sequitur concretio, quæ nō amplius à calore fit, ſed refrigeratione: innuit autē id Hippocrates cum inquit: concreſcit quidē parū, deinde maius fit. Dum enim voluitur ab vrina, quicquid craſſum compactū fuerit, ad ſeipſum adaptat: atque ſic augeſcit, & in totū concreſcit. Quaſi lapillus primo genitus aduenientē nouam materiā in ſe conuertat: vnde per cruſtas apparent coagmentati. At certū eſt lapidem natura frigidum eſſe, ideo materiā aduenientem coagulare, vt lapides faciunt, per quos tranſit aqua thermarū. Ob eandem cauſam qui potāt aquas ex magnis fluminibus, inquit Hippocrates, calculo maxime laborant: neceſſe enim eſt ab ijs limū & harenā in vaſis ſubſidere.

Hæc autē principia ſunt congelationis humorū aduſtorum in lapidem. D
Quod præterea inquit, pueris à lacte fieri lapidē, quādo morboſum fue rit, valde calidū & bilioſum, nō accipiendū eſt ex lacte tamquā materia: lapidis enim natura frigida eſt, pituitoſa ac tenax, vt tradit Gal. 1. Alim. 5. ſed tamquā efficiēs. Ventrē enim, inquit, percalfacit & veſicā. Genus igitur lactis, quod frigidū eſt, ac tenue, quale aſininum, calculoſis reme dio eſt, tēperat enim feruorē. Reliqua genera craſsiora offendunt tāquā materia lapidis futura, vt caſeus: Omnia tamē iuuant refrigerando, niſi fuerint morboſa & bilioſa. Hactenus ad authoritatē Hippocratis. Ad Galenū quoq; eadē ſatisfaciunt. Oſtenſum enim eſt, igneā caliditatem præcipuā cauſam eſſe generationis lapidū, vt ipſe fatetur. Tantū negat à vehemēti frigore fieri, non .n. hoc datur in corpore viuēte. At innuit etiam refrigerationē quandā coagulantem. Teſtatur enim in lib. de ur. aff. dign. 2. in veſica exiſtēte frigida conſiſtere & denſari in eā craſsitudi nem & conſiſtentiā: Et 1. Alim. 5. inquit: Tophū prompte gigni, cuiuſ- E modi in vaſis, in quibus aquā calfacimus, accreſcit, aut ad ſaxa affigitur in pleriſq; aquis calidis ſpōte naſcentibus. Virtute enim ſaxorū materia ab aquis ſeparata cōcreſcit. Teſtatur enim 4. in 6. Epid. 9. Aquā impurā poſt decoctionē refrigerandā eſſe, vt partes craſſæ ſubſidant, quæ in decoctione permixtę ſunt, & agitatæ. Qui enim huiuſmodi aquas potāt ſiue ante decoctionē, ſiue decoctas quidē ſed nō refrigeratas, incidūt in graues noxas præcipue ij, quorū veſica aut renes progignendis calculis obnoxij ſunt. Nam quęcūque ex diuerſę naturæ materijs cōſtant, permi nutas particulas mixtione cōflata, hęc poſt calefactionē refrigeſcētia facile diſſoluūtur: ſed ſtatim ab elixatione antequā refrigerentur, adhuc motione agitātur: atq; ideo omnes eius particulæ permixtæ ſunt: ſed ea refrigerata graues & terreę fundū petunt, leues ſuperfluitant. Hęc Gal. Sic in veſica poſt vſtionē ſeu in illa factā, ſeu in toto corpore, quod craſſiſsimū in vrina ac turbidiſsimū eſt, coaceruatur & cōcreſcit. Ineſt autē F in omni vrina etiā ſanorū aliquid aduſti, quod partim in ſalē, partim in tophū condenſatur: id ſi nō in corpore concreſcat ob citā expulſionē, extra in matulis cōdenſatur cruſtas gignens, ſi diutius immorari permit tatur: inſtar aquę ablutionis calcis, aut ſucci lapideſcētis. Pleriq; etiā ha renulas mingunt abſq; lapidis ſuſpitione, quibus principium concretio nis ineſt ſecundum exiguas particulas: ſed quia cito cū vrina excernun tur, nō augentur, neque inuicē glutinantur. Diſſolui tamē poſſunt calculi in harenulas & per ſe & medicamentis incidentibus & abradentibus, poſtquā molliores redditi fuerint. Ideo tūc oſtēdunt calculū aut in veſica, aut in renibus. Sed calculoſæ harenę ſubalbidę ſunt, ex bile ante vſta, ruffę. Vidimus tamē in veſica fellis calculū auellanę nucis magnitu dine colorē croceo, vtpote qui ex bilis craſsitie coagmentatus fuerit.

Medicarum Quæſtionum Finis.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI,

De Medicamentorum Facultatibus, LIBER PRIMVS.

CAP. PRIMVM.

CVM materia Medica amplectatur omnia cor-
pora tangibilia, quatenus corporis humani
ſanitatem efficere ac tueri poſſunt. Medici
præmiſſa eorum hiſtoria in eo ſolum labo-
rant, vt ſingulorum facultates optime no-
ſcant. Inuentæ autem ſunt quædam expe-
rientia, quædam ratione. At quoniam expe-
rimentum eſt periculoſum, ac iudicium dif-
C ficile, alterumque ſine altero claudicare vi-
detur: coniuncta certam exhibent notitiam.
Multa quidem ab antiquis tradita ſunt longa experientia comproba-
ta, quibus merito fides habenda eſt: niſi tamen ratio ſuadeat, fallere
poſſunt. Ignoratis enim conditionibus, quæ cum experimento con-
currunt aut ex parte medicamenti, aut ex parte ægrotantis, non mirũ
ſi aliquando res non ſuccedat ex voto. Qui autem rationem tenent,
propter quid hæc quidem repellant, hæc vero digerant, aut attrahant,
aut abſtergãt, aut quodcumque aliud efficiant: optime iudicare poſ-
ſunt remedia à veteribus inuenta, & noua etiam ad vſum trahere, &
opportune quibus cõueniunt, adhibere. Videamus igitur rationem,
qua ſingulæ medicamentorum vires innoteſcunt, diffuſe quidem à
Galeno pertractatam in libris de ſimplicium medicamentorum facul
tatibus, in compendium autem nunc à me redactam. Cum autem fa-

cultates vel in primis qualitatibus conſiſtant, vt calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & ſiccandi; vel in ſecundis, vt emolliendi, indurandi, rarefaciendi, condenſandi, & alijs huiuſmodi: vel in tertijs, vt glutinandi, concoquendi, abſtergendi, repellendi: & tandem quę opera magis particularia & partes peculiares reſpiciunt: quæ inter quartas facultates recenſeri poſſunt, vt gignendi lac, & ſemen: exobſtruendi, hepar, lienem: aut roborandi cor, cerebrum, ventriculum, vnde hepatica medicamenta, cephalica, ſtomachica, cordialia, & alia huiuſmodi dicantur. Pleriſque Medicis breuitatis cauſa viſum fuit ſufficere, ſi quis temperamentum cognoſcat ſecundum primas qualitates, reliquas enim facultates ab ijs pendere. Sed hi cum per hoc principiū nequeant diſtinguere inter ea quæ in ſecundis & tertijs & cæteris facultatibus maxime diſtant, quæ ſæpe eiuſdem tempamenti ſunt coguntur confugere ad quaſdam proprietates occultas, quæ à tota ſubſtantia prouenire dicuntur. In eodem errore teſtatur Galenus 1. Sim. 1. fuiſſe Scepticos Philoſophos, qui de omnibus rebus hæſitabant, & Empiricos Medicos: hi enim affirmabant, non poſſe certo cognoſci facultatum eſſentiam, ideſt principia, vnde pendeat facultas purgandi, vomitoria, ſternutatoria, bechica: & cætera huiuſmodi: Idcirco ad ſolam experientiam confugiendum eſſe. Quamuis autem Galenus inibi omnium facultatum eſſentias tum in alijs omnibus, tum in medicamentis ad primas qualitates, ex quibus omnia conſtant, referat: in ſingulis tamen explicandis alias conditiones illis adiungit, vt craſſum, tenue, aſperum, læue, lubricum, viſcoſum, & oppoſita: vnde quædam repellant, quædam aſtringant, quædam illinant, quædam abſtergant, & alias mirabiles operationes efficiant: & adhuc mirabiliores, ſi addatur materiæ ſimilitudo aut diſsimilitudo, vnde quædam purgantia ſunt, quædam venena: quædam nutriunt, quædam venenis reſiſtunt, quæ à tota ſubſtantia agere dicuntur. Videtur autem ea opinio, quæ omnia ad primas qualitates referebat, cępiſſe tempore Hippocratis. Inquit enim in lib. dę veteri medicina: quoſdam Medicos nouo quodam modo breuitatis cauſa omnia reduxiſſe ad calidum frigidum humidum & ſiccum: quos euidentiſsimis argumentis refellit, vt in Quęſtionibus Medicis oſtendimus. Sed ea poſitio, quam breuitatis cauſa excogitaſſe videntur, hodie longe prolixior euaſit, quam quæ ab Hippocrate innuitur. Vt enim vniuſcuiuſque temperamentum inueniat, indicia petunt partim ab extrinſecis, partim ab intrinſecis. Extrinſeca quidem conſiderantes calidum frigidum humidum & ſiccum, quid medicamenta cum eorum cōmercio patiantur. Nam ſi ab igne facile comburantur, calida eſſe iudicant, vt pinguia: ſi à frigido coagulentur, frigida: ſi incoagulabilia: calida. Si in aqua ſoluantur: humida: ſi inſolubilia permanent, ſicca: Si in ſicco nequaquam ſiccentur, humida:

D E F

A mida: ſi facile ſiccantur, ſicca: In quorum iudicijs multi errores contingunt. Ab intrinſecis autem, vt ſaporibus, odoribus, & coloribus temperamenta inquirunt, non tamen ſemper certa: Nam præter ſapores reliqua indicia valde ambigua ſunt. At vtrumque habito eorum temperamẽto, adhuc incertæ ſunt reliquæ facultates, quæ longe maioris momenti ſunt quam primæ. Nam teſte Galeno 5. Simp. 2. Plerique idiotarum natura duce remedia inueniunt calefacientia, refrigerantia, humectantia & ſiccantia. At phlegmones, ſcirrhi, œdematis, eryſipelatis, putredinis, herpetis, gangrenæ nullus ex illis ſibi remedium peruestigandum ſumit, tamquam vnumquodque eorum maius iam ſit, quam pro captu hominis plebei: ac ſcientiam requirat venerabiliorem: eam ſcientiam nuncupant medicinam, & qui eam exercet, Medicum. Igitur etiam ſi quis per multas ambages in cognitionem temperamenti ſecundum primas qualitates venerit, adhuc non Medi-
B cus dicendus eſt: non enim differt ab idiotis. Soli autem ſapores certius & propinquius non ſolum temperamentum oſtendunt in calido frigido humido & ſicco: ſed & reliquas facultates longe efficaciores tum ad morbos gignendos, tum ſanandos. Hoc teſtatur Hippocrates in lib. de Vet. Med. Innuit quoque Galenus 5. Simpl. 2. cum inquit. Vno quidem modo ſatis eſt temperamentum notaſſe cum tenuitate partium, uel craſsitie: Alio vero modo, amarum eatenus eſſe aut dulce, & quæ ſequuntur.

C A P. I I.

SED antequam hæc aggrediamur, ſatius fuerit numerum facultatum eiuſque ordines percurrere. Quas & ſi Galenus 5. Simp. 2. diligenter enumerat, tamen non inutile fuerit ad
C pauciora quædam capita redigere in hunc modum. Aliæ in ſola alteratione conſiſtunt: Aliæ in generatione & corruptione. Itẽ quædam in adiectione, & ablatione: Quędam in motu & quiete. Quamuis ſingula genera permiſceri poſsint vario modo. Ad ſolam alterationem ſpectant tum quæ primas qualitates inducunt, calidum, frigidum, humidum & ſiccum, vnde facultates denominantur, calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & ſiccandi: aut ſecundum eorum coniugationes agendi, ſecundum varios intenſionis & remiſsionis gradus: Tum quæ ſecundas gignunt: vt durum & molle: Tenſum & laxum: Denſum & rarum; Tenue & craſſum: Aſperum & lene. Vnde etiam ſecundæ facultates appellantur: vt indurandi emolliendi, congelandi, fundendi: ad indurationem ſpectant, quæ cicatricem inducunt Epulotica appellata: eaque pro diuerſis vlceribus ac partibus diuerſa, vnde tertiæ & quartæ facultates dicuntur in hoc genere. Simili modo

tendentia & laxantia : Condenſantia & rarefacientia : inter conden- D
ſantia ſunt aſtringentia, & oſcula venarum claudentia : glutinantia : oppoſita autem aperientia. Ad tenue & craſſum non ſolum ſpectant medicamenta extenuantia & incraſſantia, ſed etiam incidentia humores viſcoſos: & frangentia lapidem ſiue in renibus, ſiue in veſica, vnde iam tertiæ & quartæ facultates dicuntur, ad aſperum & lene pertinent facultates exaſperandi & leniendi : inter exaſperantia ſunt, quæ dolorem inferunt, quibus contrariæ ſunt facultates anodynæ, & lubricantia aluum & aſperam arteriam læuigantia. Circa generationem autem & corruptionem verſantur, quæ vim habent gignendi humores vel bonos vel prauos cuiuſcumque generis, vel flatus: vel prauitatem con temperandi, hoc enim nō ſola alteratione fit, ſed admixtione alterius ſubſtantiæ. In hoc genere ſunt concoquentia, concoctio enim craſim facit. Carnem in vlceribus gignentia, ſarcotica græcis vocata: quę diuerſa in mollibus partibus vel duris; Lactis vel ſeminis abundantiam E
facientia : Suppurantia : lapides gignentia : Lumbricos, aut pediculos. Quæ autem corrumpunt, putrefacientia : Colliquantia: vrentia : Cruſtam excitantia: Erodentia: lac & ſemen extinguentia. Obſtupefacientia : Soporiſera : Mentem alienantia : virtutem enim corrumpunt. Necantia fętum, & abortum facientia : item quæ vermes aut pediculos interficiunt. Porò ad adiectionem pertinent cibi & potus, & quæcumque reficiunt partes ſolidas vel molles, vel humores, vel ſpiritus : inter hæc ſunt roborantia ſingulis partibus propria. Item replentia : obſtruentia : illinentia, ſeu Emplaſtica vocata. Ad ablationem autem ſpectant digerentia : abſtergentia: exobſtruentia : purgantia hūc aut illum humorem per inferiora vel per ſuperiora, qualia ſunt vomitoria, per vrinam, menſtrua, ſudores: per ſputum, vt quæ à tuſsi Bechica vocantur : per nares Errhina & ſternutatoria, per palatum Apophlegmatiſmi. Motum efficiunt repellentia, attrahentia ſiue humores F
ex alto, ſiue infixa corpori ſpicula aut oſſa fracta, ſiue venenum, quæ inter Alexipharmaca ſunt. Item quæ impellunt fętum aut ſecundam: Menſes; vrinam : Venerem. Quietem præſtant ſiſtentia fluxum ſeu ſanguinis, vt menſium, ſeu deiectionum, ſeu vomitus, ſeu diſtillationis ſeu fluoris muliebris. Omnia vero opera prædicta maxime particularia fiunt, cum propria redduntur alicui particulæ ob varias conditiones adiunctas, vnde quædam cephalica medicamenta, quædam ocularia, auricularia, nephritica, & alia huiuſmodi appellata ſunt. His compendioſe admodum prænotatis perſequamur rationes, quibus ſingulas medicamentorum facultates exploratas habeamus.

C A P.

A

CAP. III.

QVAMVIS à commercio cũ externis corporibus modica habeatur cognitio facultatum, non tamen inutile fuerit exemplo Galeni breuiter hanc rationem attingere, quod & in odoribus & coloribus faciemus. Quæ igitur facile ignem concipiunt, merito naturam igni proximam habere putandum eſt, vt reſinæ, pinguedines, ſulphur: item ligna arida rara & leuia, & quæcumque modico principio extrinſecus accepto, promptè in ignem vertuntur. Rationabile enim eſt, vt à calore inſito qui in nobis eſt, excalfacta in calidam ſubſtantiam vertantur. Fallit tamen hæc ratio in multis: nõ enim ſequitur: ſi poſita in igne vertantur in ignem, vt ſimiliter poſita in corpore humano, in quo mitiſsima eſt caliditas, ignem eundem con-
B cipiant. Exemplo ſint capilli & calamus: res enim ſunt facillimæ ad comburendum, ab homine tamen non reducuntur ad actum ob partium craſsitiem, vt Galenus tradit 1. Simpl. 12. Oppoſito modo quæ reſiſtunt combuſtioni, frigida exiſtimantur, vt aqua & terra, & quæ ex illis dominantibus conſtant, ſed diſſonat ratio in aqua marina, & multis thermis: item in Metallicis calidis multis, cum enim terrea ſint, nõ comburuntur, vt ſales, alumina, chalcanthum, calx. At hæc omnia propter vſtionem præcedentem caliditatem contraxerunt, quod Empyreuma vocat Ariſtoteles in cineribus relictum. Hoc enim per ablutionem in aqua, eam reddit calidam, vt lixiuium. Sales autem, & cætera corpora ex rebus combuſtis per ablutionẽ habita, caliditatem eandem ſeruant. Hoc modo vrina, & animalium excrementa calida reddita ſunt, quia in coctione animalium abſceſſerunt. Simili modo quæ putrefacta ſunt, ſæpe aliquod veſtigium caliditatis retinent, & tãdem
C quæ percocta ſunt, calidiora ſunt reddita, vt fructus maturi calidiores acerbis. Sed non eſt neceſſe huiuſmodi caliditatem tantam eſſe, quæ hominẽ calefacere poſsit, vt contingit in aceto: licet enim per quandam putredinem fiat, remanet tamen frigidum prędominans. Neque etiam neceſſe eſt omne combuſtum calidius eſſe non combuſto: contra enim accidit in quibuſdam, in quibus ſubſtantia calida euanuit in combuſtione, vt contingit chalciti & chalcantho: quod enim inerat combuſtibile & calidum, in igne abſumptum eſt, ideo redduntur minus calida: Quod ſi poſt combuſtionem abluantur, amiſſo ignis veſtigio, in totum frigida redduntur. Idem patitur uinum, quando in acetum uertitur: aut cum per deſtillationem extrahitur eius pinguedo, quæ aqua ardens vocatur. De commercio igitur cũ calidis, hæc ſufficiant. Cum frigidis autem hoc modo iudicant. Quæ coagulantur à frigore frigida cenſentur: aqua enim huiuſmodi eſt, & quæ aquea

ſunt, vt metalla. Sed hoc non verum in ſulphure, cera, ſeuo, pice: Cum D enim pinguia ſint, conueniunt cum igne: coagulantur tamen à frigore. Præterea oporteret è conuerſo, omnia quæ coagulantur à calido, calida eſſe: Sunt tamen quædam frigida, vt gummi, tragacantha, & lapides multi. Sed liquatio & coagulatio cum ſint paſsiones humidi & ſicci, has potius qualitates oſtendunt. Quę enim à calido liquantur, humida eſſe neceſſe eſt, ſeu humiditas aquea ſit, vt in glacie & metallis, ſeu aerea, vt in ſulphure, pice & cæteris pinguibus. Coagulata enim fuere non abſcedente humido, ſed calido tantũ, ideo à calido ſoluuntur. Contra autem quæ à frigido ſoluuntur, ſicca: non enim ſimpliciter à frigido hoc patiuntur, ſed ab humido, vt ſales, gummi: coagulata enim fuere abſcedente humido, ideo humidum ſoluit. Quæ præterea illiquabilia ſunt, vt lapides lignum, ſicca eſſe neceſſe eſt, dura enim ſunt, quod ſiccitatis eſt ſignum. Quæ incoagulabilia, vt vinum, oleũ, argentum viuum, humida: ſed humiditatẽ habent aeream ac tenuẽ: E Nam craſſa humiditas pinguis coagulatur, vt ſulphur: oleum nequaquam ob tenuitatem. In humiditate autem aquea hoc non contingit: coagulabilis enim eſt quæcumque abſcendente in totum calido: ideo tantum ab exceſſu frigoris fit, vt glacies. At ex humiditate aerea non contingit abſcedere omnino calidum, niſi corrũpatur. Aer enim caliditatem habet in ſui ratione. Quod de coagulatione dicitur, idem intelligendum de incraſſatione: omne enim coagulatum craſsius eſt: Sed incraſſatio magis dicitur abſcedente humido, remanente autem ſicco terreo, ſeu fiat à calido abſumente humiditatem, vt in ſale & ſuccis, ſeu à frigido exprimente cum calido humorem, vt in ſanguine refrigerato. Reliqui humores, qui per aſſationem fuerunt incraſſati, humeſcunt refrigerati, vt ſales ab humido ambientis. Sed hæc non ſunt præſentis ſpeculationis. Dicta autem ſunt, vt ratio pateret, qua diuerſa corpora ex commercio cũ calidis vel frigidis iudicantur calida aut F frigida, aut humida aut ſicca. Quamuis autem in rerum natura vt plurimum hoc modo ſe habeant: non tamen comparata ad hominem talia ſemper inueniuntur. Non enim quodcumque humidum hominem humectat: Metalla enim omnia hominem exſiccant, ideo terrea dicuntur à Galeno, quamuis quædam humidiſsima ſint, vt argentum viuum. Idem dicendum & de cæteris qualitatibus hoc modo inuentis. Quod à calido & ſicco coagulatur, ſiccum dicebatur, quia abſcedente humido id contingit: gummi tamen & tragacantha in homine humectant, facillime enim ab humido hominis in priſtinam naturam conuertitur. Sal verò exſiccat, licet humido facile ſoluatur, imò & aqua ſalſa exſiccat: omnis enim natura metallica id præſtat. Pro natura igitur corporis, quod in humido ſoluitur, aquæ reddũtur quædam ſiccantes, quædam humectantes, calefacientes aut refrigerantes.

Illud

A Illud tantum videtur ſtatui poſſe: ex commercio cum calidis corpora calidiora reddi, cum frigidis frigidiora, cum humidis humidiora, cum ſiccis ſicciora, vt patet in plantis: Quale enim ſolum & cęlum fuerit, in quo nutriuntur, ad talem qualitatem vergunt. In locis enim aridis & montanis plantæ ſicciores proueniunt: in humectis & planis humidiores: in calidis calidiores, vt aromata apud indos, in frigidis frigidiores, facta tamen comparatione nō inter diuerſas ſpecies, ſed in eadem ſpecie. De coniectura igitur facultatum ab extrinſecis petita, hæc ſufficiant.

CAP. IIII.

SEQVITVR vt ab ijs, quæ corporibus ipſis ſunt, indicia perquiramus. Inſunt autem tam primæ qualitates, quæ princi-
B pia ſunt omnis actionis & paſsionis, quam ſapores, odores, & colores. Si igitur primæ qualitates actu eſſent in medicamentis, nō egeremus ratiocinio ad eas inueſtigandas, ſenſu enim tactus ſtatim innoteſcerent. Sed quoniam in vnoquoque temperamento latent potentia exiſtentes, ob id cogimur ratione inuenire. Quoniam autem ſapores propinquiſsimi ſunt temperamentis, poſtea odores, minime omnium colores, remotiſsimi enim hi ſunt à qualitatibus tangibilibus, cū pendeant ab alijs principijs. Hinc fit vt à ſaporibus certiſsima habeantur facultatum indicia, non ſolum primarum ſed & reliquarum omnium. Cum enim guſtus ſit tactus quidam, etiā ſapor tangibile quoddam erit, ſed magis particulare: cognoſcit enim guſtus calidum frigidum humidum & ſiccū, quatenus nutritiua ſunt aut nutrire nequeūt hoc autem eſt eſſe dulce, amarum aut reliquos ſapores. De ſenſ. cap. 4. Quemadmodum autem ex varia primarum qualitatum mixtione va-
C ria oriuntur temperamenta, ſic & varij ſapores conſurgunt. Qualis enim mixtura eſt & putredo humoris, talem quoque ſaporem produci teſtatur Theophraſtus 6. de cau. plan. cap. 3. Ob hanc rationem ſapor magis particulares edit operationes, quam primæ ſimplices qualitates: ad ſapores enim ſpectant medicamentorum facultates maioris momenti, quas ſecundas & tertias & reliquas vocauit Galenus. De ſaporibus igitur primum dicamus. In eorum generatione mixturæ variantur nō ſolum ſecundum intenſionem & remiſsionem primarum qualitatum, ſed etiam pro diuerſitate terrei ſapidi & humoris in quo diluitur, ſi fuerint tenuia vel craſſa, rara vel denſa, lenta vel friabilia: aſpera lęuia: pinguia macra, & tandem ſi in materia metallica, aut animata, graui aut leui. Quicumque enim ſapores in fructibus reperiuntur, hi etiam proueniunt in terra. De ſenſ. cap. 4. Differunt autem, quoniam corpora terreſtria & metallica tranſire in nutrimentum animalium

lium nequeunt, niſi prius tranſierint in nutrimentum plantarum 4. D
Simpl. 15. Cum enim nutrimentum familiare eſſe oporteat, quæ valde diſsimilia & remota ſunt ab eo quod nutritur, vinci nequeunt à calore innato. Hinc qualitates prouéniunt, quæ ſecundum totam ſubſtantiam dicuntur, apud Galenum: quæ omnia diſcernit lingua tamquam guſtus inſtrumentum. Quoniam autem eodem inſtrumento & ſapores & tactiles qualitates percipimus, atque exactius, vt gemmarij ſciunt, qui tactu linguæ certius quam alia parte intenſiorem frigiditatem in veris gemmis dignoſcunt, remiſsiorem in adulterinis: Hinc factum eſt, vt homo, qui præ cæteris animalibus guſtum habet exquiſitiſsimum ſicut & tactum, nullo alio inſtrumento exactius quam lingua medicamentorum facultates perdiſcere poſsit. Nam dulcedine familiaritatem & conuenientiam nutrimenti cognoſcimus. Amaritudine & ſalſedine materiam exuſtam & omni pinguedine priuatam iudicamus, in qua nihil eſt quod nutritioni ſit aptum. Acredine & aci- E
ditate mordenti ſubſtantiæ tenuitatem dignoſcimus. Auſteritate & acerbitate exaſperante & contrahente linguam, ſiccitatem aſperam & craſſam perſentimus, & multas alias facultates, quas in ſingulis perquirere ſatius eſt.

C A P. V.

DE ſapore dulci, inquit Galenus 1. Simp. 37. linguam veluti inungit & replet: exaſperatas eius partes ac veluti eroſas lenit & reſtituit cum uoluptate: Pinguis autem ſine voluptate. Ex his colligere licet, & temperamentum & vires, quibus dulcia & pinguia agere poſſunt in reliquum corpus. Quatenus enim inungũt, non ſine pingui dulcedinem eſſe conſtat, vt ſine aſperitate lubricus ſit
aduenientis nutrimenti tranſitus: ſed copioſior pinguedo nauſeam F
facit. Quatenus autem replent, inſtaurant id quod deperditum eſt in fame: nam in fame ob ſubſtantiam deperditam fit aſperitas quædam & veluti roſio, quæ tollitur alimento aduenienté. Quatenus præterea cum iucunditate id fit, ſignificatur: materiam dulcium familiarem eſſe, ſimilia enim expellimus cum valemus, contraria autem ægrotantes. Similitudo hæc partim ſecundum temperamentum deprehenditur, quod non valde recedit à temperie humana in primis qualitatibus, partim ſecundum conditiones materiæ, quæ non eſt admodum craſſa, vt in ſapore acerbo & auſtero, nec admodum tenuis, vt in acri & acido: non grauis, vt in metallicis, & ſalſo & amaro, nec admodum leuis, vt in pingui & oleoſo, ſed mediocrem in omnibus conditionibus compoſitionem habeat. Huiuſmodi autem ſunt, quæ in fame præ cæteris expetimus, vt panis optimus ex tritico car-

nes

A nes rite coctæ, oua, piſces, legumina, & alia huiuſmodi optime præparata, nam præter fructus pauca ſunt edulia, quæ abſque præparatione quadam eas conditiones habeant. Hæc igitur omnia, & alia huiuſmodi temperata eſſe neceſſe eſt. Quoniam vero hic ſapor latitudinem habet: quædam enim intenſam habent dulcedinem, vt mel: quædam remiſſam: atque hanc vergentem, aut ad inſipidum, vt cucurbita, cucumis, & pleraque olera, aut ad quemlibet alium ſaporem, ſeu pinguem, ſeu acidum, ſeu auſterum, ſeu acrem, & cæteros (commiſceri enim quicunque poſſunt cum dulci) omnes quantum recedunt à moderata dulcedine, tantum etiam diſcedunt à temperamento hominis ad calidius, aut frigidius, humidius, aut ſiccius: atque ob id minus nutriunt, quia difficilius vincuntur, & magis tendunt in excrementa, aut in vitioſum nutrimentum pro natura ſaporis ad quem vergunt. Iuuare tamen poſſunt in ęgrotantibus, cum
B pugnant ſua contrarietate aduerſus morbum. Qua ratione aliquando ęgrotantes expetunt in cibo & potu, quia alterationem ſentiunt ex iјs, qua reſtituuntur ad meliorem diſpoſitionem. Quæ igitur excedunt in dulcedine, vt mel, ſaccharum, glycyrrhiza, quo dulciora ſunt moderatis, eo calidiora eſſe manifeſtum eſt. Dulcedo enim omnis à calore perficitur, vt patet in maturatione fructuum: nam ex inſipidis aut auſteris, aut acerbis per maturationem dulcedinem acquirunt. Quod autem à calore paſſum eſt, caliditatem acquirere oſtenſum eſt. Idem videre licet in iјs, quæ ab arte coquuntur: multa enim cruda inſuauia ſunt, vt olera pleraque & carnes: cocta autem ſuauia redduntur. Quædam enim ex his egent condimentis, vt dulcedinem & ſuauitatem acquirant: ſale quidem, quæ inſipida ſunt, vnde inſulſa dicuntur: oleo autem, quæ macilenta ſunt, & omnino pinguedine carentia: admixtio autem ſalis, aut olei caliditatem tribuit. Si igi-
C tur, quæ mediocrem nacta ſunt dulcedinem, temperata ſunt, neceſſe eſt, ea quæ vergunt ad inſipidum, aut auſterum, aut acerbum, aut acidum, frigidiora eſſe, cum dulceſcant per coctionem, quæ autem ad ſummum dulcedinis peruenerũt, calidiora eſſe: ſi enim hæc amplius coquantur, dulcedinem tranſcendunt, amaritudinem participantia, vt patet in melle: nam ſi igne pluſculum coquatur, amareſcit: & aſſumptum in calidioribus naturis conuertitur in bilem. Statuit autem Galenus maximam dulcedinem ad ſecundum gradum caliditatis, & ſiccitatis peruenire, vt mellis: Minimam autem dulcedinem, quæ ſcilicet de inſipido participat, accedere ad ſecundum frigiditatis, & humiditatis. Cucumeris enim temperamentum in eo ordine reponitur. Poſſumus igitur hac ratione alios gradus iudicare, qui interiacent inter ſecundum vtriuſque contrarij. Quãto enim aliquid dulcedine vincetur à melle, tanto minus calidum erit, vt ſaccharum, & glycyrrhizæ

ſuccus

ſuccus non excedant primùm gradum caliditatis: ideo nequaquam D ſitim accendunt, vt mel: Glycyrrhiza etiam extinguit ob humiditatem. Eodem modò, quæ ad inſipidum declinant, tanto frigidiora ſunt, quanto magis ad illud accedunt. Humiditas autem, & ſiccitas ex ſuccorum differentijs colligenda eſt. Cum enim alia multam habeant humiditatem aqueam, alia pinguem, alia ſint magis terrena. Quæ aquoſa magis fuerint, humidiora erunt, vt cucumeres, lactuca, fructus æſtiui: ad ſecundum enim gradum humiditatis accedere poſſunt. Pinguia verò ijs minus ob caliditatem adiunctam. Eſt enim eorum humiditas aerea igni affinis, in qua præcipue viget calidum innatum hominis: nec primum gradum humiditatis tranſcendit: quo verò calidior, eo minus humectat, vt caro ſuilla humidior ob pinguedinem, quàm vitulina. Quæ autem magis terrena ſunt inter dulcia, vt panis, legumina, caſtaneæ: carnes macilentæ vt leporis, ad ſiccitatem vergunt, non tamen vltra primum gradum, quamdiu in latitudine dulcium continentur. Sed de temperamento dulcium hæc E ſatis. Facultates autem ſecundæ hoc modo conſiderentur. Ratione quidem temperamenti, quæ mediocrem caliditatem habent, fundere poſſunt concretas frigore partes. 4. ſimp. 9. at non digerere: ideo emolliunt, & concoquunt. Quæ inter hæc lubricam humiditatem habent, vt malua: aluum emolliunt, & inter emplaſtica ſua viſcoſitate illinunt. At quæ maiorem caliditatem adepta ſunt, vt mel: digerere poſſunt, & abſtergere: quod & farinæ quorundam leguminum faciunt, quæ ſcilicet calidiores, & ſicciores ſunt. Quæ autem ad frigiditatem vergunt, contemperãt humorum acredinem, & incraſſant: ſanguinem pituitoſum faciunt. Ratione verò craſſitiei, & tenuitatis, cum in mediocriter dulcibus craſſities ſit moderata, intrinſecus obſtructiones parere poteſt ob plenitudinem tantum: ſi verò maior ſit craſſities, obſtruit etiam in parua quantitate, vt caro bubula, legumina, caſtaneæ, & ijs magis, quæ viſcoſa ſunt. Extrinſecus autem impoſita poros claudunt: idcirco inter emplaſtica reponuntur, vt farina tritici, panis medulla pinguedines. Poris autem clauſis fouetur caliditas innata, vnde ſequitur tuberculorum ſuppuratio. Quæ autem ſubſtantia tenuiori conſtant non glutinoſa, vt aquea vrinam mouent, & abluunt, vt cucurbita, cucumeres. Pinguia verò poros illinunt etiam in profundum laxant, leniunt dolores, prohibẽdo ſolutionem continui. At ſi à calore vehementi incendantur, vrunt: vt in Eryſipelate: & in frictionibus validis ex oleo. Quæ autem terreum quid tenue habent, vt mel, abſtergunt: idem præſtat hordei farina, ptiſana inter frigidiora. Abſterſio enim fit à ſubſtantia terrea tenui. At dubitatur: non enim videtur à dulcibus abſterſio fieri poſſe: opponitur enim abſterſioni illinitio, & repletio, quæ dulcibus tribuuntur: F

abſterſio

A abſterſio autem amaris, & ſalſis conuenit, quæ dulcibus cõtraria ſunt. Reſpondetur ex 5. ſimp. 12. vbi emplaſtica medicamenta opponit ijs, quæ ab infarctu liberant, in medio ponens ea, quæ abſtergunt. Emplaſtica enim infarciunt, & occludunt poros, cum conſtent ex ſubſtantia terrena & viſcoſa & minimè mordaci: Quæ verò poros expurgāt, ſubtilioris ſubſtantiæ ſunt, amara aut nitroſa. Extergentia verò in cute tantum, aut vlceribus ſordem auferunt: hoc præſtare poſſunt ea dulcia, quæ tenuioriū ſunt partium, vt mel, præcipuè ſi ſpumam non abiecerit: acredo enim quædam ineſt mordens, quæ abſterſionem iuuat, licet per ſe acredo non abſtergat. Hoc autem maximè conſentit cum ijs, quæ dicta ſunt de mellea dulcedine: accedit enim proximè ad naturam ſalſedinis: nam quibus ineſt inſipida dulcedo, per ſalem dulciora fiunt: & huiuſmodi dulcedo ſubſalſa aliquando vocatur, vt apud Dioſcoridem in Cinnamomo, cui dulcedo quædā ineſt,
B ſeu ſapor ſubſalſus. Accedit etiam ad naturam amari, ſi amplius coquatur. Meritò igitur hæc natura quādam media conſtant inter moderatè dulcia, & amara. At hordeum quamuis non intenſam dulcedinem habeat, vergit enim ad inſipidum, vnde paulo frigidius eſt temperato, tamen ob tenuitatem ſubſtantiæ abſtergit. Altera ſuboritur dubitatio. Si dulcia familiaria ſunt non ſolum temperamento, ſed & tota ſubſtantia, quomodo inter dulcia reperiri poſsint adeo aduerſa naturæ humanæ, vt interficiant? teſtatur enim Theophraſtus. 6. de Cau. pl. cap. 4. quaſdam radices dulces, ac ſuaues, tamen noxias, & venenoſas. Radicem enim eſſe Carduo ſimilem dulcem, quæ inſaniam pariat: Mandragoram quoque ſoporem inducere, & ſi copioſius ſumatur mortem, dulcem tamen eſſe. Refert multis in locis interijſſe, cum radices ignotas ediſſent dulces, atque ſuaues, quod & de Cholchico ſcribit Dioſcorides: eius enim radicem comeſam more
C fungorum ſtrangulando enecare, dulcem tamen eſſe, & mirum in modum ſaporis iucunditate homines allicere. Quod & in fungis ſæpe videmus: nec enim dulcedine, aut iucunditate differunt noxij ab innoxijs. Qui confugiunt ad proprietates occultas, facilè ab huiuſmodi difficultatibus ſeſe expediunt. Sed ſi guſtui datum eſt à natura, vt familiaria, & quæ tota ſubſtantia conueniant, diſcernat ab ijs, quæ rebellia ſunt. 4. Simp. 15. qualitas deleteria nequaquam eum fugiat. Aptius igitur reſponderi poteſt, ſæpius à natura coniungi diuerſos ſapores, & ſuccos, eoſq; aliquando omnino contrarios; vnde contrariæ oriantur facultates, vt de braſsica, & lente Galenus teſtatur. Non igitur mirum, ſi in prædictis ſub dulcedine, quæ familiaris eſt, lateat venenoſa qualitas: vt ij faciūt, qui in potionibus ſuauibus, aut bellarijs venena occultant: facilè enim eſt hoc modo guſtum decipere: aut quia dulcedo ſuperet alienum ſaporem: aut quia venenoſa

qualitas

qualitas non ſtatim primo occurſu ſentiatur, ſed poſterius. Cum igitur in ventriculum aliquod ex ijs delapſum fuerit, quod dulce eſt, conuertitur, relinquitur autem venenum ſincerum, & inuictum, quod enecat. De ſapore igitur dulci, & pingui hæc ſufficiant. D

CAP. VI.

RELIQVI ſapores ratione temperamenti recedunt à medio aut ad calidum aut ad frigidum: ad humidum aut ſiccum, nam ſolus dulcis in medio eſt vtriuſque contrarietatis. Explicemus autem prius ſapores frigidos, qui ſunt auſterus, acerbus, acidus, & inſipidus à priuatione ſaporis dictus, nam guſtus etiam priuationem percipit, vt viſus tenebras. Omnes hos frigidos eſſe, ea ratione probatur, quod in fructibus matureſcentibus ex ſingulis prædictis videmus fieri mutationem in dulcem, recedunt igitur à caliditate dul E
cium verſus frigidum, cum à calore mutatio fiat. Exempla autem ſingulorum leguntur apud Theophraſtum 6. de cau. pl. 7. & 8. Nam ex acerbo tranſeunt in dulcem oliuæ, ex auſtero pyra, ex acido vua, ex inſipido amygdala, triticũ. Quædam etiam per plures ſapores tranſeunt in dulcedinem, vt vua, quæ prius auſtera eſt ſeu acerba, poſtea fit acida, vltimo dulcis. Sed hæc ratio videtur aſtruere ſaporem amarum inter frigidos eſſe, oliuæ enim quamuis acerbæ etiam amaræ ſunt, prius quam dulces: quod & in cucurbita & cucumere aliquando contingit. Sed in his amaritudo non per coctionem tranſit in dulcedinem, ſed per ſeparationem à proprio humore fructus. Initio enim fructus ſicciores ſunt & ſapiunt naturam plantæ, poſtea verò humeſcente fructu, & concocto euaneſcunt aliena. Humor autem adueniens aut inſipidus eſt, aut auſterus. Inſipidus tranſit in dulcedinem vtplurimum ſine medio, vt in tritico, amygdala: Auſterus aliquando prius tranſit F
in acidum quam in dulcem. Differunt autem inter ſe materia terreſtri aut aquea. nulli enim ex his humiditate aerea conſtant, ideo ſine pinguedine omnes, frigidi enim ſunt. In materia terreſtri conſiſtunt acerbus & auſterus, & quidam inter inſipidos, in aquea autem acidus, & qui inter inſipidos aqueus dicitur. Acerbus & auſterus communi nomine aſtringentes vocantur ab effectu. Differunt autem ſecundum magis & minus: Acerba enim magis terrena ſunt: Auſtera terrena quidem & ipſa, ſed humore diluta. Vtraque frigida & ſicca eſſe ex dictis patet. Ob terream enim ſubſtantiam exſiccare neceſſe eſt. Frigida quoque ſunt, nam alioqui non aſtringerent, ſed idem eſſent cum Emplaſticis, quæ terrena ſunt in caliditate & frigiditate temperata occludentia poros ſine aſtrictione. At aſtringentes ſapores conſtipant & conſtringunt ac denſant, quę ſine frigiditate fieri nequeunt 4. Simp. 7.

A Non tamen omnia frigida id faciunt,ſed quæ ſimul exſiccant, & craſ-
ſarum ſunt partium. Ideo nec acida aſtringunt,quæ tenuium ſunt par
tium,nec aquea,quia non exſiccant. At hic oritur dubitatio non con
temnenda. Videtur enim aſtrictio fieri etiam à calido, vt patet in ijs,
qui nudo corpore verſantur in ſole;cutis enim denſatur ſiccata. Idem
efficiunt frictiones duræ,aut etiam ex nitro 8.Meth.2.Et ſi enim cali-
di eſt rarefacere, quatenus ſcilicet fundit concreta, & digerit in hali-
tum humores, tamen etiam condenſat relictas partes terreſtres, quæ
nec fundi nec digeri poſſunt, ſiccata enim ex neceſsitate contrahun-
tur,vt patet in corio,& luto. Aſtrictio igitur videtur inſequi exſicca-
tionem,ſeu fiat à calido,ſeu à frigido,aut à ſola ſiccitate. Non tamen
mediocris ſiccitas aſtringit: niſi enim multum abſumatur de humidi-
tate, non contrahuntur partes. Patet autem id in ijs, quæ euidenter
aſtringunt, in omnibus enim ſiccitas valida eſt, vt tranſeat ſecundum
B gradum plurima enim ad tertium accedunt: frigiditas tamen in ple-
riſque remiſsior eſt,imò quædam tẽperata ſunt, vt quercus: quædam
etiam calida,vt alumen & chalcanthum aſtringentiſsima omnium, &
chalcitis & myſi valenter aſtringunt,exurunt tamen, 1.Simp.34. Quæ
autem inter terreſtria non multum exſiccant,inter emplaſtica ponun-
tur, vt ceruſſa, cadmia lota,licet ſint frigida. Quomodo igitur ſtatuit
Galenus ſaporem acerbum & auſterũ in ſola frigiditate? inquit enim
à ſolo frigido contrahi,conſtringi,denſarique corpora. An per ſe qui-
dem à ſolo frigido hæc fieri verum eſt? frigidum enim omnia congre
gat tum homogenea, tum eterogenea 2. de gen. & cor.tex.8. At cali-
dum homogenea tantum, idque diſgregando & abſumendo quæ ete
rogenea ſunt. Idem dicendum de ijs quæ tantum exſiccant: abſum-
pta enim humiditate, reliquæ partes contrahuntur per accidens. At
frigida poſſunt abſque humiditatis conſumptione condenſare, vt in
C congelatione aquæ patet. Cum igitur hæc ita habeant, non vna erit
ratio aſtringentium,neque eadem generatio. Quæ enim frigida ſunt
& per ſe aſtringentia, non perpeſſa ſunt à calido, ſed veluti congelata
à frigore, ideo per coctionem verti poſſunt in dulcedinem, vt fructus
acerbi,aut ſolum incaleſcentes,vt caſtaneæ,aut prius humectati, vnde
auſteri,mox aliquando & acidi redduntur,antequã dulceſcant. Quæ
autem calida ſunt, & per accidens aſtringentia omnia perpeſſa ſunt à
calido,eoque vehementi,ideo tranſire in dulcedinem nequeunt. Pa-
tet autem id in metallicis prædictis, alumine, chalcantho & cæteris
huiuſmodi. Cum enim corpora hæc humido ſoluantur, vt ſales, ne-
ceſſe eſt vſtionem paſſa eſſe. Videtur autem chalcanthum ex ære or-
tum ducere,aut ex pyrite lapide combuſto, & aqua ſoluto. Alumen
autem ex ſulphuris combuſtione, vt videre eſt, cum liquor acerrimus
& aſtringẽs arte colligitur ex ſulphuris flãma. Sed hæc genera aſtrin-

gentium

gentium differũt à ſalſis & nitroſis craſsitie & tenuitate. Quanto enim craſsiora, eo magis aſtringunt: Ideo ſal ob craſsitiem retinet aliquid aſtrictionis. His viſis conſiderentur gradus temperamenti aſtringentium. Cum ſiccitas dominetur in quocumque genere aſtringentium, ad tertium gradum peruenire poteſt in frigida materia, non ad quartum ſine auxilio caliditatis ſummæ 5.Simpl.vlt. Paſsiuæ enim qualitates per ſe ſolæ imbecilliores ſunt in agendo. Et ſi igitur ſiccisſima ſint acerba, nõ tamen tranſeunt tertium gradum: frigiditas autem minor erit: terræ enim magis tribuitur ſiccitas, quam frigiditas. Idcirco non pertranſit ſecundum gradum, niſi cõiungatur aliquis ſapor aqueus, hic enim ſiccitatem remittet, augebit autem frigiditatem. Acerba igitur & quæ maxime auſtera ſunt, ſtatuuntur ſicca in tertio, frigida in ſecundo, vt galla, rhus, ſorba immatura, corna, & eius generis omnia. Quæ verò non ſumme auſtera ſunt, minus quidem erunt ſicca, at non minus frigida ob humiditatem aqueam admixtam, vt pyra auſtera, mala cydonia: meſpilorum ſuccus, quæ frigida & ſicca ponuntur in ſecundo gradu: Quæ item adhuc minus auſtera ſunt, vt quæ ſimpliciter aſtringentia uocantur, adhuc minus erunt ſicca, vt polygonum, roſa: quæ ſicca in primo: frigida autem magis ob aqueam ſubſtantiã, vt roſa in ſecundo gradu: polygonũ & ſemperuiuum in tertio. Quædam etiam aſtringentium ad quartum gradum frigiditatis perueniũt, vt hyoſcyamus, ſed aſtrictio imbecillis eſt in primo ſiccitatis. Latitudo igitur tum ſiccitatis tum frigiditatis hoc modo conſideratur in frigida materia. At in calida reperiuntur omnes gradus caliditatis à temperato vſque ad quartum: nam chalcitis, myſi ad quartum vtriuſque perueniunt, ſed vergunt ad acrem ſaporem: ideo magis vrunt, quam aſtringant. Quercus temperatæ caliditatis eſt, at vehementer aſtringit ideo ſicca in tertio. Operationes autem ſecundæ ſunt: condenſare, indurare, corrugare, meatus comprimere: vnde ſequitur clauſio: ad clauſionem retentio fluxionum. In his efficaciſsima ſunt acerba poſt auſtera, vltimo loco quæ ſimpliciter aſtringentia dicuntur. Differunt quoque, quoniam aſtringentia æqualiter pellunt introrſum partem vndequaque contractam: at auſtera in profundum etiam ſubire videntur, atque aſperum quendam inæqualemque ſenſum mouere, veluti reſiccantia & humorem omnem depaſcentia 1.Simp.37. Faciunt igitur ad ſanguinem ſiſtendum, & alui fluxus. Exprimunt quoque, vnde aliquãdo deiectiones moliũtur. Corroborant partes relaxatas, quibus præcipue egent membra nutritionis, vt ventriculus, hepar. Repellunt ſi frigida ſint. At quæ cum calore coniuncta ſunt, ſimul digerunt & euocant. Ob craſsitiem autem partium nõ penetrant in profundum, ſed in ſuperficie tantum agunt: ideo cicatrices inducunt indurando. Si quæ autem adepta fuerint tenuitatem, vt penetrare poſsint, commodiſsima

D E F

modiſsima

A modiſsima ſunt ad fluxiones internas, vt Electrũ, habet enim aeream ſubſtantiam oleoſam admixtam, ideo pollet ad ſputũ ſanguinis, quod efficaciſsime præſtat eius oleum per ſublimationem extractum : nam momento peruadit in omnes corporis partes, ferens vim aſtrictoriam, ſi exiguũ eius hauriatur cum aqua aut vino : eſt enim calidiſsimi temperamenti, non tamen vrentis ob tenuitatem. Bitumen quoque & lapides Bituminoſi aſtrictionem poſsident cum aerea ſubſtantia, ideo glutinant in profundum vulnera ſanguinolenta ſine morſu, quod nõ faciunt mordentia, licet attenuata fuerint, vt penetrent. quemadmodum oleum chalcanthi aut ſulphuris : quamquam enim vehementer aſtringant, mordent tamen vehementer. Sic chalcitis & myſi. Sed hæc magis proſunt ad magnas putredines : ſimul enim exterunt corrupta, & roborant partes ſanas ac denſant. Ex hoc genere etiam petuntur remedia ad vlcera maligna cicatrice obducenda: egent enim vtraB que facultate, exterente, & condenſante. Aſtringentium igitur ſeu frigidorum ſeu calidorum vires hoc modo colligere licet.

CAP. VII.

ACIDORVM autem omnium ſubſtantiã tenuium partium eſſe ſuperius indicatum eſt : eandem eſſe aqueam patet nam in re ſicca non reperitur aciditas, ſed aut in ſuccis, vt mali punici, limonum, aceto, omphacio : aut in quibuſdam herbis virentibus, vt in oxalide, oxi : ſi autem herbæ ſiccẽtur, aciditatem amittunt : Neque in oleoſa aut pingui materia vnquam viſa eſt, licet alij ſapores reperiantur, vt auſterus in oleo omphacino : acris in balſamo, & aqua ardente : amarus in myrrha : Dulcis in pinguedine animaliũ, & oleo oliuæ maturæ. Indicio quoque eſt vinum : ex quocũque enim quamC uis putreſcente extrahi poteſt aqua ardens, quæ eſt vini pinguedo, at cum tranſierit in acetum, expers omnino eſt pinguedinis. Aciditas igitur non conſiſtit in materia pingui. Sed huic ſententiæ videtur refragari Gal. 4. Simp. 8. vbi de acerbi exſolutione loquens, inquit. Si incaluerit tantum, tranſire in dulcem, vt in caſtaneis; ſi tantum humeſcat, humiditate quidem craſſa, qualis eſt aquea, auſterum reddi : ſi vero aerea, aceſcere : quia frigidum ſubtile acidam reddit qualitatem. At ſi pariter humeſcat & calefiat, humiditate quidem aquea in dulcedinem, aerea vero in pinguedinem tranſiturum. In his verbis Galenus videtur acidorum humiditatem aereã conſtituere : quæ ſi incaleſcat, tranſeat in pinguedinem. At nulla videmus acida per maturationem reddi pinguia. Neque enim oliuæ ex acido pingueſcunt, ſed ex auſtero. Neque amygdalæ neque nuces, neque ſemina vlla oleoſa prius acida fuere. Solum in vino aliquis ſuſpicari poſsit, eius pinguedinem ex

acido ſapore vuæ immaturæ per maturationem genitam eſſe: non tamen hoc pro exemplo ponitur à Galeno, ſed pinguedo oleæ, Ricini, Seſamæ, Nucis, Amygdalæ, quæ omnia vetuſtate prorſus pinguia efficiuntur, digeſta humiditate aquea & excrementitia, propria autem à calore natiuo exacte elaborata & concocta. Dicendum eſt igitur, materiam pinguedinis non eſſe aqueam, aqua enim incaleſcens in uapores tranſit, qui nequaquam inflammantur, vt pinguia. Sed pinguedinem omnem ex terra calefacta oriri, vnde exhalatio fumoſa aſcendit, proxima ignis materia, vt explicatur in Meteoris. Exhalatio autē antequam incendatur, non eſt adhuc ignis, ſed humiditate quadam participat, quæ aerea dicitur. Idcirco oleum & omnia pinguia humectant, antequam ad actus ignis reducantur. Hinc enim fit, vt quæ in oleo incoquuntur, ſicciora reddantur, quæ in aqua, humidiora. Cum autem exhalatio omnis terrea ſit, & maxime attenuata ac leuis accedens ad naturam ignis, ſi in aqua comprehendatur, proculdubio qualitatem ſibi ſimilem aquæ communicabit. Aut igitur ea ſubſtantia aqua diluitur, priuſquam optime percocta fuerit in naturam pinguedinis, quæ lentorem quendam per coctionem adipiſcitur, vnde craſsior reddita eſt, & dulcis: tunc fit ſapor acidus, ſuccus ſcilicet cum frigiditate mordens & ſiccans: refrigeratur enim adueniente aqua, cum ſit terræ ſpecies. Aut poſtquam exuſta eſt, cum omnem pinguedinem amiſerit ex aduſtione: tunc quoque eundem ſaporem inducet in aqua, in qua abluitur, ſed ex aduſtione veſtigiū aliquod caliditatis remanebit magis & minus. Hoc modo fiunt acida ex putredine fructuum poſt maturitatem, & ex vino acetum & inter aquas ſponte natas Acidulæ vocatæ, fiunt enim ex combuſtione Bituminis. Reperiuntur enim lapides bituminoſi, vbi eæ ſcaturiunt. Sic autem ex combuſtione ſulphuris fiūt aluminoſæ, & ex alijs quibuſdam ſalſæ aut nitroſæ. Eſſe autem duplicem acidi ſaporis generationem, vnam ante fructuum maturationem alteram poſtea, tradit Galenus 4. Simp. 12. Quomodo igitur aerea ſubſtantia dicatur, quæ ſaporem acidum reddit, patet: & cur pinguedo in acido non conſiſtunt: in fructibus enim acidis ante maturationē, humor aqueus dominatur, qui coctione in dulcedinem tranſit nō in pinguedinem: digeri enim humidum aqueum oportet, vt aerea humiditas in pinguedinem tranſeat: Poſt maturationem autem per putredinem vritur quod pingue ineſt. Caret igitur pinguedine omne acidum, cum tamen aeream humiditatem comprehendat tenuem ſcilicet exhalationem aut crudiorem in fructibus acidis ante maturationem, aut aduſtam in aceto. Sed cognita materia conſiderandum eſt temperamentum & vires. Frigidum igitur eſſe & ſiccū omne acidum experimento compertum eſſe tradit Galenus. Inſequitur autem frigiditas duplici ratione, tum quia conſtat humiditate aquea, tum quia

exhalatio

A exhalatio calida, quæ ineſt, facillime ob tenuitatem ab àqueo humore extinguitur. Siccitas autem prouenit ab exhalatione ſicca, quę comprehenditur: adeo vt aquea humiditas tantundem à ſiccitate exhalationis patiatur, quantũ exhalationis caliditas à frigiditate aquæ. Non poteſt autem neque ſumma frigiditas, neque ſumma ſiccitas in hoc ſapore conſiſtere ob cauſas dictas. Magna igitur ex parte frigida & ſicca ſunt in ſecundo gradu: vbi tamen vehementior eſt aciditas, vt in aceto & ſucco citri, ad principium tertij vtriuſque accedunt. Sed quoniam in quibuſdam remanet aliquod veſtigium vſtionis, vt in aceto acerrimo, ob admixtam acrimoniam, non frigidum, ſed calidum ſtatuitur, prout magis accedit ad acrem ſaporem. Remiſsior autem aciditas vſque ad primum gradum vtriuſque deſcendere poſsit: cuius temperamenti ratione refrigeratio fit ſine periculo & in profundum ob tenuitatem: Ideo Hypochondrijs feruentibus accommodatiſsimũ
B ponitur remedium omphacis ſuccus, non acetum: nam hoc ob acrimoniam admixtam violentam & ferientem habet frigiditatem: ideo ob morſum nocet partibus neruoſis & maxime ſentientibus, vt ventriculo, vtero, membranis: idque non ſolum quia vehementer mordet, ſed etiam quia frigido & ſicco temperamento conſtat, cuius gratia frigidas partes lædit: ſic & Melancholicis inimicum eſt acetum 3. Acut.38. nam fermentat, attollit, & multiplicat: Bilioſis confert, nam bilem diſſoluit in pituitam. Sitim aufert cum aqua ſumptũ, ducit enim aquam cito in omnes partes. Omnia acida repellunt magis quã aſtringentia ob penetrationem: adiuuant tamen hunc motum aſtringentia addendo robur: hoc magis præſtant ea acida, quæ ex auſteris genita ſunt. Nauſeam tollunt, & appetentiam conciliant, bilem ex ore ventriculi repellendo & diſſoluendo. Incidunt & extenuant craſſos humores, vnde accommodatiſsima ſunt febribus ab obſtructione ortis,
C non quia per ſe auferant obſtructiones, non enim abſtergunt, ſed incidendo & extenuando adiuuant, idque cum refrigeratione, qua egemus in febribus. Sua autẽ ſiccitate putredini reſiſtunt: condita enim in aceto ſeruantur immunia à putredine. Hactenus de acidis.

CAP. VIII.

INSIPIDA autem duorum generum ſunt pro diuerſa materia terreſtri ſcilicet aut aquea: vtraque enim hæc corpora ſine ſapore ſunt, cum à caliditate non fuerint paſſa, & cum ſimplicia fuerint. Omnis enim ſapor per admixtionem fit agente caliditate. De Senſ. cap.4. Aqua igitur ſuſceptibilis eſt ſapidæ ſiccitatis, cum per ſe inſipida ſit: hæc autem priuatio ſapor aqueus dicitur. Siccitas non omnis ſapida, ſed quæ aqua dilui poteſt: huiuſmodi au-

tem eſt, quæ à calido paſſa eſt aliquid, vt humido ſolui poſsit. Nam D
quæ inſolubilia ſunt ſiue ſimplicia, ſiue mixta, ſine ſapore ſunt, vt ter-
ra ſimplex, aurum, argentum, gemmæ, & plerique lapides illiquabi-
les, nihil enim in aqua transfundunt, quod ſaporẽ gignat: ideo ἄποια
Græcis dicuntur, quaſi expertia qualitatis. Horum temperamentum
ſiccum eſſe, manifeſtũ eſt. Terræ enim tribuitur ſiccitas magis, quam
igni, non tamen adeo ſiccant, vt ignis, neque vt acida, & aſtringen-
tia. Qualitates enim actiuæ efficaciores ſunt ad ſiccandũ, quam ſola
ſiccitas. Ideo ignis maximè omnium exſiccat, minus quę frigida ſunt,
vt de aſtringentibus, & acidis dictum eſt. Adhuc minus, quæ ſapo-
re carent: neque enim in caliditate, neque in frigiditate excedunt,
ſed aut mediam conſtitutionem obtinent, aut certè paulum ad frigi-
dius declinant. 4. Simpl. 5. Idcirco ſiccãt ſine morſu. Appellant autem
medici emplaſtica huiuſmodi medicamenta exactè terrea, & ſicca,
non quia illinant poros, vt alterũ genus emplaſticorum, quod in ma- E
teria viſcoſa reperitur: ſed quia non excedunt in qualitatibus, vt cæ-
tera emplaſtica. Talia recenſentur à Galeno Amylum, Pompholyx,
Ceruſſa, Calx lota, Cadmia, Terra cretẽſis, Cimolia, Chõdrus, Samius
aſter, & terra fullonum. Oportet autem pleraque hæc eſſe exactè lo-
ta, vt omnem caliditatem exuant. Eorum vires pollent ad vlcera ma-
nantia præcipuè in partibus valde ſentientibus, cicatrices inducunt in
partibus mollioribus: nam ſicciores egent medicamentis valentius
exſiccantibus. Intrinſecus etiam quædam ex metallicis ſumuntur ad
ſiccandas malignas putredines, & venena: vt terra lemnia, Armenia,
gemmarum fragmenta, & margaritæ, lapis bezahar. Cum enim eo-
rum ſubſtantia imputreſcibilis ſit, & immutabilis, non vincuntur ab
humorum prauitate, ſed ſiccando corrigunt putredinem, ſi in tenuiſ-
ſimum pollinem diligenter læuigata exhibeantur ex vino, aut tenui
liquore, qui ferat in profundum: idq; efficiunt ſine læſione, cũ non F
excedant in temperamento: partim igitur conueniunt cum corpore
noſtro ratione temperamẽti, partim cum venenis ratione ſubſtantiæ,
quæ nequit à calore innato vinci. Huiuſmodi autem appellantur
alexiteria, ſeu alexipharmaca. 5. Simp. 18. Si tamen in multa quantita-
te aſſumantur, enecant vt venena: poros infarciendo, & occluden-
do, quod præcipuè efficiunt, quæ humore glutinoſa redduntur, aut
indurantur, vt ceruſſa, lythargyrus, calx, gypſum, ſanguis taurinus:
ideo ſeliguntur inter alexipharmaca non hæc, ſed quæ in puluerem
redacta coire ampliu s nequeunt. Aqueus autem ſapor, qualis in aqua
pura reperitur, inter dulces aliquando reponitur, Sic enim vocat Hip
pocrates in lib. de Aer. Aq. & lo. laudat enim aquam pro potu, quæ
dulcis eſt: talem autem reddi inquit, à Sole coquẽte. Nam vbi rapta
eſt, & in ſublime eleuata, dum circumfertur, & ad aerem permiſcetur,
quod

A quod turbidum eſt in ipſa, ac noctem refert, id ſecernitur, & fit aer, & nebula: quod verò tenuiſsimum, ac leuiſsimum in ipſa, hoc relinquitur, ac dulceſcit, dum à Sole vritur, ac coquitur: fiunt autem, & alia omnia, quæ coquuntur, ſemper dulcia. Hæc Hippocrates. Sed Galenus 1.Simp.5. Expertem omnis qualitatis eſſe ait, tum guſtu, tum viſu, tum odoratu: & hanc puram intelligi, quæ aliàs potabilis appellatur. An quemadmodum perſpicuũ, quod ſuſceptibile eſt omnium colorum, album dicitur, vt de Aqua Hippocrates facit, albam vocãs: ſic & quod ſuſceptibile eſt omnium ſaporum, dulce appellatur? Sic enim & dulce acetum ſolemus appellare, quod priuatum eſt aliqua ex parte ſua aciditate: & dulces cæpas, quæ minus acres ſunt: & dulce lixiuium, quod modicum habet nitroſitatis, & alia multa dulcia dicuntur ob priuationem. Quod autem per coctionem reddi aquam dulcem dicit Hippocrates, non ob id habitum ſignificari putandum eſt, B ſed optimam diſpoſitionem ad recipiẽdos quoſcunque ſapores: nam per coctionem ſeparantur aliena ab aqua: vnde redditur purior, tenuior, & leuior: ob quas conditiones facillimè ſuſcipit rerũ omnium qualitates: nam cito caleſit, & frigeſit: modicum vini ſuſtinet, vt tradit in lib. de Aer. Aq. & lo. recipit enim vini qualitates, & quodammodo tranſmutatur in vinum, etiam ſi modicum vini infundas. In ventriculo bilioſo facillimè amareſcit, & in bilem vertitur ob eandem cauſam. 3. Acut. 40. Tandem rerum omnium, quæ in ea infunduntur, aut incoquuntur, vires contrahit: vt cum calidis calefaciat, cum frigidis frigefaciat, cum ſiccis exſiccet, cum humidis humectet, & alias operationes edat pro natura medicamẽtorum ingeſtorum. Per ſe autem ſola madefacit tantum, non humectat abſumptam ſubſtantiam, quia nihil habet, quod agglutinari poſsit partibus: non enim per coctionem incraſſatur. Licet autem frigida ſit poteſtate, non tamen mul-C tum refrigerat, facilè enim tranſmutatur à calore noſtro. Vehementer tamen refrigerabit, ſi actu gelida, & in multa copia exhibeatur, vt aliquando neceſſarium eſt ad extinguendas febres ardentes. Sed huiuſmodi operatio non eſt ex natura propria, ſed ob contractam extrinſecus frigiditatem. At inter compoſita, quæ aqueum ſaporem habẽt, longè frigidiora ſunt, atque humidiora ſimul, & craſsiora: quia minus vincuntur à calore innato: recedunt enim magis à dulcedine, & ob id inſuauiora ſunt guſtui ſapore quodam indicibili: cum tamen aqua pura minimè ingrata ſit: immo aliquando gratiſsima. Reperiuntur in hoc ſapore refrigerantia à primo gradu vſque ad quartum. Aquæ enim eſſentia in frigiditate magis conſiſtit: ideo ſine ea non fit ſumma frigiditas. Humiditas autem neque per ſe ſola ad quartum gradum peruenire poteſt, cum ſit qualitas paſsiua: neque cum ſumma frigiditate, hæc enim congelat, & ſiccum reddit. Relinquitur

igitur, ſi humiditas ad ſummum perueniat, id fieri beneficio aut caliditatis, aut frigiditatis mediocris non terminantis humiditatem: vnde putredo ratione humiditatis cõtingit, cum vicerit qualitates actiuas terminantes: hoc modo humiditatis operatio in ſummo fuerit, corrumpit enim. Cum autem duplex ſit humiditas, aquea, & aerea: putrefactio ratione aqueæ contingit, nõ ratione aereæ: pinguis enim humiditas, cũ proximè accedat ad naturam ignis, imputreſcibilis eſt. Ideo calor innatus viuentium magis in humido aereo conſiſtit, quam in aqueo: defendit enim à putredine. Per accidens autem putrefacientia dicuntur vehementer calida, & vehementer frigida: quia ab vtriſque calor innatus extinguitur, vnde ſequitur interminatio humoris aquei, & putrefactio, vt patet in Gangrena. Quæ igitur ſaporem aqueum habent, frigida & humida ſtatuuntur, & craſſarum partium: magis & minus, quatenus cum alijs ſaporibus coniunctum eum habent. Nam cum dulci oſtenſum eſt non pertranſire ſecundum gradum frigiditatis, & humiditatis: cum aſtringenti, augetur quidem frigiditas, ſed minuitur humiditas, vt quędam etiam ſicca ſint, vt Mandragoras: frigidus in tertio completo, ſiccus in ſecundo: ſemperuiuum frigidum in tertio incipiente, ſiccum in primo: ineſt enim in his aſtrictio quædam. At Portulaca, doricnium, papauer, cum nullam, aut paruam habeant aſtrictionem, humida ſunt in ſecundo, frigida autem aut in tertio incipiente, vt portulaca, aut in eodem completo, vt papauer. Ad quartum gradum frigiditatis perueniunt papaueris ſuccus, quod opium vocatur: Hyoſcyamus, cicuta: ſed eorum ſemina minus humida, folia virentia humidiora: ideo intus non aſſumuntur, quæ humidiora ſunt, ſed tantum ſicciora. Cùm enim hæc omnia deleteria ſint ſumma frigiditate, tutiora tamen ſunt, quæ ſicciora, proſunt enim in quibuſdam etiam intus aſſumpta. Videamus igitur eorum operationes ſecundas, & reliquas. Omnia vim habent incraſſandi, & quæ mitiora ſunt, contemperandi humorũ acrimoniam, & bilem: vt cichorium, lactuca, pertulata, ſonctius, plantago, violæ. Quæ inter hæc glutinoſa ſunt, quorum ſapor glutinoſus dicitur, vt portulaca, plantago, incraſſant magis, & faciunt ad ſiſtendos fluxus acrium humorum, & ſalſorum. In hoc genere ſunt gummi arabicum, tragacantha, quæ aſperitatem leniunt præcipuè faucium: & renibus, ac veſicæ proſunt, cum a calculis, aut humoribus mordentibus exaſperantur. Quæ autem frigidiora ſunt, vt tamen tertiũ gradum non tranſcendant, vtiliter imponuntur Eriſipelatis, & vlceribus inflammatis. Quæ ad quartum frigiditatis accedunt, iam ſoporifera ſunt, & ſi largius ſumantur, lethalia: obſtupefaciunt: ideo inter Anodyna reponuntur, ad vehementiſsimos dolores cum alia nõ proſint. Quædam etiam mentem turbant vaporibus craſsis, & turbulentis, vt hyoſcyami

A ſcyami ſemen. Caſtigata tamen,& in modica quantitate vtiliter propinantur aduerſus ſummas vigilias dolores ingentes,& magnos fluxus ſiſtendos alui,aut diſtillationum. De ſaporibus frigidis hæc ſatis.

CAP. IX.

CAlidi autem ſunt ſalſus, nitroſus, amarus,acris: eo argumento, quod poſt dulcedinē accedunt vi caloris. Mel enim ex ampliori coctione amarum redditur, & oua in igne nimis indurata, & omnia ſemiuſta, vt fuligo, amara ſunt. Omnia autem corpora per vſtionem,aut ſalſa fiunt, aut nitroſa, aut acria. Aqua enim poſt diuturnam ebullitionem ad ignem, aut in Sole æſtiuo ſalſa redditur, & cineres rerum aduſtarum omnes aut ſalſi aut nitroſi ſunt. Calx autem & vini fex vſta acres redduntur. Sed hæc ab arte: natura
B autem ſponte dulcem immutari in eos ſapores videmus maxime in vino: nam vetuſtate amareſcit, vt notauit Theophraſtus, aliquando & acrius fit: Calidiora autem hæc eſſe manifeſtum eſt. Oleoſa quoque & pinguia ſi vetuſta fuerint,multo calidiora ſentiuntur ſimul etiam & acriora: Nam butyrum dum recens eſt participatione lactis mediocriter refrigerat,at vetuſtum linguam pungit,& calfacit. Verum hæc forte probatione nō egent,cum experientia id conſtet. Acre enim adeo manifeſtam in lingua caliditatem parit, vt hinc feruens ſapor à multis appelletur. Videamus igitur eorum differentias. Tres ſapores in ſubſtātia terrea ſed à calore attenuata ſtatuit Galenus 4.Simp.20. Salſum, Nitroſum, Amarum: differre ab acri, quia hic in ſubſtantia aerea & aquea conſiſtit: Sed tamen acria quædam concedit in ſubſtantia terrea & craſsiori quàm amara, vt ſunt medicamenta,quæ per eroſionem interimunt,aſsimilat enim eorum ſubſtantiam ferro & lapidi ignito 4.
C Simp.19. Hæc autem licet guſtare non ſit auſus, acria eſſe colligit ex operatione 4.Simp.18.Non igitur videntur craſsitie & tenuitate acria ab amaris & ſalſis differre,cū inter ea quædam reperiantur aerea,quædam terreſtria & craſſa. Num forte ſola caloris intenſione acria à cæteris differant? quod enim amariſsimum eſt caliditate vincitur ab acri. At cum detur magis & minus acre, vt in cæteris ſaporibus, continget minorem caliditatem eſſe in acribus quibuſdam quam in amaris & ſalſis: fugiet igitur ratio cur acria hæc dicantur,hæc amara aut ſalſa. Dicendum eſt igitur, eandem proportionem eſſe inter hos ſapores, quā vidimus in frigidis inter aſtringentes & acidos. Diximus enim aſtringentes omnes craſſæ ſubſtantiæ eſſe & terreæ: acidos autem in terrea quidem ſubſtantia eſſe, ſed valde attenuata in exhalationem, vnde & aerea dicebatur. Simili modo ſe habet ſalſi,& amari proportio cum acribus. Amara enim & ſalſa ex terra conſtant aduſta, ideo grauia &

ſine pinguedine. Acria verò exhalationem continent igneam non refrigeratam ab aqueo humore, vt acida, ſed ſuam caliditatem ſeruátia. Quoniã vero tenuiſsima hæc ſubſtãtia ſeruari nequit ſeparata, exhalat enim vt ſpiritus, eget corpulentia aliqua in qua conſeruetur. Corpulentia autem hæc in quibuſdam aquea eſt craſſa & viſcoſa, vt in allio & cępis, & pleriſque bulbaceis: ideo quædam eorum eſitantur ob humoris dulcedinem. In quibuſdam terrea eſt valde craſſa, vt in calce, auripigmento, & tandem omnibus cauſticis & putrefacientibus. In alijs autem tenuis ea corpulentia eſt, vel aquea vel aerea, vt aqua ardens balſamum, piper. At ſalſi & amari materia cum terrea ſit, non eget alia materia, in qua conſeruetur. Hoc igitur modo hi ſapores differunt ab acribus. D

CAP. X.

EXPLICEMVS autem prius ſalſa & amara, & quæ eius ſunt generis. Cum omnes hi ſapores in materia terreſtri conſiſtant combuſta. Salſum craſsius eſt, quippe ab igne minus elaboratum quam amarum, eo argumento, quod ſi pluſculum calfeceris, tandem amarum redditur. In medio autem inter vtrunque ponitur nitroſum. Reſpondent autem aſtringentibus: Nam & ea in terreſtri materia poſita ſunt, ſed à calore nequaquam attenuata: ideo frigida permanſerunt. Hæc autem propter vſtionem attenuata quidem fuere & calorem ſortita, nõ tamen adeo vt acria: permanſerunt enim in natura terreſtri & graui: acria vero leuitatem adepta ſunt. Ideo amara & ſalſa in craſſitie & tenuitate medium locum obtinent inter aſtringentia & acria, illa enim craſsiſsima ſunt, hæc tenuiſsima. Cæterorum quoque omnium grauiſsima ſunt, quia ignis omnem dulcedinem & pingue abſumpſit: ob quam cauſam nutritioni minime ſunt apta, vt tradit Ariſt. de ſenſ. cap. 4. Quod enim à calido trahitur leue eſſe, ſalſum autem & amarum relinqui ob grauitatem. Ob eandem rationem aquam maris reddi ſalſam epota à ſale ea parte quæ dulcis eſt & leuis, reſidente autem ſalſa & graui, ut etiam cernere licet in animalium excrementis: ſunt enim & hæc ſalſa & amara. Illud autẽ mirum in natura videtur apud Theophraſtum 6. de cau. pl. cap. 14. alios omnes ſapores in plantis gigni, ſalſum autem in nullis ex propria natura. Nam ſi quæ in maritimis viuunt, vt plurimum ſapidiores ſint, quam quæ in Mediterraneis, id contingit ob loci ſalſedinem: nam & venti maritimi vuas, & reliquos fructus adeo ſale obduxerunt, vt guſtari nõ poſſent, niſi prius ablueretur ſalſedo. At ex natura ſua nullam eſſe, quæ hunc ſaporem gignat, niſi aliquando extrinſecus tamquam excrementum, vt cicerum folia viridia: hæc enim in ſuperficie quan- E F

A dam ſalſuginem ferunt,quæ facillime tollitur: & pyra quædam Cariæ domeſtica lanugine tam ſalſa veſtiri ferunt, vt mandi nequeant, niſi aqua abluantur: huiuſmodi autem ſalſedinem excrementitiam eſſe, cum in cortice nō in pulpa reperiatur,qua pro tegmine ad cuſtodiendum ſemen natura vtitur. Verum ſapor amarus in multis plantis naturalis eſt, vt alij omnes ſapores præter ſalſum. Rationem hanc affert Theophraſtus,quia ſapor ſalſus incommutabilis eſt,nec quicquam viuens generari ex eo poteſt: eſt enim terræ proprius, ideo metallicam naturam ſortitur: nulla autē metallica immutari poſſunt à calore viuentis. Idcircò ſale condita imputreſcibilia redduntur,& incommutabilia. Ratio autem vult,vt ſi nullum viuens ex ſalſo fieri poſsit,neque etiam ſalſa reddatur eorum ſubſtantia: ſed ſi quæ ſalſedo in ipſis reperiatur, excrementum ſit. Videretur autē hoc contingere etiam amaro & nitroſo,ſi eiuſdem generis ſunt, & in eadem materia conſiſtunt.

B At amarus multis plantis naturalis eſt: nitroſus in paucis reperitur, vt in Braſsica,Beta, Helxine. Ex his igitur ſignificatur ſalſum in materia grauiori & magis terreſtri conſiſtere quam nitroſum, & amarū: ideo accedit aliqua ex parte ad ſapores aſtringentes,continet enim aliquid aſtrictionis, quia terreum eius minus attenuatum eſt quam nitroſi & amari. Contra autem amarum accedit ad acre ob maiorem attenuationem: nec enim omnino abſoluitur ab exhalatione aut pinguedine, vt ex odore conijcere licet & materia inflammabili: Nam inter amara reperiuntur pinguia,vt Bitumē & Myrrha: Ex Bitumine enim redditur amarus lacus Aſphaltites in Iudęa. At ſalſum omnino inodorum eſt & exhalatione priuatum. Nitroſum iure in medio eſt:nam non omnino eius ſalſugo ab exhalatione cōbuſtibili abſoluitur,vt patet in terræ ſalſugine, ex qua Salnitrum extrahitur, ardet enim: Reliqua tamen genera Nitri ad naturam ſalis magis accedunt,nam & ino-

C dora ſunt & ſine pinguedine, at carent aſtrictione. Ex his colligitur temperamentum: Omnes enim hos ſapores calidos & ſiccos eſſe neceſſe eſt, cum in materia terrea & aduſta conſiſtant. Non tamen eorum caliditas ad extremum peruenit,vincitur enim ab acri,quia ignea eſt eius materia. Peruenire autem poſſunt ad tertium gradum vtriuſque: in hoc enim ponuntur quæ amariſsima ſunt, vt Abrotonum, & genera fellis. At Salſa minus calida ſunt, quia minus aduſta: medio modo Nitroſa, vt ſtatuere poſsimus latitudinem caliditatis à primo gradu vſque ad tertium: ſiccitatis autem à ſecundo ad tertium. Sal enim & ſi minimum caliditatis habeat, ſiccitate à nullo vincitur, eſt enim in tertio ſiccum, calidum autem ambigens inter primum & ſecundum. Nitrum in ſecundo gradu eſt vtriuſque: ſed ſpuma nitri ad tertium accedit, videtur enim acredinis quid participare. Vt autem intenduntur ac remittuntur ſapores ſiue per ſe,ſiue cum alijs mixti,ſic

& tem-

& temperamenta. Amarus enim ſapor in Abſinthio quamuis vehemens ſit, tamen ob aſtrictionem admixtam minus calefacit. Nitroſus in Braſsica & Beta ob aqueum ſaporem temperatus redditur: in Helxine etiam ad frigidum vergit, quamuis efficax ſit nitroſa qualitas: idem de amaritudine Cichorei iudicandum eſt: aquoſus enim ſapor temperamentum reddit frigidum. Sed iam facultates perſequamur. Communis igitur eorum operatio cum cæteris calidis eſt calfacere, at non vrere: Item incidere, extenuare, ac digerere. Propria autem eſt abſterſio, quæ oritur ex inciſione, ſed non quacũque: incidunt enim acria & acida & omnia quæ tenuium ſunt partium, verum non abſtergunt. Quod enim ſordem hærentem aufert, ſimul incidat oportet, & craſſarum ſit partium ac terreſtrium, quod inter frigida reperiri nequit. Acida enim nullam craſsitiem habent: Aſtringentia vero & inſipida nõ incidunt, quamuis aquea, quæ tenuium ſunt partiũ abluant ea, quæ iam inciſa & attenuata ſunt. Inter calida autem acria, ſi quæ craſſam materiam participant, aut vrunt & cruſtam moliuntur, quod excedit abſterſionis ordinem, aut aſtringunt, quæ operatio abſterſionem impedit. Idcirco ſola amara, & quæ illi affinia ſunt, vt ſalſa & nitroſa, & ſi quæ alia ad eorum naturam accedunt, vt inter dulcia, quæ tenuiora ſunt non pinguia neque illinentia, facultatem habent abſtergẽdi magis & minus. Terreo enim tenui abradunt ac ſordes auferũt. Quæ autem illis tenuiora ſunt, pertranſeunt quidem incidendo, ſed relicta ſorde: craſsiora vero nequaquam pertranſeunt, præſertim ſi frigida ſint. Quod & in exterioribus manifeſtum eſt. Nam ad vaſorum ſordes abſtergentes, & ad lintea mundanda cinere vtuntur, lixiuio, & ſapone, quæ omnia nitroſam habent qualitatem. In corpore autem humano propter ſenſum commodiora ſunt amara: nam hæc ob maiorem tenuitatẽ minus mordent: quo enim medicamenta abſtergentia craſsiora ſunt, eo magis mordent, quia diutius immorantur, & particulæ hærẽt inſtar pali infixi: vt Galenus inquit 4. Sim. 21. Ideo nitroſa mordicant magis quamuis minus ſint calida, & inter nitroſa ſpuma nitri minore cruciatu id efficit, & Aſiæ petræ flos, quia cæterorum tenuiſsima ſunt. Idcirco ijs vtimur non ad ſordes auferendas, ſed ad carnium excreſcentias in vlceribus colliquandas: quam operationem amara non præſtant: ad id enim præſtandum requiritur ſubſtantia magis terreſtris. Neque id efficit ſal, quamuis terreſtrior, quia ab aſtrictione impeditur. Vtimur tamen his ad aluum irritandam. Clyſteribus enim antiqui nitrum inijciebant, nos ſalem præcipue foſsilem quia mordicant magis ob craſsitiem. Sed in partibus exulceratis atque admodum ſentientibus abſtinemus ab omnibus his ob cruciatũ. Illud mirum videatur aquam ſalſam ſponte naſcentem in Hetruria, quam aquam tettuccij vocant, exhiberi dyſentericis præſentaneo remedio

A medio ad abluenda inteſtina & abſtergēdas ſordes quaſcumque abſque vllo morſu, cum tamen ſal partes vlceratas vehementer mordeat. Neceſſe eſt igitur ſalem illum eſſe veluti florem ſalis optime attenuatum. Vtimur & nitroſis ad abſtergenda ea quæ in renibus ſunt, & ad calculos comminuendos: minus enim nocēt caliditate quā amara. At aquæ ſalſæ propter grauitatem minus ad renes feruntur, ſed citiſsime per aluum ſecedunt. Ad abſtergenda autem ea, quæ in Thorace & pulmone continentur, neque ſalſa neque nitroſa proueniunt, ſed ſola amara, aut quæ inter dulcia facultatem hanc habent, leuiora enim ſunt, nec prohibentur ad eas partes aſcendere. Quod vt facilius ſuccedat, cum amaris vtpote grauioribus maxime iuuat mellis admixtio aut reliquorum eius generis. Ad caput vero adhuc leuiora admiſcere oportet, vt ſunt aeria. Porrò ad abſterſionem inſequitur obſtructionū ablatio: abſtergendo enim humores meatibus impactos amara

B liberant ab infarctu: in qua operatione, ſi quæ aſtrictio comitetur, nequaquam impedimēto eſt vt in vlceribus, in quibus meatus exigui ſunt, occluduntur enim hi ab aſtringentibus, vnde impeditur abſterſio. Sed in viſceribus cum meatus ſint ampliores, ſi aſtringens aliquod cum abſtergente fuerit coniunctum, potius adiumento eſt robur addens medicamento detrudenti, & particulæ. Ideo abſinthiū ob hanc mixtionem naturalem vlceribus quidem impoſitum non abſtergit, intrinſecus autem aſſumptum efficaciter obſtructiones aufert. Magis autem egent aſtringentium commixtione Hepar & ventriculus, quā lien & renes: quia mēbra coctionis à relaxantibus maxime offenduntur: Amara autem & quæcumque multum digerunt, relaxant. Ad abſterſionem aliquando ſequitur expurgatio per aluum: ob grauitatem enim horum ſaporum, magis deorſum propenſio fit quam ad vrinam. Beta enim ob nitroſitatem Abſinthium ob amaritudinē aluum

C mouent, & pleraque purgantia amara ſunt: proprium tamen humorem non trahunt ob amaritudinem, ſed ob ſimilitudinem ſubſtantię. Putant quidam amara aduerſus putredinem præ cæteris pollere, quia minime omnium putreſcant, minimeque animalia procreent, quæ ex putredine prouenire ſolent, vt teſtatur Galenus 4. Simpl. 20. & ob hāc cauſam, quæ exacte amara ſunt, lumbricos necare. Quod profecto experientia notum eſt. At præ cæteris valere aduerſus putredinem non video: magis enim pugnant frigida & ſicca. Tantum amara hoc præſtant, quod putredinem genitam expurgant abſterſione. At ſalſa longe magis incommutabilia ſunt, vt ex Theophraſto habemus: ideo hęc præ cæteris carnes à putredine defendunt exſiccando in profundum, & condenſando. At huiuſmodi remedium in viuentibus nequaquā opportunum eſt, neque ad hanc intentionem quæritur. Salſedo enim corpora viuentia abſumit copioſiore vſu. Indicio pituita ſalſa, quæ

exulcerat interna abradendo. Neceſſarium tamẽ eſt ſal pro condimen D
to,multos enim cibos ſuauiores reddit,licet per ſe inſuauis ſit. Carnes
autem ſalitæ & omnia ſale condita ob vim ſalis magnam ſiccitatẽ con
traxerunt, & craſsiora ſunt reddita: ob id Melancholicis inimica, pi-
tuitoſis autem commoda exiſtunt.

CAP. XI.

IAM ad acres accedamus: Cum hi in materia ignea conſi-
ſtant, accedere poſſunt ad quartũ gradum caliditatis, quod
nullis alijs ſaporibus datum eſt: quemadmodum inter fri-
gidos ſoli aqueo ſumma frigiditas ineſt. Sed quoniã ignis actu nem-
pe arſio ſemper in aliena materia eſt, vt in fumo flamma, in grauiori
materia carbo, & hæc tenuitate & craſsitie valde differunt, quamuis
ignis per ſe ſit tenuiſsimus. Idem contingit & igni qui ſecundum po- E
tentiam dicitur, qualis eſt qui reperitur in medicamentis. Qui igitur
in materia tenuiſsima eſt,minime omnium calefacit. Vt enim flamma
aquæ ardentis minus vrit,quam paleæ,& hæc minus quam lignorum:
ſic acredo in tenuiſsima ſubſtantia minime omnium calefacit, qualis
eſt, quæ in Chamæmelo: non enim tranſcendit primum gradum:
ideo neque pungit linguam vt cætera acria,adeo vt quis ſuſpicari poſ-
ſit non inter acres ſapores reponendum eſſe. At in nullo alio calidorũ
tenuitas huiuſmodi contingit. Qui vero in craſsiſsima eſt materia,
vehementiſsime vrit, vt carbo aut ferrum ignitum: ideo in quarto
gradu caliditatis conſiſtunt, vt Calx, Auripigmentum: Argentum
viuum, præcipue Sublimatum Medio modo ſe habent reliqua acria,
quorum aliqua ad ſecundum gradum, aliqua ad tertium perueniunt
caliditatis. Poſſunt tamen intendi & remitti admixtione aliorum ſa-
porum, vt cæteris contingit. In qualitatibus autem paſsiuis ſiccitas F
magis igni congruit, quam humiditas: non tamen repugnat etiam in
humiditate reperiri,ſed pingui magis,hæc enim eſt ignis pabulum, vt
in balſamo & reſinis. Reperitur & in aquea,vt in Allio,& Bulbaceis.
Sed quoniam ignea caliditas plus poteſt ſiccando, quam humiditas
humectando, ideo omnia acria exſiccant, magis tamen quæ in mate-
ria ſicca fuerint, æquatur enim in ijs gradus utriuſque, minus autem
quæ in materia humida ſunt: adeo vt Cępa & ſi in quarto gradu ca-
liditatis reperiatur, non tamen exſiccant vltra primum gradum,& de
cæteris eodem modo ſtatuendum, vt inter olera Eruca, Ocymum &
Menta, in ſecundo quidem ordine calfaciunt, ſed propter humidita-
tem non manifeſte exſiccant. Latitudo igitur temperamenti acrium
hoc modo conſideranda eſt. Vires autem inſunt ratione caloris di-
gerendi in halitum,rarefaciendi,aperiendi,attrahendi, & tandem ru-
bificandi

A bificandi & vrendi pro maiori aut minori caliditate. Ratione autem tenuitatis incidendi & extenuandi, & cito in profundum penetrandi. Quo autem pacto ſingula hæc præſtentur, videamus. Quæ igitur mitiſsimam habent caliditatem ac tenuium partium, rarefaciunt tantum, ideo Anodynis aſcribuntur, quæ proprie dolores mitigant, vt Chamæmeli flores, Anethum, Melilotum, & inter hæc magis quæ oleoſam humiditatem habent, nam illinendo particulas exaſperatas defendunt à ſolutione continui, vt oleum Chamæmelinum, Anethinum: Hiperici. Quæ autem euidentiorem habent caliditatem nempe vltra ſecundum ordinem, iam euidenter digerunt, vnde tumores præter naturam diſſoluunt, & flatus: irritant quoque expultricem & diſſecando atque incidendo, & penetrando promouent excretiones menſtruorum, vrinæ, odorum, & eorum quæ in Thorace continentur: vt Apium, Fœniculum, Hiſſopum, Origanum, & huiuſmodi.

B Inter hæc, ſi quæ humidiora ſunt, ad venerem prouocandam faciunt, & flatus gignunt, vt menta viridis, eruca, ocymum. Si vero humiditas glutinoſa adiungatur, vt in Hammoniaco, Galbano & reliquis ſuccis ferulaceis, emolliunt indurata. Quæ adhuc calidiora ſunt, in tertio ſcilicet ordine completo, aut in principio quarti, rubificant partẽ, cui applicantur, & ſi tenuiora ſint, attrahunt ex alto, vt Hiberis, Lepidium, Sinapis, Fermentum, Propolis, Fimi genera: Euphorbium. Ideo faciunt ad inueteratos dolores, ad neruorum punctùras, & vbicumque attrahendum ſit ad ſuperficiem, vt ad Anginas grauiores. Quæ autem craſsiora ſunt, aperiunt ora venarum, ideo imponuntur ad aperiendas Hæmorrhoidas, & peſsis induntur ad elicienda Menſtrua, vt Cyclaminus, Cępę ſuccus. Quæ tandem in quarto gradu completo caliditatis ſunt, exurunt, cruſtas inducunt, putrefaciunt, ſed per accidens, vt aliàs dictum eſt, & tandem interficiunt, ſi intus

C aſſumantur. Vt Aconitum, Cantharis, & inter metallica Auripigmentum: quæ omnia toto genere deleteria dicuntur, quia eorum materia inuincibilis eſt, ideo interim exceſſu enecant modo citius modo tardius. Quæ tardius id faciunt, videntur exceſſu impreſſæ ſiccitatis tabem inducere, cum caliditas refrixerit. Si quæ autem ſunt, quæ in hoc gradu materiam poſsident, quæ vinci à calore animalis poſsit, genus deleterium effugerunt, vt Piper. Ideo omnia metallica cum ad quartum gradum acceſſerint, deleteria ſunt, vinci enim nequit eorũ materia. Quæ autem materiam non adeo duram aut grauem ſortita ſunt, ſed aqueam aut aeream & raram, vt Piper, Allium, tuto intus aſſumi poſſunt, remedia efficaciſsima ad flatus & cruditates digerendas. Sed mirum uideatur, cur hæc extra quidem impoſita cutem vlcerant, intus vero aſſumpta nequaquam. An id ob morâ diuturnam contingit? Extra enim eidem particulæ ſemper inhærent: intrinſecus

cus autem diſſoluuntur in plures partes,& abeunt in diuerſa, alijſque D
miſcentur,& concoquuntur, vnde virtus eorum hebetatur. Nam Piperis feruor antequam Hepar attingat,iam extinctus eſt. Cantharis autem & lepus marinus perueniunt ad partes diſtantiores, illa quidem ad renes & veſicam, hic vero ad pulmonem ante quam actum feruoris accipiant, acquirunt enim in tanto itinere igneam naturam, quia duriora tardius accenduntur, ſed excalfacta diutius perdurant. Percipitur & id tactu linguæ: Quædam enim ſunt,quæ ſtatim primo occurſu linguam mordent, vt piper, aqua ardens. Quædam etiam ſi commanducaueris, nequaquam mordent,ſed paulo poſt ardorem in faucibus relinquunt ineſtinguibilem,vt Thymæleæ radices: Aconiti genera. Metallicis autem & cæteris deleterijs vtimur tantum extrinſecus ad vlcera maligna: Phagedænas, Gangrenas & reliquas partium putredines tollendas. Pilos etiam auferunt, & verrucas, & vbi cauterium adhibere oporteat. Hactenus de ſaporibus. E

C A P. XII.

QVONIAM autem ex odoribus aliqua cognitio haberi poteſt,quamuis exigua, de ijs quoque aliqua dicamus. Exiguã dixi duplici ratione, & quia odorum differentias non adeo diſtinguere poſſumus ut ſaporum, homo enim inter cætera animalia peſſimum hunc ſenſum habet 2.de An.tex.92. Et quia pauciora ſunt odorabilia ſaltem homini,quam ſapida, multa enim ſine odore reperiuntur: cum tamen omne odorabile ſapidum ſit: eſt enim odor ſapidæ ſiccitatis demiſsio in aerem vel aquã, de ſenſ.cap.4. Quod enim in ſenſum tangendo facit ſapor, illud idem per medium aerem in reſpirantibus, vel per mediam aquam in piſcibus facit odor, vt de longinquo cognoſcant eſcam. Cum autem vires medicamentorum in F
qualitatibus tangibilibus & ſaporibus conſiſtant, vt explicatum eſt: odor veluti prænuncium quoddam erit facultatum, idque ambiguũ ob incertitudinem: longe enim certior eſt tactus & guſtus: ob id hoc genus odorum Medicus non quærit. Sed quoniam eſt alterum genus odorũ homini proprium, vt vult Ariſtoteles, de ſenſ.cap.5. quod per ſe delectabile eſt,non propter eſcam,vt reliqui communes cæteris animantibus: ſed quia facit ad ſanitatem, de hac in præſentia dicendum eſt vires enim habet per ſe nõ ratione ſaporis, vt ſunt odores florum, vnguentorum,& aromatum: quorum ſapores plerumque diſplicent, cum ſint amari aut acres: ſed quæruntur tantum ratione odoris. Habent enim uim alterandi ſolo olfactu. Videndum eſt igitur in qua materia odor huiuſmodi conſiſtat,& quæ ſit eius ſubſtantia. Primum igitur patet ſapidam ſiccitatem materiam eſſe omnium odorum, vbi

enim

A enim non eſt ſapor, nec odor: nam neque terra ſimplex neque aqua, neque aurum, neque gemmæ & tandem nulla inſipida olent. Præterea non eandem eſſe naturam ſaporis & odoris, ex eo colligitur. Sapor enim humore tantum diluitur, at odor etiam in aere, & in longinquũ ad nares peruenit, cum ſapor tangendo tantum linguæ communicetur. Ex quibus patet longe tenuiorem & leuiorem eſſe naturam odoris, quam ſaporis. Ideo inter ſapores, qui valde terreſtres ſunt, non olent, aut parum, vt ſal, nitrum, & quæ acerba ſunt. At quæ nam fuerit huiuſmodi ſubſtãtia adeo tenuis, vt inuiſibiliter permeet per aquã & aerem, quam ſpiritus? corpus enim aliquod eſſe neceſſe eſt, non ſolam qualitatem: alterat enim corpus tangibile, cerebrum calefaciendo, vt vult Ariſtoteles: quod & Medici experimento didicerunt in multis. At ſola qualitas odorabilis non agit niſi in ſenſum. Vtrum autem aer & aqua ſolam qualitatem odorabilem ſine corpore ſuſcipere
B poſsit, an non, Medicus non quærit: non enim de odore quocumque agit, ſed de eo, qui alterare poſsit corpus tangibile, hoc autem non fit ſine corpore tangibili. Alterum vero genus odorum, quod ſecundum ſapores eſt, forte non eſt neceſſe diffundere quippiam in aquam vel aerem, præter ſolam qualitatem, non enim alterat. At verò ſi odores, qui alterant, ſpirituoſa ſubſtantia conſtant, quomodo negat Ariſtoteles præter multorum opinionem, de ſenſ. cap. 5. Odores eſſe fumoſam exhalationem? An id negat de primo genere odorum? Nam de altero inquit, propter leuitatem odoris, qui in ipſis eſt, aſcendere ad cerebrum. Oportet igitur huiuſmodi odores euaporationes quaſdam eſſe, non enim aſcenderent, neque calfacerent. In hoc igitur differt odor à ſapore: quoniam ſapor in materia eſt magis corpulenta, ideo eſt tangibile quoddam: Odor autem in ſpirituoſa: idcirco per medium communicabilis: non tamen abſoluitur à qualitate tangibili,
C quia ſpiritus corpus eſt. Medio igitur modo ſe habet inter ſenſibilia, quæ tangendo agunt, & ea quæ per mediũ, vt ſonos & colores: Nam hi ſolam qualitatem communicant, illi etiam corpulentiam: odor autem cum qualitate non corpulentiam, ſed ſpiritum communicat, omnes autem in ſenſum ſolam qualitatem ſine vllo corpore. Sed hæc egrediuntur inſtitutum noſtrum. Patet igitur eorum odorum ſubſtantiam, qui corpus afficiunt, ſpirituoſam eſſe. Quoniam autem ſpiritus aerea quædam ſubſtantia eſt, atque hæc vel humida & vaporoſa ex aqua, vel ſicca & fumoſa ex terreſtri materia, quæ proprie exhalatio vocatur: odor in fumoſa magis conſiſtit quam vaporoſa. Dum enim aqua in vapores extenuatur, plerumque ſine odore eſt, at pinguia ſi in igne ponantur, vt exhalent, omnia olent nidore quodam aerem replentia. Calida igitur erit natura odoris exhalatio enim talis eſt. Huic ſententiæ aſtipulatur Ariſtoteles, qui hominibus datum

eſſe

eſſe hoc genus odorum tradit, vt cerebrum, quod natura eſt frigidum D ab illis calefieret, ſic enim ad ſanitatem facere: Et Galenus 4. Sim. 22. probat omnia odorata calida eſſe, quia omnis euaporatio à calore fit. Siccitatem autem odoribus magis conuenire quam humiditatẽ probat Theophraſtus 6. de cau. pl. cap. 22. eo argumento, quod in locis ſiccis plantæ odoratiores ac ſuauiores proueniunt, vt Aromata, quæ ex æſtuoſis & ſiccis Aethyopiæ & Indiæ regionibus comportantur: humore enim aquoſo exhauſto reliquum magis excoquitur. Multa quoque ſiccata olent, viridia nequaquam, vt Calamus, Iuncus, Cinnamomum. Quod ſi quædam viridia magis oleant, quam ſiccata, vt flores, in cauſa eſt non humiditas, ſed quia cito exhalat tenuis illa ſubſtantia, in qua odor eſt, vnde veluti exanimantur. Eſſe autem valde tenuem, quæ à floribus ſpirat, argumento eſt, quia eorum odor longius diffunditur, quam herbarum ſiccarum: & quia flores attriti odorem amittunt, quamuis non deperdita fuerit eorum humiditas: quoniam in E attritione permiſcetur tenuis illa ſubſtantia odorata cum humore, vnde hebetatur. At contra euenit in cæteris. Attrita enim tum folia, tum lachrymæ, tum ligna, magis olent, motum enim odores inde acquirunt, attenuanturque. Calidos igitur eſſe omnes odores & vt plurimum ſiccos ex dictis colligere licet. Verum in oppoſitum afferuntur multi odores refrigerantes, quibus Medici vtuntur aduerſum intemperies calidas, vt Roſarum, Violarum, Sandalorum, floris Labruſcæ, Camphoræ, Aceti. Extant & humectantes, vt ex aqua roſacea, Violis. Præterea ſi materia odoris in ſapida ſiccitate eſt, pro diuerſitate ſaporum debuiſſet odorum natura variari, vt alij eſſent calidi, alij frigidi, humidi & ſicci: Aut ſi omnis odor eſt calidus, non debuiſſet reperiri in ſaporibus frigidis. Si igitur etiam in ijs reperitur, eiuſdem naturæ odorem eſſe, vnde diſcedit, rationi conſentaneum eſt. Quod & Galenus confirmat 4. Simp. 22. cum inquit. Sanè plerique odores F ſimiliter ſaporibus nos afficiunt. Siquidem acida omnia & præcipue ipſum acetum ſimiliter odoratũ, guſtumque mouet. Tum acria quoque velut Allia, Cępę non minus quam guſtum odoratum quoque offendũt, mordicantque: ſic in alijs ſingulatim ſimilis propemodum eſt odoris ſenſui guſtus. Itaque quorumdam corporum etiam non guſtantes, qualitatem cognoſcimus, veluti fimi: proinde omnino ne deguſtare quidem aggredimur, quia ſcilicet admodum fides habeatur odoratui. Quinetiam ſi qua boni odoris edulia putrilagine corrupta, odore ſuo nos offendunt, protinus ea abijcimus, haud guſtare dignati: fereque in omnibus mutuo conſentiunt odoratus & guſtus. Hactenus Galenus. Si igitur hæc ita habent, non omnis odor calidus & ſiccus eſt. An reſpondere licet? Actu quidem calidum eſſe omnem odorem, quia non exhalat quod frigidum eſt: poteſtate autem quemdam

dam frigidum eſſe, quemdam calidum, quemdam humidum quemdam ſiccum. At inſtabit quis, ſi omnis odor cerebrum hominis calfacit, vt tradit Ariſtoteles, nullus igitur erit poteſtate frigidus. An de odoribus per ſe homini gratis id affirmat Ariſtoteles? hi enim ad ſanitatem faciunt. At gratus eſt aceti odor, & Roſarum, frigidi tamen ſunt. Dicendum eſt homini temperato modice calidos eſſe, ſuaues enim ſunt, quia familiares, vt in guſtu ſapor dulcis, qui temperatus eſt. Poſſunt igitur intemperies calidas refrigerare, vnde frigidi dicuntur odores huiuſmodi, quia minus calidi: nec lædunt intemperies frigidas, quia illis calidiores ſunt. Secus autem dicendum de inſuauibus: multum enim recedere à temperato & familiari neceſſe eſt, cum ſint moleſti. De his igitur nullum eſt abſurdum dicere, quoſdam frigidos eſſe, quoſdam calidos, quoſdam humidos, quoſdã ſiccos, quamuis omnes conſiſtant in euaporatione, quæ calida quidem actu eſt, dũ
B euaporat: cum autem ad cerebrum peruenerit, aget ſecundum ſuam poteſtatem, vt cætera medicamenta. Non eſt autem neceſſe, vt caliditas, quæ actu ineſt in euaporatione, omnis cerebrum calefaciat: modica enim caliditas in tenui ſpiritu ad eleuationem quidem ſufficit, non ſufficit autem ad calefacienda corpora calida, vt ſunt hominis partes. Sic non eſt abſurdum quoſdam odores frigidos & humidos eſſe & ſoporiferos vt Opij, & fructus Mandragoræ: hic enim etiam ſi manu teneatur, ſoporem inducit, vt teſtatur Dioſcorides. Adde quod ſæpe cõtingit, vt vnà cum odoris euaporatione alia corpuſcula ferantur alterius naturę, vnde fiant diuerſæ alterationes. Non enim ſemper ſimplices odores ad nares perueniunt, ſed ſæpius mixti. Cuius ſignũ eſt: quod quędam in diſtantiore interuallo odoratiora ſunt, quam propè: quod & in violis deprehenditur, vt Theophraſtus refert, & in pleriſque alijs ſuffimentis. Si enim propè olfacimus, hæc quidem fumum
C aliquem, illæ verò herbam redolent: è longinquo autem ſynceriorem odorem ſentimus & ſuauiorem. Effluunt enim vnà cum odore de cæteris partibus aliqua, quæ odorem deprauant, ac veluti turbidum reddunt, quia tamen craſsiora ſunt, longius tranſire non poſſunt, ideo ijs ob grauitatem delapſis, odor ſyncerior vlterius protenditur, veluti defecatus. Illud quoque animaduertere licet, non ex quacumque parte corporis odorati odorẽ ſpirare: patet id in Roſa Galeno teſte 4. Sim. vlt. Cum enim aliqua pars inſit aſtringens, aliqua amara, aliqua aquoſa: inquit aquoſam illam igne excalfactam & attenuatam atque in vaporem ſolutam odoratam facere Roſam, quod experientia comprobat: nam per diſtillationem aqua extracta odorata eſt, reliquis partibus ſiccis odore priuatis. Ex quibus illud etiam inferre licet, ex odoribus non poſſe colligi medicamentorum temperamentum, quia non omnes partes olent, ſaltem homini: peſsime enim ſentit eos odores,

qui ſecundùm ſapores ordinati ſunt. Alterum verò genus odorum optimè diſcernit, imò ſolus: nam reliqua animalia neque beneuolẽtiam ſectantur, neque graueolentiam fugiunt. De his igitur concludere poſſumus odores ſuaues maxime familiares eſſe, & conuenire cũ ſubſtantia ſpiritus in cerebro exiſtentis, ac cerebrum frigidum modice calfacere, calidum autem quoſdam poſſe refrigerare & humectare, aut ſiccare. Inſuaues autem inimicos eſſe, & lædere ſecundum exceſſum cuiuſque qualitatis. At vero neceſſe eſt, ſi euaporatio inimica eſt, id etiam vnde euaporat, minimè familiare eſſe. Ideo fętentia non audemus deguſtare. Si verò familiaris ſit euaporatio odorem ſuauem ferens, non eſt neceſſe corpus illud familiare eſſe, ſegregari enim poteſt quod exhalat iucundum ex ſapore non iucundo. D

C A P. XIII.

HIs viſis ſequitur, vt odorũ differentias, ac vires explicemus. Cùm igitur duplex ſit genus odorum, vnum ſecundum ſapores, cuius ſpecies idem nomen habent cum ſaporibus, vt quidam dulcis vocetur, quidam acris, quidam amarus, & cæteri. Alterum, quod per ſe iucundum eſt, quod hic quærimus: profectò & huius quoque ſunt ſpecies, quamuis minus ſint nominatæ. Communi autem nomine appellare ſolemus hos quidem beneolentes, alios maleolentes, ſeu graeolentes, quos Theophraſtus duros vocat, quaſi expertes gratiæ: & inter maleolentes quoſdam dicimus fętentes, vt fętor ſit extrema maleolentia. Prętere a & alio modo diſtingui ſolent, vt alij acuti dicantur, alij lenes, alij graues, alij medicati: his enim nominibus Dioſcorides, & Theophraſtus ſæpiſsimè vtuntur. Acutos appellant eos, qui valde feriunt olfactum, cuiuſmodi eſt odor caſtorei, moſchi, ſampſuchi, ſiſimbrij. Lenes, ſeu exiles, ac languidi intelliguntur oppoſiti, vt odor violarum. Graues autem, qui caput potius replere videntur, quam ferire, vt lilij odor, & narciſsi. Medicati, qui aliquam diſplicentiã participant, vt fermè habent medicamenta purgantia. Et tandem vniuſcuiuſque rei proprius odor eſt, quo ſolo res ipſas ſæpe dignoſcimus. Vt autem ſingulorum vires cognoſcamus, contemplari oportet eorum generationem, quemadmodum circa ſapores factum eſt. Omnes autem per coctionem quandam fieri videntur. Patet autem id primum in fructibus odoratis, dum enim maturantur, odoratiores fieri cernimus, quanto autem crudiores, eo minus olent. Præterea vinum, quod vetuſtate acrius fit, & amarius, etiam odoratius euadit. Lachrymæ, & ligna odorata, quo magis Sole fruuntur, eo redduntur odoratiora, in vmbroſis autem eorum odores minus perficiuntur. Contra tamen in quibuſdam contingit, in quibus E F

A enim exilis eſt odor, etiam mitem requirunt caliditatem, nam à validiori exterminantur. Huiuſmodi eſt odor violarum: gaudent enim vmbroſis, & nondum exacta hyeme incipiunt. Similem odorē reddunt parietes quidam muſcoſi in vmbroſis. Heſperis quoque traditur apud Theophraſtum, quæ noctu plus redolet, quam interdiu ob eandem cauſam. Paulo maiorem caliditatem requirit roſa, & magna pars uernorum florum, nam in Sole magis ęſtuoſo hebetatur eorum odor: & in regionibus ęſtuoſis ſimiliter, vt apud Indos, & Arabes: aquam enim roſaceam petunt ex noſtris regionibus. Et in Aegypto herbæ coronariæ, ac flores minimum olent, excepta myrtho, vt tradit Theophraſtus. Ex his colligere poſſumus vbique aliquam caliditatem odores perficere, ſed validiores à vehementiore oriri, mitiores à mitiore. Etiam pro natura corporum, vnde expirant, rationabile eſt ſimilem qualitatem participare: vt ex violis, & roſis frigidam,
B & humidam: ex aceto frigidam, & ſiccam: ex lilio, & narciſſo, calidam, & humidam. Ex iridis radice, ex cinnamomo, & tandem ex amaris, & acribus calidam, & ſiccam. Adeo vt potius ex ſaporibus argumentari liceat odorum temperamenta, & vires, quam è conuerſo. Acutus enim odor ineſt tum acidis, vt aceto: tum acribus, vt calamento, thymo, quæ omnia tenuium ſunt partium: & hæc quidem calefaciunt, illa verò refrigerant tum ſapore, tum odore. Grauis vaporoſam, & craſſam indicat ſubſtantiam, qualis in corpore vnde exhalat, reperitur. Iucundus exhalationem à calore optimè elaboratam oſtendit neque citra, neque vltra mediocritatis latitudinē: ſed quemadmodum colores, & ſoni gratiſsimi ſunt, qui in quadam proportione, & harmonia conſiſtunt: ſic odores ſuaues, qui proportionatiſsimi ſunt: inſuaues qui diſcedunt à proportione: ab hac autem diſcedunt, vel defectu caloris perficientis, vel eiuſdem exceſſu deſtruentis.
C Ideo crudiora aut non olent, aut nō iucunde: & quę corrumpuntur, ac putreſcunt, omnia graueolent, aut etiam fętent. Plenius autē olere, aut exilius multitudinem, & paucitatem exhalationis oſtendunt. Perſeuerantia, ſeu pertinacitas odoris, glutinoſam ſubſtantiam ſignificat, difficile enim eluitur, vt olei macula. Idcirco vnguentarij in oleo magis, quam in alia ſubſtantia odores excipiunt, vnde varia parantur vnguenta pretioſa. Multitudo quoque exhalationis odoratæ magis reperitur in pingui ſubſtantia, vt in lachrymis, thure, myrrha, balſamo: ambra quoque odoratiſsima pinguedo quædam eſt terræ: & electrum: camphora, & genera bituminis: moſcus, & zibettum non ſine pinguedine ſunt animalium illa ferentium: xyloaloes lignum eſt reſinoſum, & alia pleraque ligna valde odorata. Maximè enim congruit odoris natura cum pinguedine: nam optimè percocta ad naturam exhalationis. Non tamē in ſapore dulci plenitudo illa odo-

ris, ſed magis in amaro, & acri reperitur, & tandem in ijs, quæ guſtui D
ſunt inſuauia, vt tradit Theophraſtus.6.de Cau.pla. cap.24. quia humor percoctus in dulcedinem minus exhalat: de cæteris habitus exit maiorem in modũ, quia melius ſegregatur à fęcibus, attenuatusq́; eſt. Ex his autem vires colligere licet, ac primum de ſuauibus loquamur.

C A P. XIIII.

CVM odores ſuaues ſint ſpiritui familiares, vt Galenus teſtatus eſt, nec multum à mediocritate recedentes. Naturalem ſpiritus tẽperiem cõſeruare, & ab omni exceſſu defendere, ex ijs quæ dicta ſunt, manifeſtũ eſt. Cũ enim odoris natura ſpirituoſa ſit, cum ſpiritibus magis congruit, quam cum corporibus, aut humoribus. Vtrum autem eoſdem nutriant, cuius gratia fortè ad roborandum cor, cerebrum, & reliqua membra principalia à medicis laudantur, conſiderandum eſt. Vult quidem Galenus.2.Aph.11. ex ſententia Hippocratis in libro de Alimento, odores nutrire. Quicunque E
enim, inquit, veloci appoſitione opus habent, his humidum ad reficiendas vires optimum: quicunque verò adhuc velocius, per odoratum. At negat Ariſtoteles de Senſ. cap.5. odores nutrire: An non ſimpliciter id negat Ariſtoteles? ſed aduerſus quorundam Pythagoreorum ſententiam aſſerentium, quædam animalia odoribus nutriri: impoſsibile enim eſt aerem adeo corpulentum fieri, vt ſolidas partes reſtituat. At medium hoc non aſſerunt. Cùm enim ex triplici ſubſtantia conſtent animalia, à triplici nutrimento ſubſtentari aſſerit Hippocrates in lib.de Flatibus: quorum nomina ſunt, cibus, potus, ſpiritus. Odores igitur non reliquas partes inſtaurant, ſed ſpiritus. Adhuc inſtabit quis, ex Ariſtotelis ſententia odores ad cerebrum peruenientes ad ſanitatem facere calefaciendo, non ergo alia ratione. Amplius idem teſtatur in lib.de Reſpir.cap.2. Ex aere inſpirato in pulmonem, refrigerationem tantum fieri, non nutritionem ſpiritus: magis F
enim ex alimento nutriri calidum, quod intus eſt. An ex his verbis patet ſolutio, ſi enim ex alimento magis, non negat aliqua ex parte aerem inſpiratum ingredi in cor, & ad ſpiritum vitalem accedere. Similiter dicendum eſt de odoribus cerebrũ petentibus: quamuis enim alterationis gratia odores huiuſmodi expetantur, nihil obſtat, quin aliqua ex parte etiam nutriant ſpiritus. Nam in pulſu arteriarum ingredi aerẽ ambientem medici concedunt, quod aliqua ex parte apud Ariſtotelem, qui pulſum alia ratione ſtatuit, non eſt impoſsibile. Sed hæc contemplatio non eſt præſentis negocij. Odores igitur ſuaues ratione quidem temperamenti naturalem ſpiritus qualitatem conſeruant, ratione verò ſubſtantiæ familiaris eundem nutriunt, vtriuſque

autem

A autem ratione vires collapſas citiſsimè reſtituunt, vt contingit in ſyncope: idq; non tantum naribus applicati, ſed etiam temporibus, carpo, pedibus, teſticulis, cordi, & tandẽ vbicunque arteriæ fuerint conſpicuæ. Sed longè efficacius, ſi intus ſumantur aut in cibis, aut in potu, vt vinum odoriferum: ſimul enim cum nutrimento odor peruadit ad principium. Huius gratia etiam immiſcent odorata medicamentis purgantibus, ne ab ijs robur virium diſſoluatur. Conferunt in tremore cordis, & palpitatione, inter eos ſeligendo aut calidiores, aut frigidiores, prout affectus poſtulauerit. Pugnant quoque aduerſus putridos vapores contẽperando: Idcirco vtiliter in affectibus vterinis adhibentur, & in peſte. Quæ multam odoris copiam fundunt, ſi largius ſumantur, periculoſa: vehementer enim caput replent, vnde ſopores, vertigines, apoplexiæ, & mortes fiunt, qualia ſunt ſtyrax, crocum, camphora, ambra, & alia huiuſmodi. Odores acuti magis B in profundum penetrant, & vapores diſſoluunt: proſunt cerebri, & neruorum affectibus frigidis, & inter eos qui acriores ſunt, ſternutamenta mouent, vt nigella, ſampſucus, balſamum, cardamomum, ſopores arcent. Quæ autẽ mitius olent, vt ſemina odorata apij, ameos, dauci, cumini, & ſuffrutices coronarij, vt thymum, ſerpillum, ad flatus diſſoluendos pollent: mouent quoque vrinam, quæ huiuſmodi odorem habent, vt teſtatur Ariſtoteles. 12. Probl. 12. Et apud Hyppocratem ſuffitus aromatum muliebria ducit, ſed capitis grauitatem facit. Ex iiſdem varia ſuffimenta fiunt ad ſudores eliciendos, ad ſiccandas craſſas fluxiones ad thoracem fumo hauſto. Vtebatur Galenus olfactu Hædicroi, aut Theriacæ. Odor grauis cum repleat ſua craſsitie, ac diſtendat, dolores capitis gignit, idcirco inutilis, aliquando tamen iuuat ad ſomnum conciliandum, vt fructus mandragoræ, ſtyrax. Quæ autem mitem habent odorem, & exilem inter humida tutiora C ſunt, refrigerãt enim & humectant abſque repletione, vt violæ, aqua roſacea, & quæ ex floribus citri, aut aurantij elicitur, lamſam vocant, & quæ ex floribus myrthi. At in ſicca materia, vt ſandalis, roſis ſiccis, myrtho ad calidas fluxiones ſiccandas conueniunt, ſed de odoribus ſuauibus hæc ſatis.

CAP. XV.

INSVAVIVM quoque non eadem eſt natura: multis enim modis diſcedere quid poteſt à commenſurata illa proportione, in qua ſimilitudo cõſiſtit cum natura hominis. Nam exceſſus erit aut in primis qualitatibus, aut in conditionibus materię, vnde diſsimilitudo ſubſtantiæ colligitur, per quam natura eos abhorret: lædunt enim ſenſum, quamuis alioqui iuuare poſsint, vt faciunt

medicamenta,vnde odores medicati vocantur, quales in caſtorio,gal D
bano,opopanace, & ſimilibus. Sunt tamen quibus odor alijs ſuauis, valde infeſtus ſit, vt roſarum: ſed id ob peculiarem eorum conditionem contingit. Qui putidiores ſunt, fętentes vocantur, vt ſulphuris, aſſę fętidæ, excrementorum alui, rerum putridarum. Eadem verò diſtinctio in his reperitur, quæ in iucundis. Alij enim acuti, vt in caſtorio, ſulphure, capillorum, & cornuum ſuffitu. Alij graues, vt in ſuccis ferulaceis, coriandro viridi, conyza fętente. Alij lenes, & exiles,vt in Polio montano, Abrotono. Differunt enim craſsitudine, & tenuitate: copia, & paucitate exhalationis. Qui igitur medicati vocantur, cum ſint minus moleſti, iuuant calefaciendo, ac digerendo: calidiores enim ſunt quam qui inter ſuaues continentur: ideo ad excitandos altos ſopores faciunt, vt caſtorium, ruta. Iidem ad vteri præfocationes adhibentur naribus, vt praui vapores aſcendentes diſſoluantur. Infra autem ſuaues magis conueniunt ad eoſdem contemperandos. E
Mitius id præſtant, quæ odorem mitiorem habent, vt artemiſia. Quæ plenius olent concitant ſternutamenta, & caput purgant efficacius, quam quæ inter ſuauia acuta ſunt. Quæ autem fœtent, adhuc magis à medio recedũt, vel ad calidum, vel ad frigidum: humidum, vel ſiccum. Ad calidum, & ſiccum, quæ in hoc genere acutum ſpirãt, vt ſulphur, auripigmentum, bitumen, & pleraq; euaporationes metallicæ, quæ in fodinis reperiuntur, omnibus animalibus noxiæ, corrumpunt enim ſpiritus. Ad frigidum, & ſiccum pertinere videtur canfora, magis enim ad ingratos quam iucundos eius odor accedit, adhibetur ad magnos ardores. Frigida & humida inter grauiter olentia, ſunt cicuta: coriandrum viride: horũ odor mentem perturbat, & ſoporem inducit. Tamen coriandri ſemen ſiccum odore grato conſtat, ideo familiaris eſt, nec lædit. Opij, & vnguenti populei odor a medicis eligitur ad ſomnum conciliandum aduerſus F
graues vigilias, & dolores vehementes ſedandos: ſi temporibus, & naribus illinantur. Aliquando manuum, & pedum ablutio ex capitibus papaueris, & vino ſoporem conciliat: nam odor cum vapore vſque ad cerebrum aſcendit. Hæc autem grauiter olent, quia humiditatem vaporoſam multam, & crudiorem continent. Fętoris enim cauſa cruditas eſt ſuperflui excrementi. 13.Probl.4. Nam probe cocta minimè fętent. vt patet in puris confectione, in ſudoribus, & reliquis excrementis. Idem videre eſt in moſco. Dum enim recens ex animali, quod ipſum fert, extractum fuerit, fœtidum eſſe aiunt: percoctum autem in Sole odoratiſsimum euadere. Putreſcentia quoque ideo fœtent, quia putredo eſt coctioni contraria. Si igitur per coctionem gignitur odoris ſuauitas, per putredinem fœtor orietur. Exhalat enim ob caliditatem externam humiditas: ideo hac ratione

calida,

A calida, & humida erunt, quæ ex corporibus putreſcentibus exhalant, & vim putrefaciendi habent: contagio enim, quod putridũ eſt, proxima afficit, vt in fructibus putreſcentibus patet. Sic Phthiſis olfactu purulentorum naſcitur: & ex fœtore cadauerum peſtis, vt ex peſtilenti aere inſpirato. Similem putredinem, & fœtorem concipit aer diutius concluſus in ſubterraneis, nam cum erumpit, ſi inſpiretur, interficit. Ex metallicis, vt argento viuo, auripigmento, & animalibus venenoſis, exhalatio quoque venenoſa eſt, ideo vt illa corrumpunt corpora, ſic earum exhalationes ſpiritus. Aliquando tamen medici ſuffumigijs vtuntur ex ſulphure, & auripigmento, vt inſpirentur ad veterem tuſsim, vt Dioſcorides tradit: ſed adhibita correctione, vt minus lædant. Alij ad morbum gallicum ſuffumigia parant ſudatoria ex cinnabrio factitio, quod ex argento viuo, & ſulphure fit, quamuis genere ſit deleterium. Præparatio enim vitia corrigit. Hæc de B odoribus ſufficiant.

CAP. XVI.

RELIQVA ſenſibilia quæ in corporibus ſunt, nullam vim agendi habere videntur in corpus tangibile, ideo à Medicis inter medicamenta non conſiderantur. Nam ſonus, ſi aliquando ob vehementiam corpora diſcindit, id motu præſtat, ictus enim vehemens diſcindere poteſt cum aere etiam corpora in eo exiſtentia: at non alterat præter ſenſum auditus. Ad hanc autem alterationem aliquando læſio in organo male affecto ſequitur: ſunt enim qui ſtrepitum ferre non poſsint: aliquando autem auxilium: cum ex dulcedine cantus aut ſoni, ſedantur ſpiritus ijs qui neruorum incontinentiam patiuntur ex ictu Phalangij, quam Tarantulam in Apulia vo C cant: ſedantur & animi perturbationes. Neque etiam ſignum eſſe poſsit qualitatum tangibilium, non enim inſequitur illas, ſed alias corporum conditiones, vt liquorem, duritiem, & figuram concauam. Ideo relinquatur. Color quoque eodem modo in ſenſum viſus agit tantum, & oculos aut offendit aut recreat, atque animi lætitiam aut triſtitiam parit, non per qualitates tangibiles, ſed per ſe. Magis tamen quam ſonus inſequi videtur primas qualitates tangibiles, ideo aliqua ſigna temperamenti ex coloribus aſſumit Galenus quamuis infirma. Senſibilia autem communia, vt motus & quies, figura, numerus & magnitudo per ſe non alterant, ſed alterantiũ vires augent aut minuunt, vt irrigationes efficacius alterant, quam lauacra: in maiori quantitate maior eſt virtus quam in minore. At medicamentorum vires nec efficiunt, nec oſtendunt. Inter ſenſibilia per accidens forte quædam ſignificabunt vires magni momẽti, vt ſimilitudines quarumdam plan-

tarum cum animalibus,aut eorum partibus,aut morbis. Nam ſecundum illas ſimilitudines cōpertæ ſunt vires quaſdam tenere, vt Echion ſemen fert ſimile capitibus Viperarum, ſanat quoque earum morſus, vt teſtatur Dioſcorides. Scorzonem apud Hiſpanos vocata radice ęmulatur ſerpentem eius nominis,eademque reperta eſt præſentaneū remedium ad eius venenum. Dracunculus caulem gerit Draconi ſimilem: eius ſucco perunctum non tangi à ſerpente tradunt. Teſticulorum genera radicem binis teſticulis ſimilem gerunt, quæ & odore genituram præſefert: valet autem ad Venerem. Satyrium Erithronium non ſolum teſticulos in radice ęmulatur, ſed & genitale adiunctum cum ſua pube: efficaciſsima ad rem veneream. Lithoſpermon ſemen fert lapillorum duritie,quod calculos in renibus frangit. Lens ad exanthemata, quæ lenticulis ſimilia ſunt ab antiquis laudatur. Phaſelus reni ſimilis ad renum morbos valet. Multa alia non ſolum in plantis, ſed & in lapidibus huiuſmodi reperiuntur,vt Iaſpis viridis cui ſanguineæ inſunt guttæ, appenſus ſanguinem ſiſtit: quaſi natura huiuſmodi ſignis vires commoſtret. Verum quia ſimilitudines reperire in plerique non licet, & forte in multis per accidens adſunt, non tutum eſt ex illis vires coniectari. Dimiſsis igitur his, relinquitur ſolum vt de coloribus agamus. D E

C A P. XVII.

EX coloribus incertam eſſe temperamenti ſignificationem,ex eo colligit Galenus, 4.Simp.vlt. & 1.eiuſdem cap.2.quod in vnoquoque colore & calida & frigida,& humida & ſicca reperiuntur. Sed & ratione hinc fiet manifeſtum: Cum enim color paſſio quædam ſit perſpicui, quatenus illuminatur, & terminum habet, in ſuperficie enim omnis color ſpectatur, vbi fuerit illuminata: natura autem perſpicui & luminis communior ſit, quam calidi frigidi humidi & ſicci: reperitur enim & in cęleſtibus,vnde viſus eſt prior tactu quia ſubiectum prius eſt 2.de Gen.& cor.tex.7.Hinc merito fit,vt nullam firmam coniecturam exhibere queat ad primarum qualitatū tangibilium mixtiones cognoſcendas. Aut enim vt cauſa ſignificaret, aut vt ſignum. Vt cauſa non poteſt, color enim non efficit tangibiles qualitates,licet à motu & lumine ſolis pendeant. Neque vt ſignū, quia color non pendet à primis qualitatibus,vt dictum eſt,ſed ab alijs principijs communioribus. Ideo omnia corpora viſibilia ſunt, non omnia tangibilia. Sed quoniam in generabilibus & corruptibilibus præter trinam dimenſionem, quæ æterna eſt, omnia mutari contingit, etiam colores aliquando mutantur agētibus primis qualitatibus. Ideo aliquando ſigna eſſe poſſunt paſsionis factæ ab illis, vt quod ab F

igne

A igne vritur, ſi ſemiuſtum extinguatur, denigrari ſolet, vnde nigredo abſentiam caliditatis ſignificare poſsit. Sic Flauum & Puniceũ quod in flamma & carbone candente viſitur, in alijs ſimiliter caliditatis cuiuſpiam indicium eſſe videatur. Galenus profectò quamuis ex coloribus ſimpliciter proferre temperamentum non audeat, aliosque refellat, qui ex ijs male ratiocinabantur 2.Simp.cap.3.tamen 4.Simp.vlt.illud quaſi perpetuum ſtatuit: in quocumque genere ſigillatim aut ſeminis, aut radicis, aut ſucci, vt in Cępa, Scylla, Vino: quanto fuerint albidiora, tanto & minus calida eſſe: Quæ vero ſubflaua aut fulua, calidiora. Idem in Tritico, Milio, Ochris, Phaſeolis, Cicere, Iridis radice, Aſphodelo, alijsque compluribus vſu venire. In quocumque enim genere in vniuerſum fulua, flaua, & rubra, omnia albis eſſe calidiora. Quæ an vera ſint, & quo modo, quaue ratione id accidat, vt in ijs tantum, quæ eiuſdem generis ſunt, non autem in diuerſis gene-
B ribus coniectura ex coloribus ſumi poſsit, non ab re fuerit explicare. Nam ſimul & ſciẽtiam de coloribus in Medicina ad multa alia vtilem habebimus. Quod tanto libentius efficiam, quanto ab alijs hanc partem alioqui difficillimam, minus elaboratam perſpicio. Videamus autem prius colorum differentias, deinde à quibus cauſis ſingulæ effici ſoleant in ijs, quæ ex elementis componuntur, aperiemus. Has enim cauſas nos quærere oportet, cum non in vniuerſa natura, ſed in his tantum quæramus.

CAP. XVIII.

QVAMVIS colorum differentiæ ex albi & nigri mixtione ſecundum magis & minus in infinitũ variari poſsint: placuit tamen veteribus ad numerũ ſeptenarium redigere, quemad-
C modum & ſapores, & odores, ut teſtatur Ariſtoteles in lib. de ſenſ. cap.4.& Theophraſtus 6 de cau.pl.cap.3. Tot enim ſunt maxime ſenſibiles differentiæ. Sed quoniam in enumeratione octo reſurgunt, & in ſaporibus, & in coloribus: nempe Album, Flauum, Puniceum, Purpureum, Viride, Cyaneum, Fuſcum, & Nigrum, vt ſeptenarium conficiant, Fuſcum cum Nigro componunt ob vicinitatem: quemadmodum & Flauum cum Albo ob eandem rationẽ iungendum eſſet. Si igitur vtroſque cum extremis componamus, ſex remanebunt: quorum duo extrema, quatuor vero Media. Ob diuerſam vero proportionem medij colores hi quidem iucundi, hi verò minus cenſentur: quemadmodum in concentu, qui ex acuto & graui oritur, accidit. Vbi enim proportio inordinata fuerit, ſonus fit inſuauis, vbi vero ordinata, & certis quibuſdam numeris, ſuauiſsimus. Nos idem in calidi & frigidi mixtione notauimus, iucunditatẽ tactus in tribus reperientes,

tes,ſcilicet in tẽperato, in receſſu caliditatis ac frigiditatis ad ſecundũ D
ordinem: nam in his numeri proportionatiſsimi. Colorum quoque
mixtiones inſignes in tribus reperiri, vt in alijs pleriſque natura fert,
docuit Ariſt.3.Meteo.cap.4. Ideo Iris tricolor: puniceus ad albũ ver-
gens, purpureus, qui Alurgos ab eo dicitur ad nigrum declinans, In
medio viridis. Secundum quem ordinem & in Iride ſpectantur. Ex
quibus patet, cur viridis color maxime omnium aciem oculorum re-
ficiat & oblectet, vt de Smaragdo Plinius teſtatur, qui numquam ſa-
tiat, ſemper gratus: ratio eſt, quia maxime in medio conſiſtit inter al-
bum & nigrum. At puniceus lætior, quia ſplendidior, Alurgus ſeu
Cęruleus triſtior, quia nigrior. Si igitur viridis medium exacte locum
tenet, vt patet in Iride, tot erunt proportiones mixtionum à viridi ad
album, quot ab eodem ad nigrum: meritò igitur colores impari nu-
mero ſtatuendi ſunt, qualis ſeptenarius apud antiquos: quemad-
modum etiam patet in gradibus mixtionum ex calido & frigido: cum E
enim quatuor vtrinque à medio recedentes ſtatuantur, cum ipſo me-
dio nouem conſurgunt: plures autem aut pauciores conſtitui poſſunt
in omni contrarietate, quæ mixtionem patitur: nam fermè in infini-
tum variari poſſunt. Quoniam igitur & in coloribus multi alij ſunt à
præcipuis illis magis & minus recedentes, qui nomina obtinent pro-
pria, ſatius fuerit hos quoque ſigillatim explicare. Differunt autem à
prædictis, quod ij puri videntur, quia in numeris quibuſdam ordina-
tis conſiſtunt, ideo à pictoribus componi nequeunt, ſed à ſola natura
temperantur. Alij autem impuri & in numeris inordinatis ex aliorum
mixtione fiunt. Quaſi colores alij ſimplices, qui ex luminis & opaci
concurſu ſolum creantur: alij compoſiti ex alijs coloribus, quos picto
res imitari poſſunt.

CAP. XIX.

F

ALBI igitur differentiæ ſex notantur ab Actuario in vrinis.
Chryſtalleus, Niueus, Aqueus, Lacteus, Glaucus, & Charo
pus: partim intenſione & remiſsione differentes, partim
perſpicuitate. Summę quidẽ albedinis ſed in corpore perſpicuo Chry
ſtalleus, paulo remiſſæ Aqueus: ſplendor enim maior in Chryſtal-
lo eſt quam in aqua: In corpore autem non perſpicuo Niueus exce-
dit, lacteus paulo remiſsior. His ſuccedunt Glaucus, qualis eſt in
Cornu perlucido: Dioſcorides folia Chelidonij maioris ſubglauca
vocat, quia ex viridi ad talem albedinem tendunt: Oculi quoque
glauci dicuntur, qui ad albedinem vergunt. Charopus maxime om-
nium remiſſus eſt, vt pili ſubalbidi Chameli, & onyx lapis ab vngue di
ctus: oculi quoque Charopi dicuntur, qui ex albo ad cęruleum ver-
gunt. Summam autem albedinem candidam vocamus, vt niuis.

CAP.

A

CAP. XX.

FLAVI differentiæ apud Galenum 1. Cri. 12. in coloribus vrinarum tres afferuntur. Maximè remiſſus ad albedinem accedens Pallidus ὠχρὸς græcis dictus. Deinde Ruffus, πυῤῥὸς græcis, qualis in capillis puerorum ſpectatur, & in vulpe. Vltimo loco Flauus ξανθὸς græce appellatus, vt in Auro: hic ab albo magis recedit verſus rubedinem. Actuarius primum ſpiceum appellat, quia talis color in ſpica tritici arida inſpicitur: vltra Flauum autē, quem ipſe Aureum vocat, adiungit Croceum, qui proximè iam accedit ad rubedinem. Hi verò omnes cum remiſsi ſunt, connotantur præpoſitione, ſub: vt ſubflauum, ſubruffum, ſubſpiceum, & in reliquis eodem modo. Reperio & κιῤῥὸν ſæpe apud Dioſcoridem, vt in Melle: Apud Platonem in Timæo, ex flauo & fuſco compoſitum, quidam vertunt,
B Fuluum, alij Rutilum, alij Giluum: quidam confundunt cum Ruffo. Inuenitur & Luteus color, græcis Μήλινος: ideſt Melinus, qui color in malis Cotoneis reperitur, Barbaris vero Citrinus, quia is in malo Citrio reperitur: Hic à pallido nō videtur differre, niſi quia accedit magis ad aliquam viriditatem, vt flauus ad rubedinem. Ideo Lutea auis Latinis dicitur, quæ Græcis χλωρὶς à viriditate appellatur. Dicitur tamen & Luteum oui vitellum. Reperitur & Μήλινος à Melle dictus. Ex quibus patet, omnes iſtos colores rectè Albo aſcribi ſed admixto cum alijs coloribus, cum viridi, rubeo, aut nigro. Cum viridi enim communicare videntur pallidus minus, Luteus magis. Cum nigro Ruffus & Fuluus: horum enim albedo ad fuſcum vergere videtur in Ruffo minus, in Fuluo magis, qualis eſt color mellis. Cum Rubeo flauus & Croceus. Quamuis hæc nomina ſæpe apud authores confundantur, vt Galenus notauit.

C

CAP. XXI.

SEQVITVR Puniceus, qui inter medios primus ſincerus reperitur & in bona conſiſtens proportione: ad nigrum magis accedens, quam ſuperiores. Eſt autem hic color in carbone ardente & in ſupremo arcus cæleſtis ambitu. Ab hoc vix diſtare videtur Rubeus, ἐρυθρὸς græcis dictus, vnde Herythrodanum & Rubea herba dicta ab infectoribus lanarum quæſita. Et Coccineus, à grano tinctorio, vulgo Chermiſinus inter precioſas infectiones: & Purpureus celebratiſsimus ex pretioſo liquore Cōchilij eius nominis. Differunt autem, Nam puniceus candidior eſt, qualis in flore mali punici & Anagallidis maſculæ reperitur. Rubeus nigrior, ac ſine ſplendore: Coccineus autem cum ſplendore: Idem purpureus ex purpura Marina, qui

na, qui color, vt inquit Plinius, eſt nigrantis roſæ ſublucens: cuiuſmo D
di & in Flore Amarantho ſpectatur. Sed nomen hoc tranſit etiam ad Violaceum, cui vel modicum purpuræ ſit admixtum: de quo inferius agetur. Ab his magis diſcedit Vineus, qui in vino nigro ſpectatur. Adhuc magis Paſſeus, qui eſt in Sapa, & Ceraſis nigris, & Moris, ex nigri enim mixtione fiunt. Contra Carneus ex albi mixtione fit: & Roſeus, qui in roſis vulgo Incarnatis dictis apparet.

CAP. XXII.

SVCCEDIT Viridis color notiſsimus, idemque Medius æqualiter ab vtriſque extremis diſtans, ideo & hic inter ſimplices maximè proportionatus. Eius differentiæ non adeo notæ, vnde ambiguitas apud authores. Qui igitur ſaturatæ eſt viriditatis πρασοειδής appellatur, ſeu Praſinus, ideſt Porraceus, Porri ſuccò ſi- E
milis: huiuſmodi traditur eſſe in Smaragdo, quo nil viridius viret: & in ſegete læte virenti. Ideo hic reliquorum placidiſsimus. Alius eo paulo remiſsior ad Luteum modice accedens, herbaceus appellatur, quia in pleriſque herbis reperitur, præcipuè autem in nouellis plantarum germinibus, folijs, & fructibus, vt in libro de coloribus apud Ariſtotelem habetur. Alius adhuc magis ad flauum accedit, quodammodo Medius inter flauum & Herbaceum qui χλωρός à Græcis dicitur, à noſtris aliquando viridis conuertitur, aliquando Luteus, vt de aue Lutea ſuperius dictum eſt. Hinc apud authores ſæpe nominum confuſio pro eodem accipientes ὠχρὸν & χλωρόν, ideſt Pallidum & viride, vt notat Galenus apud Hippocratem in primo Acut. vbi bilem viridem accipit pro pallida: Sic apud Plinium Topatium gemmam viridem eſſe legitur, cum tamen eius viriditas in auri colorem deſinat. Actuarius hunc calorem videtur oleoſum appellare, F
cum ſcribit, olei colorem ambigere inter viridem & flauum, magiſque ad flauum accedere. Duo igitur prædicti verſus album recedunt. Alij verò ſunt, qui ad nigrū magis vergunt, vt color Maluæ Maluaceus dictus, alijque plures magis & minus recedentes, ſed ſine nomine: quædam enim ſubalbida vt oleæ folia: quædam ſubrubra, vt Bliti: quædam ex albo ad cæruleum vergunt: vt Chelidonij maioris, & innumeris prope modis hoc modo viriditas variatur.

CAP. XXIII.

POST viridem ſuccedit Cæruleus Κύανος græcis dictus, qui tertius color inter Medios ſimplices, & vario modo cum cæteris miſcetur: Barbari Lazurion vocant, vnde lapis Lazuli eius coloris, vulgo Azurro. Eiuſdem generis ſed modice remiſſus eſt

Cæli

A Cęli color, ſeu aeris, vnde Ἀερίζων appellatur, qualis eſt in gemmma Borea à Plinio vocata, à noſtris autem Turchina, ſicut & color turchinus: qui fortè idem eſt cum Veneto, in eodem enim genere ponitur cum Cæruleo. Inter hos numerandus eſt violaceus, ſed modico rubore reſperſus, ideo & purpureus appellatur, vnde viola purpurea: & hyacinthinus idem, qui in flore hyacinthi reperitur. Ad differentiam autem alterius purpuræ rubentis, hæc nigra cognominatur, vnde viola nigra dicitur: vulgo autem pauonazzo, quia in collo pauonis conſpicitur. Ariſtoteles alurgon vocat, aliàs purpureum, quem in libro de Senſu ponit ſtatim poſt puniceũ ante viridem, intelligens eum cui plus ruboris ineſt, cuiuſmodi ſpectatur in Amethyſto, de cuius colore Plinius inquit: vſque ad vini colorem accedẽs, priuſquam eum deguſtet, in violam deſinit. At in 3. Meteor. cap. 4. Alurgon ponit in infimo Iridis circulo, qui cæruleus eſt. Accedit autem hic color
B proximè ad fuſcum, idcirco quæ hunc colorem habent, ſæpe cærulea appellantur: miſcetur & cum viridi in lapide Armeno.

CAP. XXIIII.

FVscvs Græce φαιὸς multam habet latitudinem, ſed non adeo nominibus diſtinctam, vt ſuperiores. Quidam igitur liuidus appellatur, qui color eſt cutis ob contuſionem nigreſcentis. Huic ſimilis eſt plumbeus, ex candido enim nigreſcit: & Aquilius ab aquæ obſcurioris colore dictus: ſed in corpore diaphano: Cinereus autem σποδοειδὴς Græce dictus in corpore non diaphano, quem vulgo bigium vocamus. Giluus autem ambiguus eſt inter fuſcum, & melinum apud Galenum. 2. Catag. quem colorem ęrugo in emplaſtris per vlteriorem coctionem acquirit: & ſpuma argenti, & ceruſſa. Si
C enim hæc amplius incoquantur, poſt giluum tandem nigra fiunt: Eſt autem hic color in cortice caſtaneæ, Græce κιῤῥὸς dicitur, de quo ſupra in Flauo: nos vulgo tane appellamus. Ad fuſcum etiam pertinet color ex rubeo nigreſcens, vt qui in moris maturis conſpicitur, & iam nomine nigri intelligitur, talis in ſanguine nigreſcente viſitur.

CAP. XXV.

NIger in altero extremo latitudinis conſiſtit. Qui ſincerus eſt, ater appellatur, qualis in carbone extincto, & atramento viſitur: remittitur autem admixtione cæterorum, vnde fuſcus gignitur varijs modis, vt dictum eſt. De differentijs igitur colorum tot dicta ſint. A quibus autem cauſis fiunt in corporibus his dicamus.

CAP.

CAP. XXVI.

SVMENDVM autem illud principium: omnia elementa alba eſſe ſecundum naturam, quia ſimplici corpori ſimplex color debetur, vt in libro de coloribus Ariſtoteles tradit. Alienis autem coloribus infici, aut ex mixtione, aut tranſmutatione in ſe inuicem, alterationeque. Quanquam ſcio quoſdam de terra dubitare, quæ ſuapte natura obſcura videtur, & nigra: & de igne, qui flauus ab Ariſtotele appellatur, vt Sol. Sed ignis quidem, qui flamma, vel carbo dicitur, ob lucem, quæ albedini aſcribitur, in materia nigra, puniceus aut flauus apparet, vt Sol per mediam caliginem viſus. Ignis verò elementaris, qui nequaquam lucidus eſt, ſed perſpicuus, vt aer, interminatus quidem ſine calore eſt, vt aer & aqua, niſi lumen in ijs receptum colorem appellare libeat, vt aliquando facit Hippocrates, E aquam albam vocans. Terminatus autem, & diuiſus alium colorem præter album habere non poteſt. Quod enim in interminato lumen eſt, in termino eſt albedo, vt tradit Ariſtoteles de Senſ. cap. 3. Idcirco & ſpuma & nix, & glacies comminutus, candorem aſſumunt, quia maximè ſuſcipere poſſunt lumen ob naturam diaphani: non quod lumen aliquod in ipſis natura inſit, vt quidē putarunt, à maiori enim lumine obſcurius fieret. Terra verò, ſi quidem ſui natura opaca ſit, nec luminis ſuſceptiua, profectò nigra dicenda erit. At ſi hoc eſſet, nulla eſſent corpora terreſtria perſpicua, & alba: multa tamen ſunt inter gemmas, marmora, & ſales. Quin nulla mixta omnino candida reperirentur, cum in omnibus terram ineſſe neceſſe ſit, quæ ſi natura nigra ſit & opaca, quamcunque albedinem aliqua ex parte remittet. Melius igitur dicendum, terram quoque ſi continuum eſſet corpus & homogeneum, diaphanam fore, vt aqua: quod patet in Sole F foſsili, lapide ſpeculari, & gemmis multis perſpicuis, ferè enim terra ſunt, perſpicua tamen, ſæpe magis quam aqua. At quia terra maiori ex parte diuiſa eſt in corpuſcula, hinc fit, vt videatur in ſuperficie tantum, non in profundo, nec ſemper colore albo, quia variè eſt alterata: Si tamen ad ſuam puritatem reducatur, deinde cōfletur in vnum corpus: vt ex cineribus aliquando fit vitrum, manifeſta erit albedo in cineribus, & perſpicuitas in vitro. Rectè igitur poſitum eſt, omnia elementa in ſui natura candida eſſe. Dum verò inter ſe tranſmutantur, nigredinem fieri, in eodem libro de Coloribus habetur. Maximè autem id eſt manifeſtum in ijs, quæ comburuntur: humidū enim ſeu aqueum ſeu aereum, dum comburitur, nigredinem facit, vt patet in fumo, & carbone extincto, & in Aethyope, & in ijs, qui in Sole verſantur. Poſtquam verò omnino humor omnis combuſtus eſt, album

A bum fit, vt patet in cinere, & calce: tranſmutatũ enim eſt, quod erat trãſmutabile, combuſtibile quidem in ignem, incombuſtibile autem in terram albam, quæ ſi abluatur, vt Galenus docet, ſuperatur ab ea ignis veſtigium, & omnino terra pura redditur. In alijs quoque idem eſt manifeſtum. Cum enim aer craſſeſcit, & tranſmutatur, fit tenebricoſus. Et aqua, cum exſiccatur, nigreſcit, vt patet in puteis. Parietes enim aqua perfuſi, & tempore exſiccati, nigreſcunt. Tandem nigredo eorum eſt, quæ corrumpuntur, & tendunt ad mortem. Nam in tranſmutatione perit Diaphanum, quod eſt luminis ſuſceptiuum: perfectis autem vnà cum forma perficiente, ſuus vnicuique color reſtituitur, qui & perſeuerat, quandiu forma perſiſtit: in priuatione autem ſimul & nigredo & tenebræ fiunt: ſunt enim & hæ priuationes: nam quod eſt in diaphano interminato lumen & tenebræ, in ipſo termino eſt album, & nigrum. Hæc autem in viuentibus manifeſtiſsima

B ſunt. Sanguis enim, quandiu in ſua perfectione eſt, & ſuo calore inſito fouetur, rubeus eſt, quaſi ignis: cum verò extinguitur eius calor, qui perficit, nigreſcit vt ignis qui extinguitur: Et humor aqueus oculi viuente animali perſpicuus eſt, & valde clarus, eodem extincto nigreſcit: nullum enim nigrum perſpicuum eſſe poteſt. Quibus ſic conſtitutis cæterorum quoque colorum cauſæ erunt manifeſtæ. Quod enim albũ eſt, ſi à ſua natura mutetur, & perſpicuitas deleatur, ſiquidem ex toto, nigrũ fiet: Si verò ſecundum partem, pro diuerſa proportione varij orientur colores ſecundum eum ordinem, quem ſuperius ſcripſimus. In locis igitur minus à Sole illuſtratis aqua ſponte exſiccata, nigredo fit, vt dictum eſt de puteorum parietibus, nulla enim perfectio acquiritur: vbi autem Sole illuſtrãte ſiccatur, aut craſſeſcit, vt in tectis conſeruato aliqua ex parte Diaphano, veluti luminis igniculo, primum quidem pallidum, poſt herbaceum, deinde viride fit,

C in quibus natura plantarum conſiſtit, vt in aquis ſtagnantibus apparet: retinetur enim perfectio quædam, & mixtio fit, ideo colores medij mixtorum ſunt. Vbi verò plus cœleſtis caliditatis innaſcitur, vt ſplendor maior, ſic ex candido ad rubedinem tendit, & quę eius ſunt generis: in quibus natura ſanguineorum animalium ſita eſt. Ex principijs enim albis tum plantæ, tum animalia fiunt, calore inſito agente: nam vt elementa alba ſunt, ſic & ſemina plantarum intra corticem ſubſtantiam albam continent, aut maximè tendentem ad albedinem: animalium quoque primordia alba conſpiciuntur, vnde poſtea cæteri colores vnicuique proprij naſcuntur. At cæruleum, vt ad nigredinem proximè accedit, ſic minimè vitale eſt. In nullis enim animalibus hic color ſpectatur nec ſanguineis nec exanguibus, immo neque plantis, præterquam in floribus, & quarundam auium pennis: excrementa enim ſunt. Apparet autem huiuſmodi color in mari, & aere

ob

ob diaphani profunditatem, qua lumen deficit. Et quorundam lienes morboſi hoc colore ſpectantur ob nigri humoris alterationem. Minimè autem mirum videri debet, quod niger in partibus quibuſdam animalium ſpectetur, vt in pilis, & cute Aethyopum, cæruleus autem vnus ex nobilibus nequaquam. Ratio eſt, quoniam excrementa quædam nigra eſſe neceſſe eſt, in quibus multum ineſt calidi, quæ enim aduruntur, nigra fiunt, vt atra bilis. Colorari autem aliquas partes ab huiuſmodi excremento non eſt abſurdum: pili enim nigri ex nigra fuligine fiunt: & cutis nigreſcit ex ſanguine ſubcutaneo vſto à Sole: cortices quoque multorum ſeminum nigri ſunt, præcipuè in genere bulbaceo, ex ſimili excremento: ineſt enim in ijs multa caliditas, quæ vrere poteſt excrementa. At color cæruleus cum naturam diaphani, & ſplendorem participet, ex certa coctione perfici videtur, non per interitum priuari, vt accidit nigra. Sic autem natura videtur conſtitutum, vt viuentia omnia ob naturam calidi innati eos tantum colores participent, qui ad album magis accedunt, quam ad nigrum. Hinc factum eſt, vt infimum genus viuentium colorem viridem potiſsimum aſſumpſerit: hic enim etſi medius ſit, extremus tamen eſt in genere viuentium. Oportuit igitur nobiliora viuentia, vt animalia hunc colorem tranſcendere verſus albedinem: vnde animalia ferè nulla viridia ſunt, præter quoddam Erucarum genus ob cibi ſimilitudinem. Tanto ergo minus erunt cærulea: vergit enim hic color ad nigrum magis quam viridis. Metallica autem omnimodos colores habent à calore ſubterraneo diaphanũ perficiente, aut corrumpente. Qui igitur colores oriantur in elementorum mutatione, & mixtorum generatione, & corruptione dictum eſt. Vtrum autem colligere poſsimus ex ijs mixtorum temperamentum, quod ab initio quærebatur, nunc contemplemur.

CAP. XXVII.

SIQVIDEM colores à lumine quodam inſito ortum haberent, lumen autem ignis quidam ſit, vt Plato aſſerebat: Quo magis colores ad albedinem vergerent, eò calidiores eſſent. At nix candidiſsima tamen frigidiſsima. E conuerſo nigra frigidiſsima eſſent, cum in priuatione luminis conſiſtant, ſæpe tamen ex vſtione multam caliditatem contraxerunt. Si autem ex principijs quæ attulimus iudicare velimus: in medijs coloribus tantum forte aliqua ratio erit temperamenti. Si enim elementa omnia alba ſunt, & quædam calida, quædam frigida: nulla ratio ex albedine ſumi poterit: Similiter neque ex nigredine, nam tam calida quam frigida in hunc colorẽ corrumpuntur. Medij autem colores, cum per quandam coctionem

fiant

A fiant aut à calido innato, aut à Sole, aut ab igne: ea calidiora eſſe videbuntur, quæ ad eorum perfectionem maiori caliditate egent: quo modo viridis minorem caliditatem habebit, quam rubeus, maiorem autem quam Cęruleus: aliqua enim caliditas innata eſt in colore viridi plantarum, quæ non ineſt in inanimatis. Color autem rubeus calidiſſimus omnium erit. Sanguinea enim animalia caliditate vincunt omnia exanguia. At multis modis diſſonat ratio: Nam flaua bilis calidior eſt ſanguine: & multæ plantæ caliditate vincunt animalia: idem inter metallica eſt inuenire: non enim ſecundum caliditatem innatã cuiuſque iudicantur vires medicamentorũ vt alibi oſtenſum eſt. Præterea idem calor in diuerſa materia diuerſos facit colores: nam ſi vratur Plumbum adeo vt in cinerem vertatur, rubedinem acquirit. Si in eodem igne vratur Stamnum, vertitur in cinerem candidum. Item ſi in aceto putrefiant Stamnum & Plumbum, vtraque in ceruſſam candi
B dam abeunt: Si æs eodem modo aut Ferrum alterẽtur: Aes quidem viridem colorem contrahet, quod Viride æris appellatur: Ferrum autem in rubiginem, qui colores diuerſiſsimi ab eodem agente fiunt, ſed in materia diuerſa. Optimè igitur ſtatutum eſt à Galeno ex coloribus non poſſe ſimpliciter temperamentum vllum ſignificari, ſed tantum ſuppoſita eadem materia. Cum enim mixtorum materia, quædam ſit aquea, quædam terrea: & quædam calida, quædam frigida: ex coctione non quælibet in eoſdem colores & qualitates mutabitur, ſed diuerſimodè, etiam ſi agens idem ſit: cuius exempla de colore allata ſunt, de qualitatibus autẽ calidis & frigidis hinc patebit. Nam in igne quædam calidiora fiunt, quædam frigidiora: Quæ enim ex ſua natura calida ſunt, vt Chalcitis, Chalcanthum, Miſy ex vſtione mitiora fiunt: & vinum natura calidum per putredinem verſum in acetũ, frigidum euadit. Contra autem Calx ex vſtione vehementem caliditatem aſſu-
C mit: & æs per putredinem conuerſum in Aeruginem longè calidius euadit. Idem in coctione quæ à natura fit, cenſendum eſt. Ex colore igitur qui coctione acquiritur in diuerſa materia nihil certi ſignificatur: nam ex coctione aliquando fit acceſsio caliditatis, aliquando inexiſtentis diminutio. At ſi ſupponatur eadem materia, quæ alteratur, aliquam ex colore, qui acquiritur, coniecturam habebimus non tantum in medijs ſed & in extremis. Alba enim ſunt quæ adhuc nihil ſunt perpeſſa tam in elementis, quam in primordijs naturæ, vt ſemina & pituita. Si igitur aqua inſpiciatur, quo purior fuerit, eo magis Diaphana erit, & ob id ſplendidior: eadem & candidiſsima redditur cum multò ſplẽdore, ſi eius Diaphanum terminetur, vt in niue. Quoniam vero etiam terra pura candida eſt, ſi optimè in aqua fuerit ſoluta, vt homogeneum corpus reddatur, aquam non obſcurat, ſed ſepe reddit ſplendidiorẽ, vt patet in aquis Thermalibus lympidiſsimis.

At terra non ex toto ſoluitur, niſi fuerit à calore optime attenuata. D
Albedo igitur in terra aliquod veſtigium caliditatis ſignificabit, quod tamen ab aqua poteſt ablui. Puluceres etiam colorati ex terra oriuntur ab igne varie alterata, qui aquas colorant: ſed hæc omittuntur. Accedamus ad humores corporis: Pituita quæ adhuc non perpeſſa eſt coctionem, alba eſt & frigida, vt aqua. Per coctionem autem tranſit in rubedinem ſanguinis, qui & calidior eſt: Si ampliorem caliditatem patiatur, pars tenuior flaueſcit, & fit flaua bilis longe calidior ſanguine: pars vero craſſa & terreſtris nigredinem acquirit, & fit atra bilis, partim frigidior ſanguine, cum refrixerit: partim calidior cum retinuerit ignis veſtigium. Duobus enim modis nigredo fit, vel extinctione à frigore, vt in ſanguine refrigerato, & carbone extincto: vel uſtione, vt ligna in igne, & atra bilis per vſtionem genita oſtendunt. Differt autem vſtorum nigredo ab altera ſplendore, vt tradit Galenus 4. Apho. 23. vehementior enim caliditas fundens homogeneum corpus magis reddit, vnde fulgor: defectus autem caloris inæqualitatem parit, ideo ſplendor deperditur in omnibus quæ per refrigerationem tendunt ad interitum. Hinc forte putatum eſt, ignem quendam eſſe id quod ſplendorem coloribus tribuit. At id conſiſtit in natura diaphani ob puritatem & æqualitatem ſubſtantiæ æqualiter colligentis lumen externum in ijs quæ in lumine viſibilia ſunt. Nam & colores quicumque ſplendidiores videntur, ſi per Cryſtallum aut vitrum purum ſuperpoſitum inſpiciantur, vt Gemmarij ſolent Carbunculum ęmulantes. Ex colore igitur qui effloreſcit in cute iudicari poteſt temperamentum. Color enim albus & capilli ad albedinem accedentes, aut Cani frigiditatem ſignificant & pituitam dominantem. Frigidius adhuc temperamentum connotabit, ſi albedo ad fuſcum inclinet, qualis eſt color Plumbeus: amplius ſi ad nigredinem abſque ſplendore: extinctionem enim calidi innati ſignificat. Color F
autem albus cum florido rubore mixtus optimam temperiem ſignificat. Rubicundior abundantiam ſanguinis. Si rubedo ad nigrum tendat cum ſplendore, ſanguinis aduſtionem portendit: ſi abſque ſplendore, extinctionem. Flauus & Ruffus calidius temperamentum ſignificat, & bilem dominantem, idem color & in capillis ex flaua bile oritur, vt niger ex atra. Notantur & in vrinis colores. Nam tendentes ad albedinem, frigiditatem oſtendunt: Ruffæ & flauæ caliditatem ex bile, & quo ſplendidiores, eo maiorem vſtionem ſignificant. Subruffæ autem & ſubflauæ optimam temperiem. Ad rubedinem accedentes, ſanguinem aduri oſtendunt. Ad viriditatem aut nigredinem peſsimæ, magnam enim vſtionem ſignificant, quamuis nigræ aliquando humorem nigrum expurgari, quod bonum eſt, aut calorem extingui, quod peſsimum. In excrementis quoque ijdem colores

A colores humorum qualitates oſtendunt. Nam deiectiones flauæ, aut vomitiones flauam bilem oſtendunt: virides, quæ Aeruginoſæ dicuntur, peiores ſunt, nam propter aduſtionem mordaciores euaſerunt. Nigræ cum ſplendore extremam vſtionem, ideo lethales: ſine ſplendore autem, aut fuſcæ humorem Melancholicum frigidum. Similem ordinem colorum vult Galenus etiam conſiderari in cæteris corporibus, dummodo eiuſdem ſint generis. Patet autem primum in fructibus, cum maturantur, tranſeunt enim ex colore in colorem, vt in caliditatem. Cum adhuc acerbi ſunt, virides ſpectantur, matureſcentes autem, quidam albi fiunt: quidam in alios colores vertuntur: nam perfecte maturi alij flaueſcunt, alij rubeſcunt, alij etiam poſt rubedinem ad nigrum tranſeunt, vt patet in vua, ficu, Ceraſis, Moris, & pleriſque alijs. At nec flaui in rubedinem tranſeunt, nec rubri in flauum, ſed genere differunt, ideo minus comB parari poſſunt inuicem. Viriditas igitur in his frigiditatem oſtendit, deinde albedo, quæ maturationem præcedit: reliqui colores caliditatem maiorem ſignificabunt, vt maturitatem. Quod & de vino teſtatur Galenus 4. Simpl. vlt. Flauum enim & ruffum & rubrum calidiora eſſe albo. Alibi comparans Flauum cum rubro & nigro inquit. Flauum calidiſsimum eſſe, mox fuluum, deinde rubrum, poſt nigrum, vltimo album nempe frigidiſsimum & aquoſum. Hæc tamen comparatio non admodum firma eſt, & quia eorum plantæ non eiuſdem ſpeciei ſunt, & quia pro locorum diuerſitate ſucci valde differunt, licet color idem ſeruetur. Nam reperiuntur inter alba & colore fermè aquoſa, calidiſsima tamen: & inter rubra cæteris frigidiora. Cum igitur non ſupponatur eadem materia, non tenet comparatio ſecundum colores. Vt plurimum tamen contingit flaua calidiora eſſe rubris, tenuiora enim ſunt; ſuccus autem tenuis cum colore C flauo igneum quid oſtendit: vt flaua bilis: & lixiuium: at rubedo in craſsiore materia conſiſtit & magis terreſtri, vnde frigiditas: ideo vinum nigrum adhuc frigidius eſt rubro: Album autem tenuiſsimum quidem omnium, ob aqueam ſubſtantiam, frigidiſsimum autem quia non tingitur ab ignea ſubſtantia. Eodem modo inducere licet in radicibus, ſeminibus, floribus: reſinis, lignis, terris, & cæteris metallicis. Vt plurimum enim flaua calidiora ſunt albis & cæteris coloribus tendentibus ad nigrum dummodo ſemper in eodem genere fiat comparatio. De coniectura igitur ex coloribus quæſita ſatis ſuperque dictum eſt.

ANDREAE CAESALPINI ARETINI,

De Medicamentorum Facultatibus, LIBER SECVNDVS.

CAP. PRIMVM.

QVEMADMODVM cæteræ artes aliquando mate-
riam, qua vtuntur, præparant, atque operi commo- E
diorem reddunt, vt pictores facere conſueuerunt in
ſuorum pigmentorum confectionibus: aliquando
autem ea rudi vtuntur, qualis à natura præſtatur, vt
ſtatuarius marmore. Ars Medicinæ vtroque modo
ſua materia vtitur, aliquando ſimplicibus ac rudibus medicamentis,
qualia natura ipſa effecit, aliquando vario modo præparatis & com-
poſitis. Poſtquam igitur in præcedentibus eorum facultates explica-
uimus, quas natura condidit, ſequitur vt eaſdem perquiramus, quas
ex diuerſa præparatione ac mixtione adipiſcuntur. Quamquam innu
meris penè Medicina ſcateat remedijs, nullus enim eſt morbus, nulluſ-
que affectus, cui in tanta ſimplicium medicamentorum copia & va-
rietate opem ferre non liceat: idque vel ſi ſolas plantas ſpectes, vt qui
dam putarunt, eoque magis ſi animalia adiungantur ac Metallica.
His tamen non contenta ars cępit varia miſcere & præparare, vt ex al- F
teratione ac mixtura nouas formas & facultates compararet, quaſdam
vero deleret, aut occultaret, alias excitaret & vehementiores redde-
ret, alias temperaret & mitiores efficeret: & tandem vnicuique cor-
pori & temperaturæ, ac morbo proprium pararet medicamentum.
Igitur varijs inuentis præparationũ modis, ſimplicia ad diuerſos vſus
accommodantur, ſeparatione, coniunctione, alteratione: In quibus
adeo aſtuta fuit & ingenioſa hominum ſolertia, vt res longiſsime in-
ter ſe diſsidentes inſeparabili uinculo coniungeret: Quæ aduerſiſsi-
ma & inimica naturæ eſſent, benigna & iucunda redderet: in rebus
craſsiſsimis & viliſsimis tenuiſsima & pretioſiſsima inueniret, & quaſi
rerum formas ex materiæ craſsitie & impuritate ſepararet, & res ma-
ximè corruptibiles à corruptione ac putredine æterno fermè tempo-
re præſeruaret. His aucta eſt adeo medicinæ ars, vt merito diuina ap-
pellari

A pellari ob hanc partem ſolam poſsit, cum ſecretas rerum naturas & mirandos effectus in morbis ſanandis inuenerit. Hinc celebrata Pharmaca Pęonia dicta; hinc Antidota multa, in quibus etiam Regum ambitio ſpectatur. Viget enim adhuc Mitridatium ab inuentore dictum: cuius exemplo poſtea Neroni Imperatori Theriaca ab Andromacho Medico celeberrimo compoſita eſt. Extat & Iuſtinum ad calculum frangendum efficacisſimum: item Adrianum ambo ab Imperatoribus dicta. Relinquo innumeras alias confectiones à peritisſimis Medicis & Philoſophis compoſitas, ad quas confugere tamquã ad ſacram anchoram, vbi alia non proſint, neceſſe eſt. Increbuit vero adeo componendi conſuetudo, vt nemo fermè ſit, qui ſimplicibus vtatur: & is doctior credatur, qui plura in vnum conſarcinet, quamquam ſæpius ad pompam, quam vtilitatem. Placet enim plurimis multarum rerum compoſitio, ratio tamen componendi à paucis tenetur.
B Nam aut ignoratis ſimplicium facultatibus, aut quæ ex miſcella conſurgere poſsint, fortuito omnia contingere neceſſe eſt. Nos igitur in præſentia hanc Medicinæ partem maximè neceſſariam pro viribus tractabimus, cum prius quæſiuerimus, vtrum ſimplicium vſus melior ſit quam compoſitorum. Et vtrum compoſitio ſit in Medicina neceſſaria: hoc enim non ſatis conſtat. Et huius rei veritas non modicum afferet momentum ad ea quæ dicenda ſunt, inueſtiganda.

CAP. II.

NOn eſſe neceſſarium compoſitorũ medicamentorum vſum, ex his perſuaderi quis poſsit. Suppetunt enim ex ſimplicibus medicamenta ad omnes affectus; Nam vt in ijs reperitur cuiuſque generis, & cuiuſque gradus temperamentum ad quem-
C cunque lapſum in primis qualitatibus corrigendũ: ſic in eiſdem tam ſecundas, quàm tertias, & reliquas facultates facilè erit reperire: omnium enim multa eſt copia, tum repellentium, tum attrahẽtium, tum purgantium, tum aſtringentium, tum abſtergentium, & reliquorũ. Amplius vbi plura vno medicamento efficere oporteat, ſiue ſimilia, ſiue diuerſa, ſiue etiam contraria, qua maximè ratione compoſitionem neceſſariam putarunt, vt eodem tempore pluribus affectibus, ſeu morbis, ſeu cauſis, ſeu ſymptomatis, pluribusq; particulis ſuccurrerent: in his quoque omnibus compoſitionem habemus à natura factam. Multa enim ſunt quanquam ſimplicia, diſsimilaria tamen, vt braſsica, & lens, quorum pars aluum mouet, pars aſtringit. Abſinthium abſtergit, & aſtringit: Cichorium refrigerat, & expurgat obſtructa: qua ratione ſimul & febri & cauſæ ſuccurrit. Et tandem vt omnes ſapores omnibus modis natura miſcuit, ſic compoſitionem

quamcunque nobis opportunam ſuggereré poſſe videtur. Huic rei D teſtimonio eſt Dioſcorides, apud quem ſimplicia medicamenta ad quemcunque affectum ſanandum reperiri poſſunt. Ratio quoque hæc idem conuincit: Nam ſi omnia ad vſum hominum condita eſſe, quæ hic ſunt, credendum eſt. Sumus enim quodammodo omnium finis, vt teſtatur Ariſtoteles, nec deficit natura in neceſſarijs, veriſimile eſt vnicuique affectui, cui natura humana ſubiecta eſt, contrarium remedium conditum eſſe. In qua re longè liberalior eſſe cognoſcitur, cum ſine numero in ſimplicibus longè plures notemus differentias, quam in morbis. Non eſſe igitur neceſſarium cōponendi vſum, ex dictis manifeſtum videtur. An verò etiam melius ſit ſimplicibus vti quam compoſitis, ex ijs quæ ſequuntur, conſideretur. Videbitur alicui, ſi vnicuique morbo ſuppetunt ſimplicia medicamenta commoda, nō ſolum ſuperfluam eſſe compoſitionem, ſed etiam inutilem ac noxiam. Quodcunque enim in mixtionem venit, alterari atque à E ſua natura diſcedere neceſſe eſt, & quæ commoda ſunt, atque vtilia, incommoda reddi, & noxia. Quod ſi noxia componantur, vt ex vtriſque tertium vtile fiat, hoc magno eget medici artificio, ac ſæpius effectus, qui deſideratur, non reſpondebit rationi: cum ars non poſſit vt natura mixtiones perficere, quod patet, ſi quis conferat balnea naturalia cum artificialibus. Hæc Galenus animaduertiſſe videtur 3. Meth. 2. cum rationem componendi ſimilia tamquam rem antiquam probat: irrationabile tamen inquit, videtur: & quia in compoſitione nō ſeruatur cuiuſque actio, & quia inter multa vnum tantum, aut nec vnum prodeſſe vni corpori, reliqua autem obeſſe par eſt. Quaſi liceat hoc pacto argumentari. Si miſcibilia in mixtione alterantur à natura ſua, nec ſeruatur cuiuſque actio, male miſcentur quæ ſunt commoda, quia incommoda redduntur. Sin verò ſeruetur cuiuſque actio, adhuc peius erit: nam vni morbo atque vni naturæ vnum tantum proderit, F reliqua autem omnia oberunt. Sic in multorum mixtione noxia ſemper vincent vtilia, aut etiam omnia fuerint noxia, nullum autem vtile. Damnanda igitur eſt omnis compoſitio, vbi ſimplicia adſunt vtilia: videturque orta ex ignorantia ſimplicium, tum naturarum, vt ibidem notat Galenus. Cum enim carnem gigni viderint à Thure, Iride, Opopanace, & alijs, nō tamen ab vnoquoque ſemper, omnia miſcuerunt, vt vbicumque idem medicamentum ſatisfaceret: Fruſtrantur tamen & hoc pacto ſæpe ſine ſuo: vt aliquando muliercula ſimplici aliquo medicamento optatum aſſequatur, magno Medicorum multa componentium dedecore. His igitur aut huiuſmodi quis compoſitorum vſum labefactabit. Quod ſi compoſitiones à clariſsimis Medicis non ſine ratione excogitatas eſſe credendum eſt: celebrantur enim à Galeno innumeræ & à ſe inuentæ & ab antiquioribus. Arabes quoque

que

A que multas in vſum inuexerunt, quibus frequenter hodie vtimur fœliciſsimo ſucceſſu. Rationes autem ſuperius adductæ perſuadere videntur, rurſus videndum eſt, quid horum bene dictum ſit, quid male. Quod vt facilius aſſequamur, ſupponamus prius quædam pro eorum ſolutione neceſſaria.

CAP. III.

PRIMVM igitur ſupponatur: plurimum differre compoſitionem à mixtione, licet nomine compoſitionis in omnibus his vtamur. Compoſitio enim rerum eſt non à ſe inuicem alteratarum, ſed cum integra ſecundum omnes virtutes remanent in compoſito: veluti in aceruo ex tritico & Hordeo: Huiuſmodi ſunt omnes fermè compoſitiones recentes antequam fermententur, vt lo-
B quuntur: Agunt enim non ſecundum vnicam rationem, ſed ſecundum ſingula, quæ in compoſitionem veniunt, magis minus prout vnumquodque alterum ſuperat: citius & tardius pro ſolidiori aut liquidiori vniuſcuiuſque ſubſtantia, vt ſi vinum granatorum Gentianæ miſceas, & ſtatim propines, refrigeratio & repercuſsio prius fit, quam calefactio & abſterſio. Sic Theriaca recens ob integram Opij virtutē ſoporifera eſt, antiquata autem nequaquam. Mixtio autem tunc propriè dicitur, cum facta miſcibilium inter ſe alteratione ac refractione vnum quid tertium oritur, ſecundum quod totum compoſitum operatur, non ſecundum ſingula componentia: quamquam ab arte difficile id fiat, cum mixtionem ex mixtis moliatur, quæ inuicem agere ac pati minus poſſunt quam elementa ſimplicia. Hanc alterationem noſtri fermentationem appellant, quo tempore non licet in vſum trahere, præſertim ſi ex multis cōponuntur, propter agentiū multiplicium
C confuſionem, vnde perturbatio oritur, & ex plurimis læſio. Quædam autem longius tempus requirunt ad ſui fermentationem, vt electuaria quæ arida recipiunt: Quædam breuiori tempore complentur, vt quæ conſtant ex liquidis, & quæ per decoctionem apud ignem perficiuntur, aut per infuſionem. Mixtio igitur & cōpoſitio medicamentorum hoc modo differunt. Illud præterea conſiderandum: vtrum ſimilia, an diſsimilia, aut etiam contraria in mixtionem veniant. Nam ſimilium compoſitio ob eam cauſam ab antiquis excogitata eſt, vt recenſet Gal. 3. Meth. 2. vt medicamentum haberent, quod vnicuique corporis naturæ conueniret, cum id in ſingulis minimè inuenirent. Optimè igitur factu viſum eſt, quamplurima eiuſdem ſpeciei in idem miſcere, quo nulli corporis naturæ deeſſet, quod conueniat. Sic multa Sarcotica conſarcinant ad carnem vbicumque gignendam: multa diuretica ad mouendam vrinam: multa ſoporifera ad ſomnum con-

ciliandum,& in alijs eodem modo. Quam ſententiam ea ratione im- D probat, quam ſuperius poſui. Nam aut non ſeruatur vniuſcuiuſque actio,cum ſit mixtio,vnde neque compoſitum cōueniet, cui ſimplex conueniebat. Totum enim vnica tantum ratione agit diuerſa à ſingulis ſimplicibus. Aut non peracta mixtione ſed compoſitione tantum, ſingulorum erit actio, vnde læſio multa ſequetur: vnum enim tantum aut nec vnum corpori proderit,reliqua autē oberunt. Quamuis autem hanc ſententiam improbauerit,ipſam tamen ſimilium compoſitionem non damnat,ſed tamquam antiquum inuentum probat: quaſi ipſius antiquitatis authoritati innitendum ſit, etiam ſi ratio diſſuadeat. Auerroes 5.Coll.57. ea tantum ratione ſimilia miſcenda eſſe putat,vt vnum alterum iuuet: nam ſi vnum craſſum fuerit,admiſcendum id quod tenuius eſt ad penetrationem præſtandam, aut aliquid huiuſmodi. Quod ſi hoc non accidat, nihil facere huiuſmodi miſcellam. Quidam plura & ſimilia miſcent, vbi pluribus & inter ſe ſimilibus affectibus ſuccurrere cupiunt, vt cum laborantibus obſtructione E Hepatis & Lienis Eupatorium & Aſplenium miſcent. Sed antequam hanc poſtremam ſententiam perpendamus, videamus rationem: cur diſsimilia non autem contraria miſceamus,vt aſtringentia cum abſtergentibus: refrigerantia cum exſiccantibus: repellentia cum digerentibus,& alia huiuſmodi. Certè alia nulla videtur eſſe cauſa,niſi ea quę proximè dicta eſt,ſcilicet vt pluribus affectibus ſimul ſuccurramus: vt in inflammationum augmento ad humores influentes repellentia, ad impactos digerentia componimus: & obſtructiones Hepatis deobſtruentia cum aſtringentibus roborantibus. Si igitur ſimiles fuerint affectus, ſimilia videntur expoſcere remedia: ſi diſsimiles diſsimilia: ſi contrarij, etiam contraria: ſeu plures morbi, ſeu plures cauſæ, ſeu ſymptomata affuerint, quæ ſigillatim remedia expoſcant: vnde compoſitio tum ſimilium, tum diſsimilium, aut contrariorum neceſſaria F eſſe videtur. Hæc ratio ſatis belle ſatisfacere videtur dubitationi de medicamentorum compoſitione. Patitur tamen & hæc difficultates non modicas. Nam ſi ex pluribus mixtio facta eſt,quo pacto actio ſingulorum erit? Quod ſi hoc non ſit, quo pacto pluribus affectibus ſuccurretur? Vnum enim medicamentum & ſimilare redditum ex mixtione, non poteſt pluribus affectibus diſsimilibus, aut contrarijs ſuccurrere: nec ſimilibus,ſi ſingulorū propria fuerint remedia: quod ſi non propria,fruſtra eſt miſcella, idem enim ſimplicia ſingula præſtabunt,quod totum. Si vero compoſitio tantum fuerit, non mixtio, vt ſingulorum ſit actio, non totius: oritur occaſio deridendi, quam affert Galenus 1. Catage.cap.1. apud eos qui compoſitionem detrectabant,quaſi præſes quidam eis imperet,tu ad Hepatis portas: tu ad veſicam, vel renes duos proficiſcere. Præterea qui fieri poteſt, vt quod

in com-

A in compoſitione ineſt calefactiuum, quodcumque tetigerit in corpore, non calefaciat? & frigefactiuum non refrigeret? inciſiuum non ſecet, aſtringens non aſtringat, & de cæteris eodem modo? Cum igitur medicamenta aſſumpta omnia in ventriculum excipiantur, deinde per venas in reliquas partes ferantur, calefient aut refrigerabuntur & ſecundum cæteras qualitates alterabuntur, quæ non egent tali alteratione, aut forte, quæ contrariam alterationem requirunt. Adde perturbationem, quam ex inæquali actione fieri neceſſe eſt, cuiuſmodi accidit lenti & Braſsicæ ob contrarias facultates nempe deiectoriam calidam, & aſtrictoriam frigidam. Negabimus ergo omnino compoſitionem vtilem eſſe ad affectuum multitudinem excogitatam? An in quibuſdam probanda eſt, in quibuſdam autem inutilis, aut etiam noxia eſt cenſenda? Vbi enim actiones plures ſe ſe non impediant, vt incidere ſimul & abſtergere: mouere vrinam & obſtructionem ab aliqua B parte auferre: potius enim vnum alterum iuuat, quam impediat: non enim ſunt contraria. Vel ſi contraria ſint, non in eodem tempore agant, ſed ceſſante vno alterum ſequatur, vt aſtringentia cum attenuantibus: prius enim peragitur attenuatio, deinde ſequitur aſtrictio. Sic in alui fluxu aliquando cum purgantibus miſcemus aſtringentia, vt poſt purgationem ſequatur aſtrictio: nam quæ tenuiora ſunt citius opus peragunt. Vel vbi diuerſos humores aut partes reſpiciant, vt cũ purgantia pituitam coniungimus cum trahentibus bilem aut Hepatica cũ cordialibus aut cephalicis & ſimilibus alijs. In his omnibus miſcellam ſeu ſimilium, ſeu diſsimilium, aut contrariorum commodam eſſe cenſemus. Vbi autem hæc non adſint, ſed vnum alteri ſit impedimento: vt cum attrahere ſimul & repellere conamur: aut defluxũ humorum ſiſtere ſimul & attenuare ac vias aperire tentamus: aut concoquere & mouere: euacuare ac replere: mixtiones has omnino inu- C tiles aut etiam noxias iudicamus, quamquam vtriſque forte affectus indigeant. In his enim alternatim agendum, modo vni modo alteri ſuccurrendo, vt præcipit Galenus 9. Meth. 10. vbi pugnant indicationes, vt ſi purgare oporteat, ſimul & vires reficere, per Epicraſim agendum quod eſt paulatim quod vitioſum eſt, vacuare, & paulatim inuicem quod ſalubre eſt, pro eo reponere. Concludimus igitur, vbi plures ſint affectus curandi, quorum propria remedia ſe ſe non impediant, quo minus ſimul adhibeantur, hanc vnam ex cauſis eſſe, cur medicamenta componimus ſeu ſimilia, ſeu diſsimilia, ſeu etiã contraria. Sed in his compoſitionem quærimus non mixtionem, vt componentium ratione potius quam totius medicamentum agere poſsit: nec tamen perturbatio oritur, ſi ea ſeruentur, quæ diximus. Nec præſide aliquo imperante egent, vt ad diuerſas partes tendant, inſunt enim ſimplicibus facultates, quæ ob familiaritatem diuerſos humores aut partes reſpiciant.

ſpiciant. Fieri tamen poſſe credendum eſt, vt etiam mixtum ratione D componentiũ agat eas operationes, quæ non ratione primarũ qualitatum, ſed ſecundarum & ſequentium, & quæ à tota ſubſtantia dicuntur, fiunt. Cum enim in mixtione non corrumpantur miſcibilia, ſed alterentur tantum, multas facultates eorũ ſeruari credendum eſt, quæ permanent integra, cũ præſertim ars non perfectè miſceat, vt natura. Sic theriacæ compoſitio extat remedium ad omnia venena, quia in ea aceruata ſunt omnia, quæ ad ſingula faciunt. Huiuſmodi ſunt & alia antidota à Græcis Polychreſta appellata, quia ad diuerſos vſus accommodantur propter multorũ ſimplicium receptionem. Teſtatur quoque Hipp. in lib. de Vet. med. Quæ in homine praua adſunt, quanto pluribus miſcentur, tanto mitiora ac meliora fieri. Multitudo igitur medicamentorum potentior eſt ad humores prauos corrigendos, & venena, quàm vnum ſolum.

E

C A P. IIII.

VNA igitur cauſa, & ratio componendi medicamenta hæc eſt, vt efficacius agant: Altera, vt pluribus affectibus ſuccurrant, vt prædictum eſt: in quibus mixtio ſufficit ſecundum primas qualitates, ne interim partes ſanas offendant: ſecundum reliquas autem melius eſt vires integras remanere. Sed & alia eſt, ac præcipua componendi ratio, quam docet Galenus. 3. Meth. 2. & in libro de Theriaca ad Piſonem: ſolam rationabilem, & artificioſam eſſe. Conſiſtit autem in contrariorum mixtione, vt ex ijs medium fiat, quod affectui, & naturæ cuique proprium ſit remedium: vt ſi ęruginem nimis exſiccantem quam oportet, ceræ & oleo humidioribus quam decet, miſceamus, fiet medicamẽtum moderatè exſiccans pro cauis carne replendis: quod per ſe nullum dictorum præſtare poteſt: F vt verò plus, aut minus de ęrugine admiſcuerimus, cuique naturæ tũ molliori, tum duriori fiet cõmodum. Quæ igitur nimis intenſa ſunt qualitatibus, remittenda aliorum mixtura, acria hebetando, imbecillia acuendo, & alia huiuſmodi faciendo, & variando pro cuiuſque ſimplicis medicamenti vitio, & hominũ temperie. Vbi ergo ſimplex medicamentum habemus, quod totum præſtet, fruſtra componimus plura. Vbi verò aliquod vitium fuerit, hic neceſſaria compoſitio, aut præparatio, per quam commodum, & ſine noxa fiat medicamentum. Aliquãdo autem ſola præparatio ſufficit abſque alterius admixtione, vt in pluribus metallicis fit, quæ aut vſtione, aut lotione, aut alijs huiuſmodi indigent. Aliquando verò admiſcenda ſunt aliqua, quorum mixtura vitia corrigantur, & vnicuique naturæ commoda fiant. Sed de præparatione quidem ſimpliciũ inferius dicemus. De mixtione

A ne autem contrariorum ad vitia corrigenda, in quibus fiat,& propter quid, nunc explicemus. Hinc enim maximè patefiet neceſsitas componendi, quam antea quærebamus. De hac re diligentiſsimè egit Meſues in libro, quem inſcripſit de Conſolatione Medicinarum, at ſolum de medicamentis purgantibus locutus eſt. Nos in vniuerſum quam fieri poteſt breuiſsimè hæc perſequemur. Inuenio ſex numero eſſe ad ſummum, quæ in medicamentis corrigenda occurrunt: quorum primum in exceſſu virtutis conſiſtit, cui reſiſtimus per admixtionem eius, quod habeat contrariam facultatem: vt ęrugini oleum, & cæram adiungimus, Scamonio ſuccũ cydoniorum, opio caſtoreum, & his ſimilia, qua mixtione reducimus medicamẽtum ad tantam virtutem, quanta indigemus. Secundo loco eſt eiuſdem imbecillitas, quæ auctionẽ virtutis requirit: fit autem per ea, quæ valentiora ſunt: vt in emplaſtrum barbarũ ſquamma ęris admixta exſiccantius reddit.
B Non tamen vbique ex eodem genere ſumuntur, quæ vires medicamenti adaugeant: nam debiliter purgantia non ſolum per valentiora purgantia acuuntur, ſed & alijs: vt Agaricus, & turbit per zinziber: aloes per cinnamomum: Manna cum ſemine ameos, aut cardamomi: Hermodactylus cum ſucco raphani, aut ſcillæ: cum his enim & citius & valentius humores trahunt. Cuius rationem tetigit Meſues, quia non omnia cum omnibus conueniunt, affinitatem enim quandam requiri inter ea. Adde quod ea quæ id præſtant, plurima acria ſunt, & tenuium partium, quorum opera præſtatur medicamentis penetratio, & caliditas, vnde virtus trahendi augetur. Tertio in quibuſdam medicamentis inſunt vires maleficæ, ac venenoſæ, modo vni membro, aut omnibus noxiæ, quos delere neceſſe eſt, ſi vtilitatem ex ijs quærimus: Ijs opponenda cõtraria ſecundum noxarum differentias, vt uenenis antidota: ſcamonio ob nimiam acredinem excorianti pſylC lij mucillago: ne principalia membra offendant, aromatica & modicè aſtringentia. Quarto cũ pleraque medicamenta ingrata ſint, quo minus natura illa abhorreat, alterare oportet ijs, quæ grata ſunt; quomodo ſcamonium in carne citoniorum occultatur, aut ſaccharo roſacco, vt guſtus inſuauitatem nõ agnoſcat. Sic electuaria ſaccharo, aut melle conficiuntur: & in theriaca vinum dulce additur. primo de Antid.5. Similis ratio eſt in coloribus, qui aliquando quæruntur, vt viſui placeant: vt in emplaſtris albis oleum recens, aut ceruſſa. 1. Catage.12. Eadem ratione odores quoque miſcentur propter diuites, & delicatos: vt pompholigi in neruis vulneratis, & diſcerptis miſcemus ſpicata vnguenta. 3. Catag.8. Huiuſmodi igitur, atque alia ad gratiam miſceri ſolent. Quinto multis medicamentis accidit, vt licet vires habeant, quas quærimus, & innoxia ſint, inepta tamen ad vſum reperiantur: nec adminiſtrari poſsint, niſi quædam adiungantur. Nam ſi

hærere

hærere partibus externis oporteat, glutinoſa admiſcenda ſunt, vt cæra, oleum, reſinæ, lithargyrius, farinæ: ad emplaſtra, aut cataplaſmata: ad potiones autem, aut infuſiones per clyſterem, aut in vlcera ſinuoſa, neceſſaria ſunt liquida. Ad hoc caput reduci poſſunt, quæ vehiculum præſtant medicamentis, vt in profundum penetrent, & ad certas partes ferantur: vt acetũ facit in oxyrhodino: vinum album ad terram Armeniam in venas ducendam: & quæ renes petunt, ad medicamenta eo ducenda. Contra ijs, quæ in tranſitu hærere cupimus, nec vlterius penetrare: miſcemus lenta, vt in affectibus gulæ, gummi, & tragacantham. His igitur adminiculis medicamenta apta redduntur, vt ritè vbi oportet, adminiſtrari poſsint. Vltimo cum ſæpe contingat, medicamenta per ſe diutius conſeruari non poſſe, cum facilè putreſcant, nec detur copia eorum in quolibet tempore: ars ingenioſa diuerſos conſeruandi modos adinuenit, quorũ vnus eſt per admixtionem rerum minimè putreſcentium, vt eſt acetum, ſal, mel, E ſaccharum: quibus medicamenta conduntur, ac præſeruantur: quomodo parantur condita, quas noſtri conſeruas appellant: electuaria, & ſyrupi. Alij verò ſunt modi per præparationes quaſdam, quas ſuo loco explicabimus. Hæc igitur ſunt, quæ in medicamentis ſimplicibus occurrunt corrigenda, quorum gratia compoſitio neceſſaria eſt ex contrarijs quoquo modo, vt ex dictis colligere licet. Appellant autem recentiores radicem, ſeu baſim compoſiti medicamenti, ſimplex illud, cuius vitia corrigimus, vt in hiera eſt aloes: reliqua autẽ, quæ in mixtionem veniunt baſim corrigentia. Et baſis in quibuſdam vnica eſt, cum vnicum effectum quærimus: In quibuſdam duæ aut tres, aut plures, vbi plura ſimul facere volumus: vt in benedicta pro baſi ſunt plura medicamenta purgantia, turbit, eſula, & ſcamonium, vt plures humores trahat. In theriaca carnes viperæ, & alia multa alexipharmaca, vt pluribus generibus venenorum ſuccurreret. Quæ autem baſim corrigunt itidem nunc plura, nunc pauciora ſatisfaciunt. F Euenit enim aliquando vt vnum plura vitia corrigat. Fit etiam, vt aliquod ex corrigentibus incommodum aliquod præſtet compoſito, vt in barbaro cæræ, & olei admixtio vim bituminis debilitauit, ideo opus fuit vires reſtituere adiectione ſquãmæ: ſed hæc in particularibus diligentius quærenda ſunt apud Galenum in libris de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & ſecundum genera, ſed nobis ſatis eſt typo hæc in vniuerſum collegiſſe, vt hinc componendi neceſsitas pateret. Duæ igitur ex dictis colliguntur componendi rationes, vna quæ artificio carere videtur, & fit tũ ex ſimilibus, vt vnum alterum adiuuet, ſic enim efficacius agunt: tum ex diſsimilibus, tum etiam ex contrarijs, vt pluribus affectibus ſimul ſuccurratur. Altera artificioſa, quæ ex contrarijs perficitur, vt medicamentorũ vitia corrigantur.

D

A rigantur. Ex quibus etiam patent dubitationem ſuperius allatarum ſolutiones. Nam & ſi mixtio ſimplicia alteret à natura ſua, vt quæ commoda ſunt incommoda reddat, non tamen ob id tollitur, quo minus incommoda per contrariorum mixtionem reddantur vtilia. Quod ſi etiam ex mixtione aliquid de bonitate deperdatur, non deeſt modus reſtituendi compoſito integras vires, vt patuit. Præterea in compoſitis non ſemper mixtionem expectamus, cum ſingulorum actiones cupimus diſtinctas: & ex mixtione non omnes ſimplicium proprietates delentur, ſed multæ adhuc illæſæ permanent, quia non corrumpitur miſcibilium ſubſtantia. Quod vero dicebatur, non eſſe neceſſariam compoſitionem, vbi ſimplicia ad quemcumque affectum ſuppetant: innumeras enim eſſe ſimplicium ſpecies & differentias, vel longè plures, quàm in morbis notare poſſimus, & viribus quomodocumque præditas. Reſpondemus B cum non omnia omnibus in locis oriantur, aut in toto anni tempore non quælibet haberi poſsint, aut denique non ſemper ad manus in quacumque occaſione ſuppetant: coacti fuerunt Medici ijs quæ haberi poſſunt, vti: in quibus cum ſæpè aliquid deſideretur eorum quæ diximus, neceſſe fuit id per compoſitionem reſtituere, aut quomodocumque corrigere. Præterea in infinita propemodum ſimplicium multitudine, multorum ignorari proprietates, & virium efficacias neceſſe eſt. Ideo in locum eorum alia medicamenta parare oportuit, per mixtionem cuique affectui ac naturæ accommodata. Sed hæc ſatis dicta ſint ad quæſtionem propoſitam de vtilitate ac neceſsitate compoſitionis: iam reliqua perſequamur: ac primum rationes cognoſcendi facultates compoſiti medicamenti: deinde vires, quas ex diuerſa præparatione ſimplicia acquirunt. Quibus peractis tota noſtra tractatio abſoluta erit.

C

CAP. V.

VT igitur primam partem aggrediamur: Cum plures ſint medicamentorum facultates, nempè aliæ in primis qualitatibus, aliæ in ſecundis, tertijs & cæteris, vt ſuperius explicatum eſt. Hic clarioris doctrinæ gratia de primarum tantum commixtione agemus: eadem enim eſt ratio in commixtione ſaporum & reliquarum contrarietatum, quæ per commixtionem refrangi poſſunt. Vt igitur rectè componamus, & ſcopum, quem intendimus in compoſitione, attingamus, neceſſe eſt ex quorumcumque miſcella, quod temperamentum futurum ſit, inueſtigare: qua ratione & ipſi noua componere, & quæ ab alijs compoſita ſunt, rectè iudicare pote-

poterimus,& ad vſus recipere. Sed hæc exactè cognoſcere fortè impoſsibile fuerit. Nam neque ſimplicium habemus exactum temperamenti gradum: præterea alterationes quæ inuicem fiunt, & mutuos affectus agendi ac patiendi in multis ignoramus: Quædã enim agunt tantum nec patiuntur aut vix, vt venena: nam ſunt inter ea, quæ quomodocumque miſceas, ad benignitatem numquam reducas. Quędam contra facilè patiuntur, nec reagunt, aut vix, vt aqua ſimplex. Propter hæc igitur difficilè eſt exactum inuenire cuiuſcumque miſcellæ temperamentum. Quoniam pro diuerſis miſcibilium temperamentis & varia eorundem refractione, varia compoſitorum temperamenta oriri eſt neceſſe. Nihilominus ſi non attingere, ſaltem collimare bonum fuerit. Hinc enim multa huic ſcientiæ futura eſt acceſsio. Diſputatũ eſt autem de hac parte Medicinæ ab Auerroe in Collectaneis, & ante ipſum ab Achindo Arabe: ſed poſt illos diligentiſsimè ac fortè ſubtilius quam oportet à recentioribus, qui calculo numerorum hęc examinant. Sed faſtidientibus calculorum ſupputationibus hodie à pleriſque ſpreta eſt hęc Medicinę pars admodum neceſſaria. Nos igitur pro viribus eam ex difficillimis ſupputationibus eruemus, & ad Galeni ſententiam enodabimus, vt clara nudaque veritas vnicuique pateat. Sciendum ergo primum eſt, in contrariorum mixtione refractione vtriuſque contrarij fieri, donec vnum quid ex ambobus fiat medium inter ea: ſed hoc medium non ſemper idem produci, variari enim ſecundum contrariorum inter ſe proportionem. Nam ſi æqualia fuerint, æqualis refractio oritur, vnde ad medium, quod ab vtriſque extremis æqualiter diſtat, peruenire neceſſe eſt: hoc autem temperatum appellatur. Si vero vnum alteri dominetur, refractio fiet inæqualis: ideo tantum ab hoc medio verſus id quod prædominatur, diſcedere eſt neceſſe, quantum prædominantis actio maior fuerit. Cum autem duplex ſit vniuſcuiuſque exceſſus, vnus ſecundum virtutem, alter ſecundum quantitatem: appello ſecundum virtutem, qui fit ſecundum qualitatis augmentum, calidum enim & frigidum magis & minus dicuntur ſecundum intenſionem & remiſsionem. Secundum quantitatem vero, ſi corpus tantummodo augeatur, non gradus qualitatis. Ideo neceſſe eſt, vt prius utramque auctionem ac decrementum quo pacto conſiderentur, declaremus: ex eorum enim uariatione refractio contrariorum uariatur, & compoſiti temperamentum. Prius autem de qualitatis augmento dicamus, ſupponentes non ſecundum ſe maiorem ac minorem dici, paſsio enim hæc quanti eſt, ut albedo tanta eſt, quanta eſt ſuperficies: ipſa autem ſecundum ſe indiuiſibilis eſt, ut forma. Augmentatio igitur hæc & diminutio

D

E

F

A minutio pertinet ad quantitatem materiæ. Sed & alia ratione magis & minus in ipſis dicitur, idque non in ſimplicibus elementis, ſed in mixtis tantum, fit enim per admixtionem contrarij, vt 5. Phyſ. 19. tradit Ariſtoteles. Magis enim calidum eſt quod minus habet de frigido, & è conuerſo. Hoc inquam ſimplicibus non accidit, quia nullam habent admixtionem: ſed tantum calidiora vel frigidiora ſecundum quantitatem materiæ dicuntur: ideo & mixta ex ijs non alia ratione variantur, quam ſecundum ſimplicium quantitatem. Quæ verò ex mixtis componuntur, vt medicamenta ex plantis, non ſolum ex componentium quantitate variantur, ſed etiam ex vario eorundem gradu. Quamuis autem in infinitum fermè gradus variari poſsint, latitudo enim intenſionis & remiſsionis diuidi in infinitum poteſt: placuit tamen Medicis totam latitudinem vſque ad ſummum quatuor gradibus includere tam caliditatis quam frigidi-
B tatis: tot enim notantur ſenſibiles differentiæ in earum operationibus circa humanum corpus. Primus enim gradus tanquam minimus intelligitur, per quem aliqua quidem alteratio in corpore fit, ſed tamen obſcura. Secundus, per quem manifeſta eſt, non tamen offendens tactum. Tertius, vbi iam aliqua læſio ſentitur, non tamen corruptio. Quartus & vltimus, per quem corruptio particulæ infertur, cui applicatur. Hos gradus & in calidis & in frigidis, & humidis & ſiccis animaduerterunt, licet in humidis minus ob actionis imbecillitatem. Eaſdem differentias proportione etiam in ſecundis qualitatibus & cæteris reperire licet, in aſtringentibus, aperientibus, purgantibus & reliquis: nam aut obſcurè aut manifeſtè agunt, aut vehementer, aut in extremo: His enim verbis Galenus & Dioſcorides gradus connotare ſolent medicamentorum. Quod ſi quæ fuerint, quæ in corpus humanum nullam ex his quatuor actionibus pa-
C riant, exactè media inter contraria ſtatuerunt appellantes temperata, cum enim neutrius contrarij actio apparet, æqualia ea eſſe neceſſe eſt, actio enim à prædominante fit. Duo autem contraria in eodem prædominari nequeunt, vnde nec agere. Primum igitur & minimum prædominium in primo gradu eſt, ſecundum in ſecundo, tertium in tertio, quartum & maximum in quarto. In medio autem vtraque contraria æqualia: in oppoſitis gradibus ſubiectio & ſeruitus oppoſiti contrarij dicitur, quia alterum dominatur. Qualitas autem ſubiecta remittit oppoſitam dominantem magis & minus: cum enim in temperato æqualiter refrangantur, in primo gradu ſubiecta qualitas dominantem minus remittit quam in temperato: præterea minus in ſecundo adhuc minus in tertio: minimè autem in quarto: ſumma enim eſt in eo qualitas abſque admixtione contrarij.

Adeo

Adeo vt ex vtroque contrario ſecundum intenſionem & remiſsionem vna latitudo conſtituatur in octo partes diuiſa quatuor caliditatis gradus & totidem frigiditatis efficientes, in quorum medio indiuiſibili temperatum eſt, hoc modo. D



patet igitur maximam caliditatem minimæ parti frigiditatis admixtam iuxta vnum extremum latitudinis eſſe: minimam vero maximæ frigiditati admixtam iuxta alterum extremum, in quibus quartus gradus vtriuſque ponitur, in ipſis vero extremis qualitates ſine ad mixtione contrarij eſſe, cum indiuiſibiles ſint, & nullam habeant latitudinem, ideo in ſummo. In intermedia autem latitudine variam vbique proportionem eſſe caliditatis & frigiditatis, vnde gradus prædicti oriūtur, qui etiam latitudinē habent. Appellant autem Medici principiū medium & finē cuiuſque gradus triplici hac ſectione contenti, nam ſi in minores ſecentur, omnino inſenſibiles redduntur. E

CAP. VI.

QVAE autem proportio oppoſitarum qualitatum in ſingulis gradibus & ſingulorū graduum inter ſe ſtatuenda ſit, non conuenit inter omnes. Hac tamen ignorata neceſſe eſt compoſiti temperamentū ignorari, cum ex componentium certa proportione oriatur, vt enim magis aut minus vna qualitas alteri dominatur varium oritur temperamentum. In hac re extat antiqua opinio Achindi, quam ſequitur Arnaldus Villanouenſis inter recentiores, quamuis ab Auerroe damnetur. Volunt hi duplam eſſe proportionem inter inferiorem gradum & proximè ſuperiorem, vt ſi in temperato vna portio caliditatis ineſt, in primo gradu duæ ponantur: in ſecundo quatuor: in tertio octo: in quarto ſexdecim. Hoc modo vſque ad hunc numerum multiplicant omnes qualitates. Quod autē ſemper eadem proportione creſcant gradus ſcilicet dupla, inter F

alias

A alias rationes inanes ex numerorũ ſcientia non ex natura ductas, hanc magis naturalem ponunt: quia ſimiliter inſpiciatur ineſſe in ſingulorum graduum operationibus, vnde eorũ diſtinctio ſumpta eſt. Eadem enim videtur eſſe proportio operationis primi gradus ad operationẽ ſecũdi, & huius ad tertij, & tertij ad quarti operationẽ ideo & gradus qualitatum ſimiliter proportionari neceſſe eſt. Nituntur autẽ eandem proportionem operationum ſic oſtendere. Operatio enim primi gradus eſt occulta alteratio membri, tertij autẽ occulta corruptio: ſic operatio ſecundi eſt manifeſta alteratio, quarti autẽ manifeſta corruptio. Eadem igitur proportio eſt inter primum & tertium, quæ inter ſecundum & quartum, ſed maior quã dupla. Sic commutata proportione primus ſe habet ad ſecundum, & tertius ad quartũ: vna enim eſt manifeſta alteratio aut corruptio, altera occulta. Eſſe autem duplam hãc, per ſimilitudinem probant in multis. Inquiunt enim prima augmẽta

B in omnibus ſenſibilibus fieri per duplum, & adducunt Galeni experimentum, qui cum æquales aquæ frigidæ & calidæ portiones miſcuiſſet, & temperatas reddidiſſet: inquit non efficere ſenſibilem operationem ſecundum alteram qualitatem, niſi illa ad minus dupletur. Quod ſi in primis id fiat, ergo & in reliquis immediatè ſequentibus fieri putant, cũ eandem ſeruent proportionem. Hanc ſententiam Auerroes multis rationibus impugnat, quas nos vltro omittimus: acriter enim eas refellit Arnaldus. Sed nos contra eandem hanc addimus. Si omnis intenſio & remiſsio eſt propter admixtionem contrarij, vt ſuperius ex Ariſtotele ſuppoſuimus, neceſſe eſt, vt quantum de contraria qualitate auferimus, tantum altera intendatur, & quantum vna intenditur, tantum altera remittatur, magis enim calidum eſt, quod minus habet de frigido, & è conuerſo: alioqui aliqua eſſet intenſio & remiſsio ſine contrarij additione aut ablatione. Addatur enim plus caliditati quam

C dematur de frigiditate: magis ergo calidum & minus calidum cum ęquali frigiditate manebunt: intenſio ergo erit ſine contrarij remiſsione. Idem abſurdum continget, ſi plus dematur de frigiditate quã addatur caliditati: erit enim aliqua remiſsio ſine contrarij additione, ea ſcilicet, qua demptio ſuperat auctionem. Si ergo temperati caliditas quæ ſupponitur eſſe æqualis frigiditati, dupletur vt volunt ad primũ gradum cõſtituendum, frigiditas nulla relinquetur: tantundem enim auferre de frigiditate oportet, quantũ caliditatis addimus. Sic primus gradus in ſummo fuerit ſine contrarij admixtione, & auferẽtur ex rerũ natura cæteri gradus: quæ maximè abſurda ſunt. De proportione autem oppoſitarum qualitatum in ſingulis gradibus ijdem volunt: in temperato quidem æqualem eſſe: in primo gradu duplam, vt vna ſit portio frigiditatis, duæ caliditatis: in ſecundo quadruplam, vnam ſcilicet frigiditatis, quatuor caliditatis: in tertio octuplam: in quarto ſex-

decuplam eadem ratione. Quaſi eadem proportio quæ eſt ſingulorũ D
graduum cum temperato, ſit etiam qualitatis excedentis cũ oppoſita. Sed & hoc contra illud principium pugnat, quod mox diximus de intenſione, & remiſsione. Fiet enim, vt eadem portio frigiditatis ſit in temperato, & in primo gradu caliditatis, & reliquis: ſic intendentur ſine contrarij remiſsione. Exemplum autem Galeni propoſitum de miſcella aquæ frigidæ cũ calida: non fieri ſenſibilẽ mutationem, niſi ad minus dupletur altera, conceditur quidem in auctione ſecundum quantitatẽ: at hic ſupponimus manente eadem quantitate auctionem fieri ſecundum gradum. Irrationabilem igitur iſtorum opinionẽ relinquamus. Altera eſt quorundam opinio. Quod non vbique ſit eadem proportio, ſed alia ſemper atque alia, eaq; incerta & nobis incognita. Quamuis enim ſciamus ſecundum gradum manifeſtè alterare poſſe, tamen quantũ in eo inſit calidi, quantum frigidi, ignorari: quia & elementorum proportiones in mixtis ignoramus. Sic igitur hanc contem E
plationem derelinquunt, eos irridentes, qui in rebus difficillimis & inanibus ſine vlla vtilitate verſantur, ſtudentes ſua figmenta & numeros conceptos rebus naturalibus accõmodare. Sed hi partim quidem bene ſentiunt, partim male. Nam quod proportiones eorum, quæ continuè intenduntur & remittuntur, ſemper diuerſæ ſint, neceſſariũ eſt: Quod enim ab æqualium proportione diſcedit, quæ eſt temperati, variam in diuerſa diſtantia habere proportionem componentium eſt neceſſe, vna qualitate ſemper aucta, altera æquè diminuta. Quod vero incerta ſingulorum graduum proportio nobis ſit, quia elementorum proportio in mixtis ſimiliter abdita exiſtat, non omnino verum eſt. Non enim quærimus hæc ſimpliciter vt in natura ſua exiſtunt, ſed vt ad corpus humanum referuntur. Cum igitur alteratio quę à medicamentis in eo fit, menſurari poſsit ſecundum prædictos gradus: etiam excedens qualitas, vnde alteratio prouenit, eodem pacto menſurari F
poterit. Sic temperatum dicimus non ſimpliciter, ſed quod nullam infert impreſsionem ſenſibilem: reſpectu enim corporis humani temperatum eſt: ad quod reliqua comparantes pro maiori aut minori diſtantia ex alteratione cognita, menſuramus ſingulos gradus. Quod ſi incerta eſſet, vt illi inquiunt, ſenſibilis diſtantiæ menſura: vana eſſet medicamentorum compoſitio ratione inuenta: incertũ enim eſſet quid ex miſcibilibus reſultaret, ſed fortuito aliquando propoſitum attingeremus, non ratione. At ſi certa eſt componendi ratio, quam docuit Galenus, & nos ſuperius tetigimus: certam quoque eſſe graduũ menſuram & proportionem, neceſſe eſt: qua ignorata & compoſitio ignoretur. Inueſtigemus igitur quæ nam hæc ſit, poſtquam ea, quam prædiximus non ſatisfacit.

A

CAP. VII.

EXTAT autem Auerrois ſententia 5. Coll. 58. qui vult additiones fieri ſemper æqualibus portionibus hoc modo, vt primus gradus fiat per additionem vnius partis ſupra temperatum: ſecundus addita altera æquali ſupra primum, & ſic deinceps, vt primus temperatum ſuperet per vnam portionem, ſecundus per duas, tertius per tres, quartus per quatuor. Vnicam autem portionem eſſe vult in temperato: ideo primum gradum duplum ponit ad temperatum: ſecundum vero triplum, & deinceps. Verum & hæc in idem incommodum incidit, vt ſuperior. Cogitur enim fateri intenſionem fieri ſine contrarij diminutione, quatenus primum gradum duplum ponit ad temperatum, nec minuit oppoſitam qualitatem in auctione cu-
B iuſcunque gradus, ſicut prior ſententia. Quatenus verò per additionẽ vnius portionis æqualis vult fieri, rationi conſentaneum eſt. Si enim in omni genere menſura vna eſt & ſimpliciſsima, qua reliqua menſuramus: ſic & in alteratione vnum quid eſſe oportet minimum ſenſibile tamen, vt in ponderibus facimus. Portio igitur alterationis ſenſibilis & minima cùm ſtatuatur in primo gradu, per receſſum à temperato, menſura erit aliorum ſimpliciſsima: cui ſi altera æqualis addatur, ſenſibilis mutatio facta erit, ideo ſecundus gradus erit conſtitutus: à quo tertia ſenſibilis mutatio facta per eiuſdem menſuræ additionẽ, tertium gradum conſtituet: tandem quarta menſura addita quartus gradus cõflabitur ex quatuor menſuris conſtans additis ſupra temperatum. Quæ autem portio in temperato ſit, vtrũ vna, vt videtur ſenſiſſe Auerroes, & Alchindus, an plures, hac ratione cognoſcetur: ſumpto principio ſæpius dicto, quod omnis intenſio & remiſsio ſit per admixtionẽ con-
C trarij, vt tantum de vna qualitate remittatur, quantũ de oppoſita additur, & è conuerſo. Fiat igitur mutatio de quarto gradu ad tertiũ, cuius mẽſura iã nota eſt, ſit enim per ablationẽ vnius primę menſurę, vt quatuor ad tres reducantur: neceſſe eſt igitur vt vna æqualis menſura de oppoſita qualitate oriatur, quæ non inerat in extremo quarti gradus. Sic cũ tertius ad ſecundum minuitur, altera æqualis de oppoſita additur. Iterũ cum ſecundus ad primum tranſit, tertia menſura de oppoſita accedit. Cum vero ex primo gradu ad temperatũ ſit tranſitus, quarta adiungitur de oppoſita. Quatuor igitur erunt in tẽperato menſuræ hoc modo genitæ ex mutatione quarti gradus per adiunctionẽ oppoſitæ qualitatis. Quod ſi æquales in temperato ſupponũtur qualitates, quatuor item erunt menſuræ oppoſitæ qualitatis. Quibus ſic demonſtratis patet, primũ gradum, cum fiat per vnius additionem ſupra temperatum, ex quinque menſuris vnius qualitatis conſtare, tribus autem

oppoſitæ, dempta vna ex temperato. Secundum ex ſex vnius, alterius D vero duabus. Tertium ex ſeptem vnius, vna autem alterius. Quartum ex octo vnius, nulla autẽ alterius, quia finis eſt latitudinis in octo partes æquales diuiſæ: vtriuſque contrarij numeris oppoſito modo auctis & imminutis, vt in deſcriptione latitudinis ſupra patuit. Manifeſta etiam eſt ſingulorum graduum proportio inter ſe: per vnitatem enim additam ac demptam inter ſe differunt: & ſingulorum notus eſt numerus componentium. Sed de augmento ac decremento qualitatum ſecundum intenſionem & remiſsionem hæc dicta ſint.

C A P. VIII.

NVNC de ijs, quæ ſecundum quantitatem ſunt, dicamus. Eſt autem & in his nõ modica difficultas: nec apud omnes de earum proportionibus conuenit. Nam dubitatur, ſi in maiori E quanto maior eſt virtus, in minori verò minor, diuiſibiles enim ſunt qualitates ad diuiſionem corporis: quo pacto idem gradus in maiori quanto ſeruabitur, qui in minori? Abſurdum enim videtur mutari vniuſcuiuſque temperamentũ proprium aucta quãtitate aut diminuta, vt in libra mellis aliud ſit temperamentũ quã in vncia. Prӕterea exceſſus tantus in quantitate fieri poſſet, vt totã latitudinem graduum, quã poſuimus, traſgrederetur: quę omnia impoſsibilia ſunt. Quod ſi in qualibet quantitate ſeruatur idẽ gradus medicamenti: cũ in mixtionem venerint duo contraria æqualia in gradu, ſemper videbitur oriri temperatũ, quomodocumque alterius quantitatẽ auxeris aut minueris: quod repugnat experientiæ: Diuerſa enim cõpoſiti temperamẽta oriuntur, pro diuerſa proportione quantitatũ ex Galeni exẽplo ſuperius dicto. Si ęqualem aquæ frigidę & calidę quantitatẽ miſcuerimus, temperatã fieri: ſi altera augeatur, diſcedere à temperato verſus prędo F minans. Quod & ratione oſtenditur. Si enim tanta quantitas aquę calidæ frigidam ducit ad temperatã, maior cum maiorẽ habeat virtutẽ, amplius calefaciet eandẽ quantitatẽ aquæ frigidæ, ergò calidiorẽ reddet. Neque ſufficit, ſi dicamus, maiorẽ virtutẽ in maiori quanto ex tenſiuè tantũ intelligi, quia poteſt latius extẽdi in corpus quod patitur, & hoc modo magis calefacere, quia ampliorẽ quantitatem calefaciat. At ſupponimus in eãdem quantitatẽ aquę frigidę agere maiorẽ & minorẽ calidę quantitatem. Si igitur nõ amplius eandem calefaciat, eadem virtus erit in maiori & minori quanto, quod pugnat aduerſus principium de qualitatis diuiſione ſecundũ quantum. Quidam reſpondẽt, per auctionem quantitatis alterius contrarij mutari temperamentum compoſiti: non quia maior quantitas magis agat in oppoſitam: ſed quia ab oppoſita qualitate minus deprimitur à ſuo gradu, quã minor,
magis

A magis enim reſiſtit corrumpenti maior quantitas quam minor. At ob ſolam reſiſtentiam variari temperamentum recedit à veritate. Si enim maior quantitas non magis agat, ſed ſolum magis reſiſtat: minor quantitas oppoſita idem patietur à maiori & minori, vnde ducetur ad idẽ temperamentum, quod implicat contradictionem. Igitur dicendum eſt cum determinata ſit vniuſcuiuſque potentia & ſecundum quale & ſecundum quantum, & reliqua prædicamenta, quam excedere impoſsibile eſt: fit vt vnumquodque vſque ad gradum proprium cætera alterare poſsit, non vlterius: excederet enim potentiam. Cum igitur Mel ponatur in ſecundo gradu calidum, quantumcumque eius ſumatur, aut alijs miſceatur, vltra ſecundum gradum per ſe calefacere nequit. Præterea vt virtus ſecundum gradus determinata eſt, ſic & ſecundum quantitatem: vniuſcuiuſque enim certa quantitas requiritur, vt præſtare poſsit opus ſecũdum proprium gradum, qua ſi minor B ſumatur, deficiet in ſua actione, ideo nõ poterit alterare vſque ad proprium gradum, ſed minus. Si verò augeatur, non vlteriorem gradum inducet, quia non poteſt: ſed in eodem ſtatu conſeruabit, ac ſi ſimile ſimili adueniat, non enim inter ſimilia datur actio, ſed inter contraria. Quamuis igitur in maiori quanto maior ſit virtus, ea tamen non excedit gradum proprium: ſed maior eius virtus oſtendetur, ſi ei applicetur maior quantitas corporis patientis, nam & illam conuertet in ſuã naturam, niſi adeo augeatur, vt ſuperet vires agentis. Vbi igitur quantitates miſcibilium æquales fuerint, neutra vincet, ſed æqualis vtriuſque actio vtrunque æqualiter ad medium ducet. Si vero inæquales, inæqualis actio verſus prædominans adducet ſecundum proportionem dominantis. Si multum augeatur alterius quantitas, aliquando nullus gradus ex intermedijs fiet, ſed conuerſio integra alterius in alterum, vt aquæ pauxillum in amphora vini.

C

CAP. IX.

SED in quantitatum comparatione difficultas contingit, vtrũ cuiuſque corporis quantitate æqualis virtus quoque ęqualis ſtatuenda ſit, an contingat in maiore corpore minorem virtutem eſſe, & in minori maiorem: quod quidem in diuerſis gradibus manifeſtum eſt: maior enim eſt virtus in vno grano piperis, quam in multo melle. Sed de virtute extenſiua, quæ corporis quantitatem ſequitur, incertum eſt. Viſum eſt enim Auerroi multum differre diuerſorum corporum virtutes etiam ſi in eodem gradu ponantur, eo argumento: quia nõ omnia æquali quantitate aſſumpta alterant ſecundum propriam naturam corpus humanum, ſed quorundam requiruntur maiora pondera, quorundam minora, non igitur æqualium cor-

porum æqualis eſt virtus. Idcirco inquit, Si vni vnciæ mellis iunga- D
mus vnciam vnam Sandalorum, vtriſque in ſecundo gradu melle ca-
lido, ſandalis frigidis; nequaquam fieri temperatum: ſed mixturam
vergere ad frigiditatem, quia maior eſt virtus in ſandalis quam in mel-
le. Vt igitur poſsint ad medium refrangi, oportere mellis quantitatẽ
augere aut ſandalos minuere quouſque virtus ęqualis reddatur vtriuſ-
que. Excogitauit autem menſuram, quam omnes poſtea acceperunt:
vt conſideretur quantitas cuiuſque medicamenti prima, quæ aſſum-
pta in corpus noſtrum qualitatem ſui gradus, qua ſi minor aſſumere-
tur, non vſque ad proprium gradum alteraret: & hanc quantitatem
Medici doſim appellant. Quia igitur inuenerunt experimento ſan-
dalorum doſim eſſe drachmas duas, mellis autem vncias duas: iudica
runt tantum poſſe duas drachmas ſandalorum, quantum duæ vnciæ
mellis, ſi inuicem miſceantur. Hoc modo in omnibus conſiderant do
ſes, quibus auctis aut diminutis ſecũdum variam proportionem, com- E
poſitorum temperamenta inueſtigant. Sed cum animaduertiſſent va-
riari doſes pro graduum differentia, & naturarum quibus applicãtur,
& locorum: item non eaſdem eſſe doſes medicamentorũ, & alimen-
torum. Tabellas quaſdam doſium deſcripſerunt: aſsignantes primo
gradui medicamentorum drachmas tres: ſecundo drachmas duas:
Tertio drachmam vnam & ſemis: quarto drachmam vnam. Has au-
tem eſſe proprias doſes in naturis & regionibus temperatis. At in in-
temperatis variari: Siquidem in contrarijs, augendam eſſe doſim: in
ſimilibus minuendam. Nam in frigidioribus naturis & regionibus
calidorum doſes maiores eſſe: Drachma enim vna zinziberis à ſepten
trionalibus aſſumpta etiam ieiuno ventriculo nõ lædit, in regionibus
autem meridionalibus vel dimidia drachma lædit manifeſte. Contra
autem frigidorum doſes in regionibus calidis augeri oportere, in frigi
dis autem minui. Opij enim drachma vna in regione frigida interfi- F
cit: apud africanos autem ſumuntur duæ drachmæ ſine noxa: Doſes
igitur ſecundum gradus hoc modo variant: Temperatis nullam do-
ſim tribuentes, quia non alterant corpus. Quem præterea numerum
drachmarũ in medicamentis ſtatuerunt, in alimentis ad vncias tranſ-
ferunt. Cæterum ex hac tam varia doſium poſitione, valde ambigua
& perplexa redditur componendi ratio. Difficile enim eſt certam v-
niuſcuiuſque doſim callere, in qua volunt æquari virtutes: ignorata
autem proportione æquali impoſsibile eſt reliquas inuenire. Sed &
ſi demus notas eſſe medicamentorum doſes, quibus primo alterant
corpus humanum ſecundum eorum temperamentum, non tamen in
compoſitione putandum eſt ſimiliter inuicem agere: In corpus enim
agunt, quia reducuntur ad actum à calido innato: at inuicem non
poſſunt hoc modo agere: immo plurima manent ſimul inalterata:

A præcipuè ſicca, vt pulueres: retinent enim ſingulorum corpuſcula terminum proprium. Ideo mixta artificialia raro formam vnam acquirunt propriè, licet ad ſenſum mixta videantur. Præterea in corpore alia facilius alia difficilius tranſmutantur: nam alimenta facillimè: medicamenta ex plantis & animalibus difficilius, adhuc difficilius metallica: vnde alimentorum doſes longè maiores ſunt: Medicamentorum minores, & aſsiduè minores quo magis ad extremum accedunt: Metallicorum minimè quia omnino inuicta permanent. At inter ſe non eſt neceſſe ſimilem potentiam habere. Verum actio componentium fortè æqualis fuerit, quando ſecundum proprias doſes exhibentur integris permanentibus, eorum virtutibus, non refractis ex mixtione: vt ſi vnum eorum calefaciat corpus, alterum refrigeret: ſic enim in corpore diſpoſitio fiet media inter componentium naturas: ſi verò alterius tantum doſis augeatur, alteratio verget magis ad B naturam prædominantis. Quamuis igitur non fiat mixtio & refractio medicamentorum, alteratio tamen mixta ex vtriſque proueniet in corpus. Sed in quibus mixtio fit componentium, vt ex vino & aqua, & ijs quæ incoquũtur in liquoribus, aut quomodocumque fermentantur, & ad vnam formam reducuntur: non eſt neceſſe, vt ſecundum doſes, quibus alterant corpus noſtrum, ſimiliter alterent ſe inuicem, quemadmodum contingit in quantitate: quæ ęqualia ſunt vni tertio, æqualia ſunt inter ſe: Nam in actionibus & paſsionibus non ſimiliter contingit ob varias conditiones. Virtutem igitur, quæ inſequitur quantitatem, non poſſumus ex doſibus colligere. Doſes enim diuerſorum graduum inuentæ ſunt comparatione facta ad corpus noſtrum. At quærimus virtutem miſcibilium inter ſe ratione quantitatis, non ratione gradus. Nam alia eſt proportio graduum, alia quantitatis. Dicendum eſt igitur in corpore æquali æqualem C virtutem eſſe. Qualitates enim cum ſecundum ſe indiuiſibiles ſint, menſurari nequeunt niſi quantitate materiæ, vt tanta albedo quanta eſt ſuperficies. Hinc elementorum virtutes æquales ab Ariſtotele ponuntur, primo Meteo. cap. tertio quia conſtant ex æquali portione materiæ. Ergo omnia corpora ex æquali materia conſtantia virtutes æquales habebunt. Quantitas autem materiæ nequaquam mole menſurari poteſt, cum corpora rara magnam habeant molem, denſa autem paruam. Plus tamen materiæ eſt in denſo corpore, quam in raro, idcirco & maior virtus. Quæ igitur ęqualem habent conſiſtentiã, mole menſurari poſſunt: vt liquida multa, aut pulueres inter ſe, dummodo ſimiles ſint, aut eiuſdem generis, flores cum floribus: radices cum radicibus, ligna cum lignis metallica cum metallicis eiuſdem generis. Quæ autem diſsimilem habent conſiſtentiam, nulla alia ratione mẽſurari poſſunt, quã pondere, quod & in omnibus certiorem men-

ſuram oſtendere poteſt. Cùm enim omnia corpora, quæ hic ſunt, grauitatem habeant in aere, pondus quantitatem materiæ oſtendet. Siue enim corpus aereum ſit: vt oleum, pinguedinis: ſiue aqueũ vt ſucci, quamdiu actu frigida ſunt, grauitatẽ habent ſibi propriam. Quędam autem cum inualeſcunt, leuiora fiunt, quia in naturam ignis, aut aeris transferuntur, vt fumus & argentum viuum, quod modico calore exhalat: cum autem frigidum eſt, pondere vincit corpus quodcunque, non ſolum quia cæteris omnibus ſubſidet, excepto auro, ſed etiam quia in parua mole plus materiæ habet. Non autem eſt eadem ratio grauitatis & leuitatis, qua vnum corpus alteri ſubſidet, aut ſupernatat: ac ponderis in aere. Illa enim non materiæ quantitatem inſequitur, ſed naturam propriam, aut mixtionem: nam oporteret paruam glebam terræ in aere plus ponderis habere, quàm quodlibet pondus aquæ, aut olei. Cum igitur non ſolum corpora, quæ in aqua grauia ſunt, ſint etiam in aerem: ſed & quæ aquæ ſupernatant, vt oleoſa, & rara: pro magnitudine autem, ac paruitate omnia pondere differant: neceſſe eſt pondus quantitatem materiæ ſignificare, quemadmodum ſupernatatio, & ſubſidentia genus corporis oſtendit. Sed obiiciet quis: repugnare ſenſui ęqualem eſſe virtutem in corpore æquali. Videmus enim paucam aquam feruentem infuſam multam aliam calefacere, & modicum abſinthij multam aquam amaram reddere: & croci parum, aut cocci ſuo colore magnam molem corporum inficere, quod fieri non poſſet, ſi ęqualium corporũ ęqualis eſſet virtus: oporteret enim, ſi omne agens in agendo repatitur, ab ęquali corpore ęqualiter refrangi tum feruorẽ aquæ, tum abſinthij amaritudinem, & croci aut cocci colorem: at hoc non videmus. Præterea patet in eadem quantitate modo maiorem modo minorem virtutem eſſe, vt de Euphorbio teſtatur Galenus. Recentis enim ſufficit drachma vna ad centrum conficiendum, vetuſti autem vix ſufficiunt drachmæ duæ: exoleuit enim virtus, manente eadem quãtitate. Idem patet in ſuccis extractis: longè enim maior virtus ineſt in pauco ſucco aloes, quam in multo corpore eiuſdem: & in ſucco ſcãmonij, quàm in tota planta: & in pauca aqua ardente, quàm in multo vino. An in omnibus his maior eſt virtus ratione intenſionis, non ratione extenſionis? Pondus enim cuiuſcunque gradus in corpus ſibi ęquale ęqualiter aget, & patietur ſecundum gradus componentium: tot enim partes qualitatum vnum habet, vt alterum, quamuis differant proportione contrarietatis: vnde refractio vnius maior eſt, quàm alterius. Ad inſtantias igitur ſic reſpondetur, ſuperior gradus ob virtutis intenſionem poteſt in paruo pondere multam materiam alterare: vt aqua feruens, aut ferrum igni tum multam aquam calefacit: quo enim intenſior eſt qualitas, eo magis diffundi poteſt, & hoc modo plus materiæ alterare. Similis eſt amaritudo

Margin letters: D (beside line 1), E (beside "ſunt, ſint etiam in aerem"), F (beside "ficiendum, vetuſti autem").

A ritudo abſinthij, aut aloes : & croci, aut cocci color : cum enim in extremo ſint ſui generis ob ſaturitatem, ſummas etiam vires habẽt. Sic apud Hippocratem humores ſinceri in noſtro corpor e magis lædunt, quam mixti : excedunt enim in qualitatibus aut primis, aut ſecundis. E conuerſo gradus remiſsior, cum imbecilliores obtineat vires, minus diffundi poteſt, & pauciorem materiam alterare : citius enim in diffuſione venit ad inſenſibile. Hinc factum eſt, vt doſes medicamentorum, quæ intus aſſumuntur, maiores requirantur in inferioribus gradibus, quàm in ſuperioribus. Non enim in partes longinquas diffundi poſſunt, integris viribus, niſi doſis augeatur, quod in externis non eſt neceſſarium : vnumquodque enim medicamentum partem quam tangit, alterare poteſt ſecundum ſuum gradum : & in hoc patet, ęqualium corporum ęqualem eſſe virtutem extenſiuam. Idcirco aliquando medici immiſcent valentiora, cum volunt in profundum, & partes
B longinquas virtutem peruenire. Quamuis enim valentiora ſint, quam oporteret, hebetatur tamen eorum virtus, quo magis in longinquum diffunditur : adeo vt tãdem euaneſcat. Quod igitur dicebatur parum aquæ feruentis multam calefacere, non obſtat ijs, quæ diximus, ſi enim admiſceretur feruens cum gelida vt nix, ęquis portionibus, ad temperatum duceretur : ęquales enim eſſent gradus vtriuſque, & pondere : at ſi ſupponantur in alia proportione, variabit a medio commixtum. Quod autem de amaritudine abſinthij in aqua dicitur, & de colore valde ſaturato, animaduertendum eſt : aquam puram, & inſipidam eſſe, & ſine colore per abnegationem : non quemadmodum temperatum per participationem extremorum. Fit igitur vt aqua tanquam inſipida ſuſceptibilis ſit omnium ſaporum : vt diaphana omnium colorum abſque reſiſtentia, reſiſtit enim quod contrarium eſt, non materia : quicunque igitur ſapor, aut color in ea diffunditur quantum
C poteſt, atque in multa quantitate tandem hebetatur abſque reſiſtentia. Quod ſi in aqua præexiſteret alius ſapor contrarius, aut color : tunc pro virtute contrariorum fieret refractio, vnde à minori quantitate aquæ hebetaretur amaritudo, aut color : vt videre licet in admixtione aquæ, & vini. Aquas enim laudat Hippocrates in lib. de Ae. Aq. & loc. tanquam puriſsimas, quæ vinum modicum aptæ natæ ſunt ferre. Nam à modico vino multa aqua vinoſam qualitatem recipit. At aquæ impuriores ob prçexiſtentem alienam qualitatem in minori quantitate multum vinum hebetant. Hinc factum eſt, vt medci in compoſitione medicamentorum, quæ vires habent in ſaporibus, non conferant aquæ pondus cum reliquis medicamentis, induit enim omnium ſapores, nec affert compoſito vllam qualitatem ſenſibilem, licet omnes nimia copia diluat, atque hebetet. Ad inſtantiam de Euphorbio recenti, & vetuſto dicimus non eſſe abſurdum vetuſtate deleri

aliquas

aliquas partes calidas præſertim tenuiores, vnde reddatur frigidus: D
in quibuſdam e conuerſo, deletis partibus humidioribus frigidis vetuſtate calidiora fieri, vt vinum, & oleum. Maior igitur eſt virtus Euphorbij recentis, quia intenſior eſt gradus caliditatis. Idem dicendum de ſuccis extractis, ſeparatur enim aliquando ſubſtantia validior à totius corpulentia, veluti forma à materia: non mirum igitur in ijs in parua quantitate longe validiores vires eſſe, quam in multa totius: differunt enim intenſione. Concludere igitur licet de virtute extenſiua, ſi corpora quæ hic ſunt pondere menſurantur, æquale pondus æqualem virtutem habere, quod quærebamus. Ideoque in compoſitione medicamentorum, quæ ex mixtione refranguntur pondera hoc modo conſideranda eſſe, non ſecundum doſes, quas recentiores ſtatuerunt. Adde, ſi apud eos temperatum nō habet doſim, vt inquiunt: quomodo in compoſitione, quæ recipit temperata colligi poterit temperamentum? quaſi in compoſitione nullam habeant E
vim agendi in reliqua medicamenta, ſed tota actio cæteris tribuatur. At id verum eſſet, ſi temperata media eſſent per abnegationem, ut de aqua dictum eſt. At opponuntur vtriſque extremis tanquam contraria: agunt igitur & refrangunt quoſcumque gradus, vt patet in aqua tepida, remittit enim tam feruorem, quam frigiditatem. Præterea ſi doſes variantur pro diuerſa regione, tempore, corporis natura, & alijs prædictis, non poterit conſtitui temperamentum certum compoſitorum. Nam Theriacæ aliud erit temperamentum in regione frigida, aliud in calida, & ſic de cæteris, quod confundit omnem rationem componendi.

CAP. X.

QVONIAM vero ſæpius medicamenta compoſita non ratione vnius agunt, ſed ratione componentium, vt patet in purgantibus: & ſi enim qualitates quædam refrangantur ex mixtione, vis tamen purgandi remanet integra, & venena quamuis abſcondantur in multo ſaccharo aut vino, aut ferculis, nihil tamen patiuntur: quod & multis alijs accidere putandum eſt. Hinc Medici tutius ſecundum doſes componi medicamenta præcipiunt: nam ſaltem in corpore fit actionis quæ à ſingulis procedit, veluti mixtio, vt ſuperius diximus. His abſolutis de qualitatum, & quantitatum augmentis & decrementis, unde vires maiores & minores dicuntur, iam rationem examinandi temperamentum compoſiti perquiramus: Suppoſita igitur æqualitate virtutis aut ſecundum pondera æqualia, aut ſecundum doſes cuiuſque primas aut proportionales, videamus ad quem terminum ſinguli gradus ex cōpoſitione perueniant, quod-

que

A que reſultet temperamentum: Deinde idem perquiremus ponderibus aut doſibus inæqualibus. Si igitur ſimilia ſimilibus iungantur in eodem gradu, ſimilia fieri manifeſtum eſt, inter ſimilia enim non datur actio in quacunque proportione pondera aſſumantur. Si uero contraria contrarijs iungantur, neceſſe eſt contrarias actiones fieri æquales quidem ſi contraria in eodem gradu ſint, vt primus caliditatis cum primo frigiditatis, ſecundus cum ſecundo, & de cæteris eodem modo: neutrum enim componentium ſuperat neque in gradu neque in quantitate. Ideo temperatum conſurgere neceſſe eſt, & hoc omnes fatentur. Quod ſi componentia non in eodem gradu fuerint, cum alterum ſuperet, neceſſe eſt actiones inæquales fieri ſecundum proportionem exſuperantiæ. Quoniam vero qui hactenus de ijs ſcripſerunt, nō conueniunt in graduum proportionibus, ideo variæ quoque extant ſententiæ de temperamento, quod ex illis conſurgit: Id-
B circo ne videamur ab ijs indicta cauſa & gratis diſcedere: non inutile fuerit eorum rationes aperire. Nam Auerroes priuatim gloriatur, ſe inueniſſe breuem, expeditam & infallibilem rationem, qua gradum & terminum gradus exactè cognoſcamus compoſiti medicamenti in hunc modum. Vbi componentia fuerint oppoſitarum qualitatum, & diuerſorum graduum: gradus inferior ſemper deprimet, ſuperiorem, quantum ipſe diſtat à temperato, vt primus gradus frigiditatis, cum per vnum diſtet à temperato, deprimet quartum caliditatis ad tertium: & tertium ad ſecundum: hunc vero ad primum. Simili ratione ſecundus frigiditatis cum per duo recedat à temperato: quartum caliditatis per duos gradus deprimet ſcilicet ad ſecundum: tertium vero ad primum. Vbi autem componantur diuerſi gradus eiuſdem qualitatis, aut temperatum cum alijs gradibus, inquit: quo magis accedimus ad gradum altiorem, eo minus fieri eius depreſſio-
C nem, quia inter propinquiora minor eſt contrarietas, quam inter diſtantiora. Si igitur primus gradus frigiditatis deprimebat quartum caliditatis per vnum gradum: Temperatum eundem minus deprimet, adhuc minus primus caliditatis & deinceps. Sed aduerſus hanc ſententiam præter multas rationes ab Arnaldo allatas, illud repugnat, quod non eſt rationi conſentaneum, vt idem gradus tantum deprimat maiorem, quantum minorem: non enim eadem ſeruatur proportio inter agentia. Aut igitur difficilius eſt ſuperiorem gradum deprimere, aut inferiorem. Si quidem ſuperior maiori difficultate deprimatur, quia maior in eo eſt virtus: cum primus frigiditatis primum caliditatis ducat ad temperatum, vt omnes fatentur, quod eſt per vnum gradum deprimere: ſecundum non poterit ducere ad primum: tātō minus tertium ad ſecundum, & quartum ad tertium, vbique per vnum gradum, vt ipſe vult. Si vero difficilius eſt propinquiores

res gradus deprimere, quam diſtantiores ob maiorem contrarietatem D
in diſtantioribus, quàm in propinquioribus: primus gradus frigiditatis plus deprimet quartum caliditatis, quàm tertium, & tertium, quàm ſecundum, vbi enim eſt minor contrarietas, minor fit actio. Altera eſt ſententia Arnaldi conſtans numerorum computatione longè difficiliori, qua promittitur inueniri exactè gradum, & terminum gradus vſque ad minimum. Supponit autem eandem eſſe proportionem partium contrariarum in compoſito, quę eſt in componentibus: ideo temperamentum colligit ex proportione, quam inuenit in componentibus. Cum igitur apud ipſum primus gradus frigiditatis duas partes habeat frigidas, & vnam calidam: ſi componatur cum ſecundo gradu caliditatis, in quo ex eius poſitione inſunt partes calidæ quatuor: vna autem frigida: partes omnes calidæ in vnū contractæ erunt quinque: frigidæ autem tres: talem igitur proportionem habebit compoſitum. Sed quoniam quinque ad tres nullam proportionem E
habent ex ijs, quæ gradus integros conſtituunt apud ipſum, cogitur difficiliori ſupputatione reducere ad duplum, quæ proximè ſuperior inuenitur, dempta dimidia parte minoris numeri: ſic enim remanebunt partes frigidæ duę cum dimidio, cui numero quinque partes calidæ duplum ſunt, in qua proportione conſiſtit primus gradus caliditatis: cum autem illa pars dempta ſit quinta pars remanentis frigiditatis, vult per quintam partem deprimi ex ea compoſitione primum gradum caliditatis. Simili computatione reperit calidum in tertio iunctum cum frigido: in primo reduci infra ſecundum gradum caliditatis per tertiam partem gradus, & in cæteris eodem modo. Ex hac poſitione ſequitur diſtātiores gradus magis quidem deprimi, quam propinquiores, quod rationabile eſt. Sed excedit rationem compoſitio temperati, & ſimilium graduum cum altiori. Cum enim primus frigiditatis deprimat tertium caliditatis per vnum gradum, & tertiam F
partem. Temperatum eundem deprimet minus quam per vnum gradum ex eius ſupputatione. At inter temperatum, & primum gradum frigiditatis non eſt tanta diſtantia, vt adeo variet actionem. Nam primus frigiditatis ſecundum caliditatis deprimebat per vnum gradum, & quintam partem: tertium autem per vnam, & tertiam partem. Sic ſucceſsiuè primus caliditatis quoſcunque gradus calidiores minus deprimet quam per vnum gradum. At hæc abſurda ſunt. Experientia quoque comprobari poteſt falſitas huius poſitionis ex mixtione ęquali aquæ in vario gradu calidæ cum temperata, aut frigidiori.

CAP.

A

CAP. XI.

POSTQVAM igitur ex principijs quæ ab alijs traduntur, fallax oritur iudicium circa compoſitorum temperamentum: videamus utrum certius & clarius ex ijs quę ſuppoſuimus, tota ratio patefiat. Principium autem huius inueſtigationis eſt, quęrere, vtrum æqualis fiat refractio inter inæquales gradus: hoc enim inuento reliqua facillime innoteſcent. Videtur quidem altior gradus maiorem actionem producere quam depreſsior, quia in eo maior eſt virtus: inæqualis ergo ſemper fiet refractio. Hoc autem eſt, quod mouit authores prædictos, vt refractionem ponerent ſemper vergere ad ſuperiorem gradum, vt viſum eſt: inferior enim gradus ſemper apud eos longe plus eleuatur, quam deprimatur ſuperior.
B Verum ſi ea meminimus, quæ ſuperius de quantitatum auctione diximus: in ponderibus æqualibus, aut doſibus virtutes agendi æquari ſecundum vniuſcuiuſque gradum, patebit æquales ſemper fieri refractiones, ſiue æqualia ſiue inæqualia in gradu fuerint. Cum enim ſimile non agat in ſimile niſi ratione exceſſus, in quo eſt contrarietas: quanto maior erit exceſſus, tanto magis aget. Ergo calidum in quarto non aget in tertium ſimilem niſi ratione vnius partis, qua ſuperat tertium, vt in deſcriptione latitudinis patuit: in ſecundum autem ratione duarum: in primum ratione trium: in temperatum ratione quatuor: & deinceps in gradus oppoſitos uſque ad quartum, in quod aget ratione octo partium. Ideo maxima erit actio, quia maxima contrarietas. Idem ex aduerſo in reactione inducendum. Tertius caliditatis non aget in quartum ſimilem, niſi quia eius frigiditas, vt vnum illi opponitur: æqualis ergo erit eius
C reactio in quartum, quia vna pars frigiditatis agit in vnam caliditatis, qua gradus quartus tertium ſuperat. Idem in coniunctione cæterorum graduum intueri licet: vbique enim ęquales ſunt partes contrariæ inuicem agentes demptis ſimilibus, in quibus nulla eſt actio inuicem. Vnuſquiſque igitur gradus tantum aget in alterum, quantum ab illo patietur, & fiet temperamentum inter eos medium. Præterea cum vni extremo non ſolum alterum extremum opponatur, ſed etiam media: relata enim vni extremo alterius vicem gerunt, ſuppoſitis quantitatibus, in quibus virtutes æquentur, vt æqualiter vtræque alteram trahere in ſuam naturam poſsint, neceſſe eſt, vt quicunque gradus in ea quantitate iungantur, æqualiter refrangantur, & ad medium quod æqualiter ab ijs diſtat, veniant: opponuntur enim omnes inter ſe tanquam extrema. calidum enim in tertio frigidum eſt ad quartum gradum per unam partem frigiditatis:

tis: ſic reliqui gradus per ſuas partes. Vt igitur extrema ſimpliciter ad medium ſimpliciter veniunt: ſic extrema ſecundum relationem dicta ad eorum medium ducuntur. Idem ſignificauit Galenus primo Catage.cap.3.vbi cum calido vt quinque miſcet calidum vt tria: fieri enim, inquit, ex mixtione calidum vt quatuor, quod medium, eſt inter tria & quinque. Vbi verò ex æquali quantitate non ſperat optatum gradum, auget alterius pondus, & oppoſitum minuit, donec ad mediocritatem reducat: vt 2.Catage.2. Si cæra parum diſtat ab exſiccatione ſufficienti in cauis carne replendis: Aerugo autem multum ſuperat, parum huius multæ cæræ admiſcebimus: quantum exactum experientia docebit. Ex quibus illud etiam patet: eam proportionem, quæ eſt in componentibus ſimul ſumptis, eſſe quoque in compoſito. Si enim æqualis fiat refractio oppoſitarum qualitatum, quæ ex vtriſque demuntur, æqualia erunt: ergo quæ remanent, in eadem proportione remanebunt vt prius: ſiue æqualia ſiue inæqualia fuerint. Verbi gratia, ſi iungatur calidum in ſecundo cum frigido in ſecundo: cum in eo gradu calidi quidem ſex partes calidæ ſint, duæ frigidæ: Frigidi autem ſex frigiditatis duæ caliditatis: ſi calida calidis & frigida frigidis iungantur, erunt octo caliditatis & totidem frigiditatis, quæ proportio cum ſit æqualis, etiam in compoſito æqualiter facta refractione, erit æqualis: ergo temperatum erit conſtitutum. Si iterum calidum in tertio iungatur cum frigido in primo: ex vna parte habebimus ſeptem partes caliditatis, vnam frigiditatis: ex altera vero quinque frigiditatis tres caliditatis, vt ex latitudine graduum patet: ſimilibus igitur congregatis erunt decem caliditatis, ſex frigiditatis: at hæc proportio in compoſito ſeruanda conſtituit primum gradum caliditatis: eadem enim eſt proportio trium ad quinque, vt ſex ad decem. Quod ſi quis abſque numerorum computatione latitudinis interuallum conſpexerit, repe- riet primum gradum caliditatis æqualiter diſtare à gradibus componentibus. Eadem computandi ratio eſt & in cæteris. Verum ſicubi facta calidorum, & frigidorum computatione, nulla fiat proportio ex ijs, quæ gradum integrum cõſtituunt, neceſſario cadet inter duorum fines, qui per auctionem aut diminutionem, eam proportionem indicabunt: vt ſi calidum in ſecundo iungatur frigido in primo: erunt in hoc quidem ſex caliditatis, duæ frigiditatis: in illo autem tres caliditatis, quinque frigiditatis: ideo calida omnia nouem erunt, frigida ſeptem, quæ proportio cadit in medio primi gradus caliditatis. Nam in eo ſitu quatuor ſunt caliditatis cum dimidio, eſt enim ſupra temperatum per dimidium gradus, unde nouem erunt dimidia: frigiditatis autem tres & dimidium, vno enim dimidio vincitur à temperato: ſic ſeptem erunt dimidia: proportio igitur inuenta

A uenta eſt quam quærebamus. Idem probari poteſt per primum gradum caliditatis diminuta caliditate aucta frigiditate vtriſque per dimidium: aut vtriſque iunctis, vt caliditatis quinque, & quatuor faciunt nouem: frigiditatis tres & quatuor faciunt ſeptem: vnde arguitur in eorum medio eſſe hanc proportionem. Ex dictis igitur poſſumus hanc certam, & perpetuam regulam cenſere inueniendi gradum & terminum gradus compoſiti ex æqualibns ponderibus aut doſibus: cuiuſcunque gradus componentia fuerint. medium ſemper fieri, quod æque diſtet à gradibus componentibus: quæ res ſtatim intuitu latitudinis deſcriptæ haberi poteſt: cõprobari autem numerorum proportionibus, quas explicauimus.

CAP. XII.

B QVANTITATIBVS igitur ęqualibus, aut ſecundum pondus, aut ſecundũ doſes exiſtentibus hoc modo iudicandum videtur ſine fallacia compoſiti temperamentum. Vbi verò hæ non conueniunt, ſed altera maior, altera minor: quo pacto illud menſurare oporteat, ſolus Arnaldus aggreſſus eſt docere. Vult autem non eſſe eandem rationem, ſi augeatur pondus inferioris gradus, aut ſuperioris. Si enim pondus ſuperioris augeatur, pro quantitate auctionis, inquit, ei reſtitui de qualitate deperdita ex mixtione primorũ ponderum: vt ſi creſcat per tertiam partẽ ſui, tertiam quoque partem acquirere de gradu deperdito: ſi per duplum, dimidiam: ſic enim verba eius ſunt: ſi per triplum, ad integritatem ſuam peruenire, deleri autem omnino oppoſitam virtutem: vnde vniuerſalem medicorum regulam tradit. Vbi temperamentum deprimitur per alterius admixtionem, recuperare quantum amiſerit, ſi tripletur in pondere. Si verò
C augeatur põdus inferioris gradus, longè maiori multiplicatione opus eſſe, vt deleto oppoſito ad ſuam integritatem perueniat: prius enim duci oportere gradum oppoſitum ad temperatum, quod fieri inquit, toties aucta prima quantitate, quoties oppoſita qualitas minorem ſuperat, vt ſi primus gradus frigiditatis miſcetur cum quarto caliditatis, cum per quindecim partes ſuperet, vt eius calculatio docet, per quindecim vices augeri oportere pondus primi gradus, vt ad temperatum ducatur. Si cum tertio caliditatis, per ſeptem vices; ſi cum ſecundo per triplum: & in cæteris eodem modo. Poſtquam autem gradum ſuperiorem hoc modo ad temperatũ duxerit, iterum per ſuperiorem regulam triplicato pondere ducit ad integritatem. Verum quæ ratio eſt, vt per triplum pondus potius, quàm per aliam multiplicationem recuperetur maioris gradus integritas? Si enim tantum recuperatur de qualitate, quantum ponderis additur, vt tertia pars amiſſæ qualita-

tis

tis reſpondeat tertiæ parti ponderis, integrum pondus additum, integram qualitatem amiſſam recuperabit. Quod ſi hoc non fiat, cur potius triplicato pondere id accidit, quàm quadruplicato, aut pluries multiplicato? Quod verò vult vnumquodque pondus inferioris gradus deprimere vnam partem qualitatis ſuperantis, nec ſuis dictis conſentit, nec rationi: repugnat enim ſcientiæ proximè dictæ: deinde non cuiuſcunque gradus pondus proprium ęqualem addit qualitatem, ſed diuerſam pro graduum differentia: ergo nec ęqualem oppoſitam ſemper deprimit, vt eius ratio ſupponit. Alia igitur ratione inquirendum eſt compoſiti temperamentum, vbi inæqualia ſunt pondera. Eſt autem longè facilior ac certior doctrina, ſuppoſitis ijs, quæ ſuperius in ponderibus ęqualibus, aut doſibus demonſtrauimus. Nam ſi ęqualibus exiſtentibus in virtute ponderibus ad medium fiebat reductio, neceſſe eſt altero ſuperante ad eius temperamentum magis vergere, idque plus, aut minus ſecundum exceſſus quantitatem. Menſura igitur exceſſus in pondere menſurabit quantitatem acceſſionis ad proprium gradum: Et quemadmodum ponderibus ęqualibus diuidebatur interuallum in duas partes ęquales, ſic altero duplicato, diuidetur in duas inæquales, quarum vna dupla ſit ad alteram, & in termino diuiſionis conſtituetur gradus compoſiti. Si triplicetur pondus, vna pars interualli tripla erit ad alteram: & tandem quoties multiplicabitur, toties pars interualli ad alteram ſe habebit. Eodem modo ſi pondus augeatur per dimidium, tres partes interualli hinc, duæ illinc erunt: ſi per tertiam partem, quatuor ab vna parte, tres ab altera: ſi per quartam, quinque ab vna, quatuor ab altera, & ſic deinceps. Cum autem ex multiplicatione ponderum interualli diuiſio venerit ad partes inſenſibiles, non eſt neceſſe alterius pondus augere, adderetur enim ſimile ſimili. Erit autem inſenſibilis interualli pars, cum fuerit minor tertia parte gradus: vnuſquiſque enim gradus ad minimum diuiditur in tres partes: ſi ergo ex diuiſione interualli, relinquatur ab vna parte particula minor minima ſenſibili, inſenſibilis erit, nec à proximo termino ſeiungenda. Tunc igitur oppoſitam qualitatem omnino deletam dicemus, alteram verò reſtitutam ad ſuam integritatem. Quod aliquando pluribus, aliquando paucioribus ponderum augmentis fit, prout propinquiores, aut diſtantiores inter ſe gradus fuerint, qui miſcentur. Citius enim primus gradus temperatum in ſui naturam vertit, quàm ſecundus, aut diſtantior, quia citius per diuiſionem interualli peruenitur ad inſenſibile. Ex quibus colligitur maximam requiri ponderum multiplicationem, vbi oppoſita in quarto gradu coniunguntur: minimam vbi finitimi gradus componuntur, ſufficit autem in his ponderis triplicatio: cum enim æquis ponderibus ad mediam partem gradus ducantur: ſi al-

terum

A terum duplicetur, ducetur ad primam partem gradus, duæ enim reli quæ partes duplæ ſunt: ſi triplicetur, venietur ad particulam inſenſibilem. Non ſolum autem ex diuiſione interualli colligi poteſt terminus gradus compoſiti, ſed etiam ex numerorum collatione in hunc modum. Cum vnuſquiſque gradus tres habeat partes, vt dictum eſt: diuidatur tota latitudo contrarietatis in 24. partes, vt in medio ſint 12. partes vtriuſque contrarij, in extremis vtriſque 24. ſingulis graduum partibus vnitatem addendo ac detrahendo, vt in figura patet.



Componatur igitur quartus gradus caliditatis cum quarto frigiditatis: æqualibus quidem ponderibus temperatum fieri oſtenſum eſt ſuperius: Si autem pondus calidi augeatur, vt duplum ſit ad pondus frigidi: erunt partes calidæ 48. frigidæ autem 24. At hæc proportio reperitur in prima parte ſecundi gradus calidi: vt enim ſe habet 8. ad 16. ſic 24. ad 48. Interualli quoque pars dupla eſt ad alteram, ab vna enim parte octo ſunt, ab altera ſexdecim. Iterum ſi triplicetur pondus calidi, erunt partes calidæ 72. frigidæ 24. quæ proportio tri-
C pla eſt, & reperitur in ſecundo gradu calidi, vt enim ſe habet 6. ad 18. ſic 24. ad 72. Componatur præterea tertius gradus caliditatis cũ ſecundo frigiditatis, ſiquidem ponderibus æqualibus oſtenſum eſt ad medium eorum peruenire, quod eſt in media parte primi gradus calidi. Si vero duplicetur pondus calidi, partes calidæ tertij gradus erunt 42. frigidæ 6. Secundi autem gradus frigidi partes frigidæ ſunt 18. calidæ 6. Si igitur calidæ calidis & frigidæ frigidis congregentur, erunt calidæ 48. frigidæ 24. quæ proportio dupla eſt, & reperitur in prima parte ſecundi gradus calidi, in qua ſunt 16. caliditatis & 8. frigiditatis. Iterum quadruplicetur idem pondus, erunt eius partes calidæ 84. frigidæ 12. Si iungantur cum partibus ſecundi gradus frigidi, erunt omnes calidæ 90. frigidæ autem 30. quæ proportio tripla reperitur in ſecundo gradu calidi: quadrupla autem eſt, conſiderato

interuallo, quod eſt inter tertium gradum calidi & ſecundum frigidi. Iterum in eadem compoſitione augeatur pondus ſecundi gradus frigiditatis per dimidium : erunt eius partes frigidæ 27. calidæ 9. Tertij autem gradus caliditatis partes calidæ 21. frigidæ 3. conſurgent igitur omnes partes calidæ 30. frigidæ 30. quæ proportio æqualis eſt temperatum conſtituens. Interualli autem proportio ſexquialtera, vt ſe habet ſex ad nouem. Idem in cæteris gradibus & ponderibus inducere licet. Vbi igitur contraria in mixtionem ueniunt, hoc modo menſurare licet miſcibilium vires, & refractiones. Aliam vero menſuram poſcere videntur, quæ ſecundum habitum & priuationem opponuntur : vt ſapores cum inſipidis, odores cum inodoris : & colores cum ijs quæ omni colore carent. Suppoſita enim materia ſingulorum generum receptiua cum ea recipiat abſque reſiſtentia contrarij, priuatio enim vt priuatio non agit : quodammodo in immenſum à parua quantitate patitur. Patet id in medicamentis quæ ad piſces obſtupefaciendos in flumine diſſoluuntur, nam exiguum eorum pondus in longinquum vim ſuam diffundit : ſimiliter odores in aere aut aqua. Modicum enim Moſchi aut Ambræ ingentem copiam aliorum corporum ſuo odore inficit. Colores quoque idem præſtant in Diaphano puriſsimo ab alijs coloribus nequaquam infecto. Ineſt tamen & in ijs determinata virtus, vt tantus color in tantum diffundi poſsit, ſimiliter & odor & ſapor : Si quæ autem menſura afferri poſsit, ea fuerit quæ inter denſiſsimum elementum terræ eſt, & rariſsimum ignis : materia enim communis non patitur maiorem condenſationem quam terræ, neque maiorem rarefactionem quam ignis : quorum proportio creditur ea eſſe, quæ tangitur ab Ariſtotele. primo Meteo. vt ſi ex vno pugillo terræ fiant decem aquæ : centum aeris, mille ignis. Sed hæc non pertinent ad noſtrum inſtitutum. De ratione igitur cognoſcendi temperamentum compoſiti, vbi duo tantum in mixtionem venerint, hæc ſatis.

CAP. XIII.

QVONIAM vero ſæpe fit, vt plura ac diuerſa ſimul componantur, relinquitur explicandum, quo pacto omnia in vnũ colligenda vt ſine errore totius temperamentum perpendatur. Vbi igitur plura componentia conuenerint in eodem gradu, facilis eſt computatio, ex omnibus enim ponderibus ſimul collectis vna fit quantitas in eodem gradu : quæ cum alijs conferenda erit. Vbi uerò diuerſi fuerint gradus, prius oportebit ex pluribus vnum facere,

A facere, & ſenſim ad minorem numerum reducere, donec ad binarium peruenerimus, & tandem duo hæc conferre & vnum facere. Quod ut commodius fiat, digerenda prius ſunt in vnum omnia calida ſingulorum graduum ſeorſum: deinde omnia frigida ſeorſum, & ſi quæ temperata ſunt ſimiliter ſeorſum: deinde propinquiores gradus comparandi: tandem vna miſcella alteri miſcellæ comparanda, ac ſi eſſent ſimplicia. Collectio autem plurium eiuſdem qualitatis commodius fit incipiendo á minoribus ponderibus. Quod ſi in compoſito ingrediatur aliquid, quod in multa quantitate alia excedit, vt in Electuarijs Mel aut ſaccharum, illud vltimo loco comparandum cum aliorum omnium miſcella. Illud præterea notandum, ſi quæ ſimplicia præparatione egent ante compoſitionem, in examine conſideranda eſſe vt præparata; tum in gradu, tum in quantitate: quæ præparatio aliquando perfi-
B citur ante mixtionem, ut mellis de ſpumatio in electuarijs: aliquando poſt, ut in decoctione aut fermentatione. Sic vinum in Theriaca humidiorem circa principia reddit, poſtea eo expirante ſicciorem.

CAP. XIIII.

HIs autem viſis illud quoque adiungendum: quo pacto pondus primum quam doſim appellant, cõpoſiti medicamenti cognoſcamus. Animaduertere igitur oportet, in quocumque pondere compoſiti ineſt integra doſis alicuius ſimplicis, maius eſſe quam oportet: excedit enim propter aliorum componentium quantitates. Minores ergo eſſe ſimplicium doſes oportet in pondere compoſiti. Nec mirum videri debet, ſi minores ſimplicium
C doſes opus ſuum præſtent: nam ſimul iunctæ ſeinuicem adiuuant, cum ſeiunctim agere non poſſent: & ex duobus dimidijs vnum fit integrum: ſiue ex tribus tertijs, ſiue quatuor quartis, alijſque huiuſmodi portionibus. Eſt autem vniuerſalis regula, vt tantum exhibeamus de compoſito, quantum æquiualeat vni doſi ſimplicium. Videatur igitur totum compoſitum ex quot doſibus ſimplicium conſtat: Nam compoſitum in tot partes diuidendum erit, quæ ſunt doſes propriæ. Sed quia in primis qualitatibus, ſi non multum exceſſerint, non curamus medicamentorum pondera: & ſi enim doſim excedant, non lædunt, aut parum: Idcirco exempla ponemus in ijs quæ excedũt in viribus, vt in ijs quæ recipiunt opium aut cętera obſtupefacientia, uel calidiſsima, aut deleteria: aut purgantia. Si enim certa menſura eorum tranſcendatur, manifeſtè lædunt, & quando-

que interficiunt. Diligenter igitur eorum pondera ſunt perpendenda. Cum igitur excedentia in qualitatibus primis quæ ſcilicet attingunt quartum gradum, corrumpant membrum, cui applicantur, idque in ſua doſi prima efficiant, nempè in pondere drachmæ vnius: numquam intra exhibenda ſunt in eo pondere, interficerent enim: vt Opium, Anacardi, Euphorbium, Cantharides: ſed ex eorum primis ponderibus tantum detrahendum, donec corrumpere non poſsint, ſed præſtent quod quærimus ſine læſione: aut ſomnum aut purgationem, aut aliam alterationem. Pondus verò hoc, quo primum hæc præſtent, propriam hoc loco appellamus doſim. Hanc igitur dicimus in compoſiti pondere non debere excedere. Si ergo vnum tantum ex his in compoſito recipiatur, vt opium ſolum, ea erit doſis compoſiti, in qua fuerit integra doſis opij. Sin duo fuerint aut plura huius naturæ, vt Opium, Mandragoras, Hyoſcyamus, nullius iſtorum doſis integra quærenda in compoſiti doſi, maior enim eſſet, quam oporteat, propter reliquorum duorum adiunctionem: ſed ad illud pondus ducenda eſt doſis compoſiti, quæ æquipolleat doſi vnius ſimplicis, vt verbi gratia ſingulorum trium pars tertia recipiatur: ſic enim vna integra erit. Idem & in medicamentis purgantibus dicendum. Si enim ex purgantibus vnum tantum recipiatur, vt Scammonium, ea compoſiti quantitas exhibenda eſt, in qua integra Scammonij doſis reperiatur. Si uerò duo: efficiendum, vt ex ijs duobus vna fiat integra, ſiue æqualia ea recipiantur, ſiue inæqualia. Verbi gratia, ſi Caſſiæ doſis integra eſt drachmæ 12. Rhabarbari autem drachmæ duę. In compoſitione recipiemus Caſsiæ quidem drachmas ſex, Rhabarbari drachmam vnam: conſtat enim ex dimidia vtriuſque doſi. Aut Caſsiæ vncia vna, Rhabarbari Scrupuli duo, quæ tertia pars addita duabus tertijs Caſsiæ. Aut Caſsiæ vncia dimidia Rhabarbari Scrupuli quatuor: ex omnibus enim his vna integra fit doſis. Idem obſeruandum ſi plura recipiantur: vbique enim compoſiti vna integra eſt doſis, quæ reſultat ex partibus ſimplicium. Sed quoniam lenitiua, vt Caſsia, Manna Tamarindi mediocres habent vires, & mitigant vehementiam reliquorum purgantium, in mixtione non ſequetur læſio euidens ſi eorum doſis augeatur. Qua autem ratione huiuſmodi pondus in compoſito reperiatur, hoc modo facilè ſuccedit. Menſuretur tota maſſa compoſiti, quanti ponderis ſit: deinde conſiderentur pōdera ſinguloȓū purgantiū, quæ ingrediuntur, quot doſes conſtituant ſingula per ſe ipſa: Poſtea ſecundum numerū doſium omnium purgantium ſimpliciū ſimul collectarum diuidemus totum compoſitum in totidem partes, ſingulæ enim vnam integram

doſim

A doſim ex pluribus conſtantem continent. De ratione igitur inuenien di temperamentum in ſingulis compoſitis medicamentis, & quo pa-cto eorum doſes inueſtigare oporteat, hæc dicta ſint.

CAP. XV.

MEDICAMENTORVM facultates non ſolum compoſitione, ſed & præparatione quacumque immutantur. Conſiſtit autem præparatio aut in ſeparatione partium quarumdam, aut in alteratione: ſi qua enim per additionem fiat, pertinet ad compoſitionem. Separantur partes inutiles ab ijs quæ expetuntur, non ſolum cum emundantur à ſuperfluis, quæ manifeſta ſunt, vt fructus à corticibus: ſed etiam cum intimius partes ab inuicem ſeparantur, vt in ablutione calcis, cinerum, & omnium rerum aduſtarum, aufertur B enim ex ijs ignis veſtigium, quod in aqua ſolutum eam quidem reddit calidam, nempè ſalſam, aut nitroſam, aut amaram: corpus autem ablutum frigidius eſt redditum. Abluuntur & pinguia, vt oleum, pinguedines, reſinæ, pix, cæra, & tandem quæcumque non adhærent aquæ 2. Simpl. 15. vt quod in illis acre eſt & mordax, auferatur. Hæc enim modicè calfacta, & in aqua diutius agitata deponunt huiuſmodi ſubſtantiam. Oportet autem ſæpius priori effuſa, aliam addere, donec guſtu ſatisfeciſſe cognouerimus. Abluuntur & terrarum genera, & lapides, & Metallica multa optimè trita ob eandem cauſam affuſa aqua fontali, donec nihil innatet: colligitur autem id quod reſidet tenue ab harenulis ſeparatum; quod ſuccedet, ſi antequam reſideat tenuis pars, traſfundatur, remanent enim harenulæ ſeparatæ. Cum autem reſederit pars tenuis, ſeparata aqua exſiccatur. Non poſſunt autem ablui, quæ ſeparari ab aqua nequeunt, huiuſmodi ſunt C quæcumque ſoluta non reſident, vt ſucci, & genera ſalium: aqua enim ab ijs ſeparari nequit, niſi igne aut ſole ſiccetur: at hoc modo ſolutio & congelatio dicitur, non ablutio. Dicitur quoque ablutio, cum ex corporibus ſalitis ſal extrahitur: & ex oliuis immaturis ſuccus amarus, quod & in Lupinorum dulcoratione efficitur, & alijs ſimilibus. Tandem per ablutionem huiuſmodi ſubſtantia tollitur, quæ ſolui in aqua poteſt: maximè autem ſoluuntur, quæ à calido & ſicco paſſa ſunt, atque attenuata, vt ſapores acres, amari, & ſalſi. Ideo ablutio in ijs tantum quæritur, vt deperdita mordacitate, medicamenta reddantur mitiora. Vt autem per ablutionem aufertur id quod tenuius eſt & calidius, ſeruatur autem pars craſsior & frigidior: Sic per ſolutionem oppoſito modo materiam tenuem & calidam à craſsitie corporis ſeparatam colligimus, vt lixiuium ex cineribus & calce. Hu-

ius generis eſt infuſio quam præcipuè Medici in medicamentis pur- D
gantibus efficiunt, vt eorum calidiorem ſubſtantiam ac tenuiorem ſeligant, in qua ſita eſt magis uis purgandi: nam ex Rhabarburo, Roſis, Sena, Mirabolanis ſuccus quidam amarus & acris per infuſionem ſoluitur & ſeparatur à terreſtri ſubſtantia, in qua magis aſtrictio reperitur: idem contingit in Abſinthij infuſione. Quoniam autem vis purgandi in calida materia conſiſtit: ideo efficacior præſtatur purgatio ex infuſione quam ex tota ſubſtantia, dummodo quantitas ſufficiens in humore fuerit ſoluta: Expetimus tamen aliquando in medicamentis aſtrictionem vel ad robur, vel ad mitigandam purgantis vehementiam. Quæ igitur partes ablutione & ſolutione ſeparentur, palam eſt. Alius eſt modus ſeparationis per ſucci extractionem, quæ enim humore abundant non glutinoſo, vt herbæ pleræque virentes, ſola expreſsione poſt contuſionem ſuccum ſuum effundunt. Quæ autem eundem glutinoſum habent, vt Scylla, Cępa, Malua, Portulaca, E
Citri aciditas, ſine ope ignis attenuantis & fundentis eum non reddunt. Herbas igitur huiuſmodi contuſas leuiter calefaciunt, ſic enim facillimè ſuccum exprimunt. Scyllam paſta inuolutam in furno coquunt, inde ſuccum extrahunt: Citri aciditas, vt Meſues iubet, contuſa & ad tertias decocta, ſponte ſine expreſsione claram aciditatem fundit: noſtri tamen Pharmacopolæ alia ratione ſuccum hunc quærunt, putrefacientes in loco humido donec contabeſcat. Olei quoque genera ob quandam viſcoſitatem præcalfactione egent, vt extrahantur. Habentur autem ex pinguibus fructibus ac ſeminibus: vt oliuis, Amygdalis, Nucibus, Seſama, lini ſemine, ſinapi & alijs quam plurimis: fermè enim omnia ſemina pinguedinem quandam continent, ſed prædicta copioſam. Egent autem omnia contritione, madefactione, & calefactione: vt oleum exprimatur: Saltem vapor aquę calidæ ſufficit: adhibetur autem aqua aut vapor, ne oleum exuratur. F
Decoquitur etiam fructus in aqua, vt oleum ſupernatet, quomodo ex baccis Lauri colligitur. Eſt & tertium quoddam genus ſucci nō pinguis, ſed craſsi & tenacis, quam Muccilaginem vocant, Extrahitur hæc ex quorumdam ſeminum corticibus, vt Fenogræci, Lini, Pſillij, Citoniorum, & ex radicibus quibuſdam, vt Altheæ Maluæ, Centaureæ maioris, Conſolidæ & alijs: at non ſine ope aquæ calidæ fundentis: Oportet autem per noctem in quadruplo aquæ calidæ madefacere, vt poſtridie iterum calefacta exprimantur. Recipiuntur autem in emplaſtra & cataplaſmata ad maturandum & poros infarciendos, & in Eclegmata ad tuſsim & arteriæ aſperitatem læuigandam. Pro colla etiam inſeruiunt: nam exſiccatæ valde tenaces fiunt, vt Tragacantha: Huius generis videtur eſſe Ictiocolla, & Gluten Taurinum, & quod
ex

A ex pelle arietina habetur ad rupta. Robuſtiſsimum autem ex cornibus: ſed hæc non niſi decoctione habentur, eaque diuturna, de qua inferius dicemus. Ex quibuſdam ſponte fluit ſuccus inciſa radice aut caule aut ramis, aut fructibus, quæ lachrymæ vocantur, vt ex Tithimalis, Ferulis, Papauere, Arboribus reſiniferis aut ferentibus Gummi. Differunt autem, quia illa quidem oleoſa ſunt & pinguia, vt reſinæ: hæc vero aquea, vt Gummi: Et quædam permanent liquida, vt Balſamum, oleum Abietinum: Quædam ſponte condenſantur, vt Opium, Maſtix. Eſt autem omnis ſuccus, ſeu lachryma tenuior & humidior pars corporis: Quamuis enim poſtea addenſetur, facile tamen ſoluitur & liqueſcit aut aqua, vt Gummi & herbarum ſucci: aut oleo vt reſinæ. Quod nequaquam contingit in craſsiori ſubſtantia, ex qua abſceſſerunt. Vt autem purior ſuccus habeatur, varijs artificijs clarificatur. Aut enim per linteum transfunditur, aut licio penicil-
B lo, quod Filtrum vocant, abſorbetur, vt in ipſum prius aſcendat, deinde per prolabentem eius caudam extra vas clarus deſcendat. Quod enim ſuo pondere deſcendit, reliquum per idem penicillum trahit. Alio modo ſeparatur ſuccorum turbulentia albumine oui conquaſſato: concreſcens enim aut ad ignem aut ſponte, omnem craſsitiem ſecum rapit. Hoc modo quidam vina conturbata clarificant, & Pharmacopolæ non ſolum ſerapia, ſed etiam potiones omnes turbidas. Succi recentes ſola excalfactione in ſpumam amittunt omnem turbulentiam. Aquæ cænoſæ præcalfactæ, dein refrigeratæ deponunt terream ſubſtantiam, quod in coctione aquæ Galenus adnotauit 4. in 6. Epid. 9. Nam quæcumque ex diuerſæ naturæ materijs conſtant, per minutas particulas mixtione conflata, hæc poſt calefactionem refrigeſcentia facile diſſoluuntur, ſed ſtatim ab elixatione antequam refrigeretur, adhuc motione agitatur, atque ideo omnes eius particulæ per-
C miſtæ ſunt, ſed ea refrigerata graues ac terreæ fundum petunt, leues ſupernatant. Si huiuſmodi aquæ ante refrigerationem bibantur, deponunt craſsitiem in corporis meatibus, vnde calculi gignuntur. Nam & in vaſis, in quibus coquuntur, ac refrigerantur, videmus ſordes & cruſtas ex aquæ craſsitie ortas inhærere. Hanc expurgationem adiuuant calculi impoſiti, trahunt enim ad ſe terream ſubſtantiam, nullam qualitatem aquæ interim communicantes. Optimè igitur faciunt, qui harenis craſsioribus vaſa ſubſternunt, in quibus aqua munda ſeruatur.

CAP. XVI.

DVos modos hactenus explicauimus, quibus medicamentorum vires à terreſtri corpulentia ſeparantur, nempe ſolutionem in aqua: & ſucci extractionem: vtrique autem abſque manifeſta alteratione perficiuntur: Idcirco integras vires conſeruant minimè alteratas. Alij porrò ſunt modi ſeparationis per decoctionem, & diſtillationem, ſeu ſublimationem, qui non ſine manifeſta alteratione per ignem perficiuntur. Ideo multorum vires immutantur, quædam deperduntur, quædam maiorem efficaciam acquirunt. Nam decoctio, quæ in aqua fit, quam elixationem vocant, liquefaciendo & attenuando ſoluit ſolidum corpus in ſuccum: non æquè autem ſoluuntur partes tenues, & craſſæ, duræ ac molles. Ideo terreſtria corpora inſolubilia nihil momentaneum deponunt. Tantum ſi igniantur, deinde extinguantur in aqua, relinquunt aliquid in ea ob vim ignitionis rarefacientis: Hoc modo aquam calybeatam faciunt, aut extinctis calculis, ad exſiccandum & aſtringendum: Sic ex auro & argento ignito & extincto aliquid eorum naturæ aquæ communicatur. At inter metallica, quæcumque aeream ſubſtantiam participant, vt ſulphur, bitumina: & quæ à calido & ſicco attenuata fuere, vt ſales, Alumina, Chalcanthi genera per decoctionem vel etiam abſque decoctione deponunt in aqua multam ſubſtantiam. Poſt Metallica ſequuntur dura corpora animalium & plantarum, vt oſſa, ligna: quæ per decoctionem non molleſcunt, transfundunt tamen aliquem ſuccum, ſi diutius in aqua madeſcant, & vehementiori igne coquantur: vt in ligno guaiacco in tenuia ramenta comminuto faciunt. Poſt ligna ſuccedunt radices duriores, & ſurculi aridi, & tandem herbæ ſiccæ, niſi enim prius per infuſionem madeſcant, non elixantur. Idem contemplari licet in ſeminibus durioribus. Quo igitur corpora molliora ſunt, eo breuiorem elixationem poſtulant: Nam flores breuiſsimam ſuſtinent, alioqui euaneſcit eorum virtus: poſt flores ſunt herbæ molliores, & virentes, & fructus molles, & cætera ſecundum eandem rationem. In decoctione præterea quorumdam vires abolentur, vt facultas purgandi & aromatum odor: cum enim in valde tenui ſubſtantia conſiſtant, in igne facile comburuntur, aut euaneſcunt: quædam tamen magis, quædam minus decoctionem ſuſtinent: Rhabarbarum nullam: Polypodium longiorem quam reliqua purgantia. Facultas vero aſtringens longiori decoctione eget, quia in ſubſtantia terrena & craſſa magis conſiſtit. Hinc fit, vt quorundam primæ decoctiones aluum moueant,

poſte-

A poſteriores vero abiectis primis aſtringant, vt in braſsica & lente: prius enim ſoluitur pars tenuior, deinde craſsior. Quanto autem decoctio diuturnior eſt, ac vehementiori igne perficitur: eo magis ſuccus à natura ſua alteratur, vt frigidior ad dulcedinem tendat, dulcis ad ſalſedinem & amaritudinem. Mitior autem ignis & breuis decoctio vires medicamentorum minus commutat à natura ſua, ſed pauciorem ſuccum educit, eumque tenuiſsimum. Ideo vt aqua reddatur ſucco grauida, oportet multum corporis in ea decoquere, & materiam ſæpius adiungere, vt infuſionibus roſarum ac violarum fit. Et ne ignis vehementia vires corrumpat: vas in quo decoctio fit per medium aquæ calorem ſuſcipiat, qui modus coquendi, in balneo vocatur, quia vas aquæ innatat vt in balneo. Idem faciet, ſi vas per canalem vaporem ſuſcipiat aquæ feruentis. Sed in hac re opportunum videtur Hippocratis artificium notare, quo vtitur in aquæ elixatione 4. in

B 6. Epid. 9. vbi inquit. Aqua decocta tum quidem vt aerem recipiat, tum vero ne plenum ſit, & operculum habeat. Quem locum & ſi Galenus varie exponat, hoc modo intelligendum puto. Vt aqua dum coquitur aerem admittat, non vaſe aperto, ſed clauſo ac ſemipleno. Facit enim aer intercluſus, vt vapores ſuſcipiat, qui in decoctione eleuantur: operculum autem addit, ne detur egreſſus vaporibus, ſed per latera vaſis refrigerati deſcendant: ſic enim veluti circulatio fit, continuè ſurſum aſcendente materia, in vapores, & deorſum deſcendente in aquam. Quod ſi extra euolare poſſent vapores, duo incommoda ſequerentur: vnum quod materiæ quæ coquitur, multum euaneſceret: alterum quod id tantum relinqueretur, quod craſsius eſt, & grauius, vt teſtatur Ariſtoteles ſecundo Meteo. 2. de ſalſedine maris. Quod enim à caliditate ſurſum ducitur, ſubtiliſsimum eſt & dulciſsimum, relinquitur autem quod craſsius eſt & ſal-

C ſum. Optimè igitur faciunt, qui vaſis vitreis aut fictilibus vitro oblitis ſemiplenis obſtructo orificio, aut operculo concauo ſuperpoſito, vt eius os alteri intromittatur, rimis clauſis decoquunt aut aquam ſimplicem vt purior ac tenuior reddatur, aut medicamenta diuerſa ad potus ægrotantium. Proportio autem medicamentorum ad aquam ſecundum hunc modum, ſatis eſt vt medicamenta ſub aqua lateant: at vaſe tranſpirante neceſſe eſt multo copioſiorem aquam eſſe, quia abſumitur in vapores aliquando ad tertias, aliquando ad dimidium aut amplius pro diuturniore aut breuiore decoctione. Si autem nihil momentaneum tranſpiret: eadem fermè remanet aquæ quantitas, quæ intromiſſa eſt, aliquando amplior ex acceſsione ſucci herbarum decoctarum. Immo vbi herbæ virentes coquuntur, ſi ijs impleatur vas, nihil obeſt, dummodo aqua non pertranſeat va-

ſis dimidium. Nam vapore calido herbæ contabeſcunt in ſuccum, etiam ſi non immergantur: qua decoctione aqua longè magis grauida redditur ob materiæ multitudinem. At vero vbi maiori igne opus eſt ad ſucci liquationem, vt in decoctione lignorum, vas non ſuper aquam ſed ſuper cineres imponendum, cui ignis ſubijcitur: quo caſu ampliorem oportet eſſe vaſis partem inanem, ne multitudo vaporis præ anguſtia illud diſrumpat. Vbique autem obſeruandum, ne pars inanis tangatur ab igne, ſed in aere frigido ſit: vt inibi vapores in aquam condenſentur. Sed vbi res decoquuntur, vt corpus quod incoquitur habeatur præparatum abiecta decoctione, vt in viperarum decoctione fit, vaſe aperto fieri debet. D

CAP. XVII.

SVCCI omnes ſeu per expreſsionem extracti, ſeu in aqua ſoluti infuſione aut decoctione, poſſunt incraſſari ſuperfluo humore exſiccato. Sic ex lixiuio quocumque fiunt ſales & nitra. Ex muſto vſque ad mellis craſsitiem percocto, fit ſapa: ſimiliter ex ſuccis multorum fructuum ad eandem conſiſtentiam coctis parantur quæ Arabes appellant Rob. Ex herbarum aut radicum ſuccis ad duriorem conſiſtentiam addenſatis paſtilli fiunt, vt Opium, Lycium, Glycirrhizæ & Abſinthij ſuccus & alia multa. Inſpiſſantur autem ſucci aut ad ſolem, aut lento igne, ne vires medicamentorum alterentur. Meſues etiam ex purgantibus medicamentis ſuccum extrahit, vt ex Rhabarbaro, Mirabolanis, quos extollit: ſed per infuſionem tantum ſuccos eos extrahit, quos lentiſsimo igne inſpiſſat, ne vis purgandi aboleatur. Quidam eo artificio ex radicibus Ellebori nigri ſuccum extrahunt, qui ciceris magnitudine hauſtus addito Maſtiche purgat ſine noxa. Inuenta eſt autem ſuccorum inſpiſſatio, vt diutius abſque putredine ſeruari poſsint. Nam ex tempore poſſunt humores ſolui & propinari, aut in catapotia formari ac deuorari, cum opportunum fuerit. Docuit Dioſcorides rationem extrahendi & præparandi ſuccos ex quacumque planta ſatis apertè in Gentiana & Centaurio minore. Sed hodie nouo introducto præparationis genere, ſuccorum ratio in paucis quibuſdam ſeruatur. Vt enim ſucci à putredine defendantur, ſimul & inſuauitas quæ in pleriſque eſt, dulcedine mitigetur, addunt ſaccharum aut mel, iterum coquentes, donec ſuperflua humiditate conſumpta medicamentum ad liquidi mellis conſiſtentiam redigatur: appellantes Serapià & Zulapia, ſeu Syruppos & Iuleppos, qui ex ſaccharo parantur: qui vero ex melle, mellis genus ab ingrediente medicamento denominatum, vt Rhodomel E F

ideſt

A ideſt mel roſaceum: Oxymel ab aceto dictum & alia huiuſmodi. Sed hæc ad compoſitionem pertinent, non ad ſolam ſimplicium præparationem. Longè autem vtilius eſt, recenti ſucco aut infuſione, aut decoctione vti quam inueteratis: quando haberi poſſunt: vt faciebat Galenus incoquens in Mulſa aut Origanum, aut Thymum, aut Serpyllum, cum potum ægrotantibus parabat ad incidendum, aut quid aliud præſtandum. Mulſa autem vtebatur nunc meraciori nunc magis aquoſa, nunc crudiori, nunc magis percocta ob vim mellis, quæ non omnibus confert, vt in biliofis & febribus exurentibus. Idem de ſaccharo dicendum quamuis melle ſit mitius & ſuauius. At in Syruppis qui in officinis aſſeruantur, mel & ſaccharum eadem menſura & coctione recipiuntur. Sæpe autem vis medicamenti omnino aboleuit aut igne, aut uetuſtate. Nam medicamenta refrigerantia per coctionem amittunt aliquid de virtute refrigerante, quod ſi eam
B habeant in ſubſtantia aquoſa, vt Genera Intubi, Lactuca: exſiccata humiditate omnino vim eam deperdunt. Ideo inutile eſt huiuſmodi ſuccos inſpiſſare, aut in Syruppis decoquere, ſed ſatius eſt recentibus vti. Illud argumento eſt: Nam ſi herbas aut radices Intubi, Lactucæ, Portulacæ ac cæterarum huiuſmodi exſiccare nitamur, omnino ſaporem proprium amittunt, & in fimum conuertuntur: hoc non contingit in Abſinthio, Thymo, Origano, & cæteris acribus & amaris aut acerbis: nam ſiccata pleraque retinent ſapores ſuos, ideo vtilia ſunt. Si igitur ſucci ex his colligantur, inſpiſſenturque vt decet, conſeruari poſſunt diutius: quamquam fortè quidam in ſuo corpore melius conſeruentur, quam ſeparati. Quoniam vero nimis operoſum eſt, ex tempore, vbi multitudo eſt ægrotantium medicamenta præparare, ideo coguntur Medici copiam præparatorum habere, aut ſuccis addenſatis aut medicamentis melle vel ſaccharo exceptis, vt
C ſunt Syruppi, Condita, Eclegmata, Electuaria: aut alio quocumque liquore, vt Trochiſci, Pilulæ; Adde quod longè commodius eſt in parua mole medicamentorum vires collectas tū reponere, tum aſportare, quam in multa materia inutili. Quanto enim commodius eſſet ex ligno Guaiacco eo artificio, vt dictum eſt, extrahere & perficere, vt cum opus eſſet, liquore tantum dilueretur, quam ingentia ligni pondera tractare?

CAP. XVIII.

RELINQVITVR modus ſeparationis per ignem ſolum, quę diſtillatio & ſublimatio vocatur. Diſtillationem vocant, cum materia per ignem aut ſolem feruentem euaporans, ex loco refrigerationis deſcendit conuerſa in liquorem. Sublimatio au-

tem

tem propriè vocatur, cum materia exhalans adhæret ſuperioribus partibus vaſis ſicca, vt fuligo in caminis. Inuenta eſt autem hæc ars à Chimiſtis ſperantibus ex huiuſmodi ſeparatione elementa cuiuſque corporis adeo depurare, vt amplius non putreſcant: Experimento enim compertum eſt, aquas diſtillatas diutius perſeuerare incorruptas, quam ſuccos, & quo magis depuratæ ſunt, eo magis conſeruari. Quærunt autem diuerſos liquores diſtillatos & pulueres ſublimatos, & cineres, vt perpetuam tincturam inducant in metallis auream aut argenteam: quo fine fruſtrati tranſtulerunt in Medicinam. Laticem ſuum celebrantes immunem ab omni putredine, qui Elixir ab ipſis vocatur, & Quinta eſſentia, ad omnes morbos etiam incurabiles, vt promittunt, ſanandos. Sed videamus quid in diſtillatione & ſublimatione medicamenta patiantur: hinc enim patere poſſit, quæ vtilitas ex hac arte in Medicina præſtetur. Primum igitur ex omni corpore calefacto euaporat id quod tenuius eſt aereum & aqueum: E procedente tempore & aucto igne euaporant partes craſsiores terræ magis hærentes. In quibus igitur ineſt multum aereæ naturæ cum aquea ſubſtantia, vt in vino, liquor primo diſtillans aereus eſt, tenuiſsimus, & combuſtilis, quæ aqua ardens vocatur: cui ſuccedit aqueus ſine viribus & in magna copia. Si vero quis eius fęces ingenti igne cogat aſcendere, colliget liquorem terreum, cui vis ineſt ignea ob vehementem alterationem ab igne factam, vt contingit calci & omnibus corporibus aduſtis. Solus igitur primus liquor retinet vini aliquas facultates, ſpirituoſam ſcilicet ſubſtantiam odoratam à reliquo corpore ſeparatam, quæ multas vtilitates afferre poteſt: nam citiſsime omnium peruadit ad intima corporis, ſubſtantia affinis naturæ humanæ ſpiritus reficiens & calefaciens, non tamen relinquens impreſsionem caliditatis ob maximam tenuitatem. Ideo ſi frigidis iungatur, etiam refrigerationem adiuuat ob penetrationem & vehiculum. F In Roſis quoque ineſt aliqua pars aerea odorata, quæ exit cum aqua in diſtillatione, ſed hæc ob paucitatem ſubſtantiæ aereæ non calefacit, ſed refrigerat ratione humoris aquei. Quamuis autem vinum aſtringens ſit, & Roſæ tum aſtringentes tum amaræ, hæ tamen facultates non tranſeunt in aquam diſtillatam, ſed permanent cum fęcibus in vaſe ob terream naturam. Pauci autem ſunt flores odorati, qui per diſtillationem aquam reddant odoratam, vel quia ob exilitatem odoris, prius exhalet pars odorata, quam aqua aſcendat, ideo deperditur, vt in viola: aut quia vim ignis ſubleuantis ferre non poſſunt, vt pleraque aromata, vritur enim exhalatio, cum ab humore non defenditur. Idcirco ex viridi Cinnamomo aqua odoratiſsima elicitur in India: ex ſicco autem apud nos tunc haberi poteſt, cum

additur

A additur aqua, aut quod melius eſt: ſi vaporem aquæ recipiat in ſuperiori vaſe, quod Elambic vocant: ſoluitur enim pars ignea atque odorata ab aſcendente vapore in aquam. Quibus autem pars aerea viſcoſa ineſt, difficilius attollitur: hæret enim magis corpori: ſed vna cum humore aqueo eleuata, humor quidem aqueus in aquam tranſit, aerea vero ſubſtantia in oleum, quod aquæ ſupernatat: vt contingit in diſtillatione ſpicæ lauendulæ: calamenti cum ſemine, aniſi: ineſt enim in eorum ſeminibus ſubſtantia oleoſa. Quod ſi ſemina ſicca ſint, prius aqua madefacere oportet, ne comburatur pars illa aerea. Olea vero per diſtillationem habita longè tenuiora ſunt & calidiora, quam quæ per expreſsionem. Diſtillantur etiam olea per expreſsionem habita, & reſinæ, & Pix, Cera & pinguedinis, vt eorum pars tenuior ſeparetur à craſsitie: ſed magna difficultate. Nam ob viſcoſitatē ſeparari partes ab inuicem non poſſunt: ſed aut tota
B ſubſtantia ſurſum aſcendit ſpumans, aut tota remanet in fundo vaſis: niſi artificium adhibeatur. Eſt autem neceſſe admiſcere aliqua corpora, quæ retineant eorum craſsitiem, vt marmor tritum, aut harenas, aut vitrum comminutum: præterea aquam aut liquorem attenuantem & incidentem, qui ſimul ab aduſtione defendat, & euaporationem adiuuet. Hoc modo ex Cera & reſinis oleum tenuiſsimum & calidum diſtillatur ad affectus neruorum efficaciſsimum Balſamo æquiparandum. Meſues docet ex oleo communi, quod ab ignitis laterculis, cum in eo extinguuntur, abſorbetur, deinde confractis iiſdem & in diſtillatorio conditis, acerrimam ſubſtantiam elicere æquipollentem Naphthæ. Sunt qui ex lapidibus Bituminoſis & ex Electro ſine vlla admixtione ſimile oleum eliciant, cuius guttæ duæ aut tres cum iuſculo aut aqua plantaginis potæ ſanguinis ſputum aut vndecumque emanantem compeſcunt:
C tenuitas enim vim bituminis glutinātem citro ducit in profundum: ſed ob caliditatem nocet febricitantibus. Apud Dioſcoridem videtur diſtillandi ratio aliquo modo nota fuiſſe, in oleo Picino, quod Piſſeleon vocat: colligit enim ex Pice liquida, cum percoquitur in picem ſiccam, velleribus ſupra poſitis halitus recipientibus. Simili modo è Cedria oleum Cedrinum fieri teſtatur. Ad ſimilem diſtillationem reduci poſſe videtur confectio olei ex lignis Iuniperi, licet vapor in ea non aſcendat, prohibetur enim aſcenſus à ſuperpoſito vaſe, cui materiam continenti admouetur ignis; ideo cogitur deorſum in ſubiectum vas deſcendere. Eodem artificio quidam etiam aquas diſtillant paruo negocio, linteolum matulæ ſuperponentes, ſuper linteolum autem flores diſtillandos, quibus tectorium imponunt ignem ſuſtinens, recurrit enim vapor inferius ad matulam:

niſi

niſi pateat egreſſus per rimam, qua tectorium matulæ iungitur. Neceſſarius autem eſt huiuſmodi modus per deſcenſum, cum liquores craſsiores diſtillandi, qui difficilius aſcendunt. Picis confectio eſt diſtillatio quædam per deſcenſum: fluit enim liquor admodum craſſus ex ſtue thedarum conciſarum obſtructis optimè extrinſecus ſpiraculis, ne detur exitus fumo: nam periret opus picis, vt Theophraſtus tradit 9.de Hiſt.pl.3. Hæc omnia ab igne conceperunt maiorem vim calefaciendi & ſiccandi, quam prius, ſimul & colorem tendentem ad igneum & nigrum, quod vſtionem ſignificat. Lachrymæ enim ſponte fluentes aut albidæ ſunt, aut flaueſcentes: quę autem igne parantur ad fuluum vergunt, vt Balſamum occidentale, aut ad nigrum, vt Pix. Fortè & ſtacte Myrrhæ eodem artificio diſtillationis parabatur ex pingui Myrrha. Nam græcè ſtacte guttam ſignificat & ſtillam, vnde diſtillatio deriuata eſt, vt apud Actuarium & Aetium Rhodoſtagma, & Intuboſtagma, & Rhodoſtactum ſignificant aquam ſtillatitiam Roſarum & Intubi. Oleum quoque ſtyracinum ſimili modo ex ſtyrace aut eius ſurculis fieri putandum eſt, quamuis & per decoctionem, vt quidam referunt, haberi poſsit, inſtar olei laurini aquæ ſupernatantis. D E

CAP. XIX.

RETINENT autem priſtinas vires aquæ diſtillatæ tum quę aeream cōtinent ſubſtantiam vt odorata & acria, tum quæ aquoſam. Aerea enim ſubſtantia facillimè aſcendit, ſed tamen igne ſuperante eius naturam facillimè euaneſcit, vt Chamæmeli, Fœniculi, Saluiæ, Betonicæ, Calamenti, Hyſſopi: Ideo has melius eſt in Balneo diſtillare. Quæ autem in humore aqueo ſuas vires habent, minus ab igne patiuntur, ideo ſatis retinent facultatem refrigerandi & humectandi: vt Lactuca, Intubus, Plantago, Solanum, dummodo in diſtillatione non totus humor colligatur: nam qui poſterius aſcendit vſtionem, & fumum corporis ſiccati redolet. Huiuſmodi aquæ in febribus putridis meliores ſunt, quam decoctiones & ſucci: non enim putreſcunt. Similiter quæ temperata ſunt, ſeu dulcia, vt Bugloſſa: ſeu ſiccitatem quandam tenuem participant, vt Capillus veneris, Agrimonia, eandem facultatem ſeruant in aqua diſtillata. At ſapor amarus & aſtringens minimè tranſit in diſtillatione: terrea enim ſubſtantia remanet cum fæcibus. Eſt tamen modus vt ex Abſinthio amara aqua diſtilletur: at non aſtringens, terreſtrior enim eſt hic ſapor. Si prius Abſinthium contuſum irroretur aqua aut vino, madefiatque per aliquot dies: F

diſtil-

A diſtillabitur enim per balneum aqua amara & odore proprio. Idem obſeruandum in aridorum diſtillatione, vt ſunt Aromata: niſi enim prius maduerint, non euaporant, ſed potius comburuntur. Si quis vero cupiat humorem terreſtrem elicere, non niſi ingenti igne & breuiori vaſe habebit: non enim altè aſcendere poteſt ob grauitatem: præcipuè id quæritur ex Metallicis, vt Alumine, Chalcantho, Stibio, Salibus: à quibus extrahitur aqua acerrima, & igne aucto liquor craſsior colore fuluo, quod oleum vocant, non tamen eſt oleum, quia non ardet, ſed comburit vt ignis. Oleum hoc colligi nequit, ſine igne ardentiſsimo, & niſi vaſa omnino nihil tranſpirent: Ideo ſolum vitrum materia apta eſt: ex quo cucurbitas faciunt luto oblitas, vt flammam ſuſtinere poſsint, & collo inclinato, vt fumi deſcendant in aliam cucurbitam ampliorem rimis optimè clauſis: Eget autem continua refrigeratione vas recipiens,

B vt fumi in liquorem conuertantur. Ex Chalcantho priuatim id genus olei quæritur, cauſticum ad Gangrænas ſiſtendas: Audent quidam etiam intus exhibere guttam vnam aut duas cum iuſculo ad putredines internas malignas in Peſte. Quamuis autem Chalcanthum acerbiſsimum habeat ſaporem, nec tamen eius oleum nec aqua acerba eſt, ſed acris: igne enim conuertitur in acredinē, quæ aliquid aciditatis habere videtur: quaſi acidum fiat ex acerbi ſolutione, vt in quibuſdam fructibus patet. Qui igitur ſapores in aquas diſtillatas tranſeant, qui non, explicatum eſt. Ex quibus colligere licet, ſi quis egeat omnibus facultatibus, quæ in medicamento ſunt, nequaquam ei opus eſſe diſtillatis vti, ſed longè melior erit ſuccus aut decoctio. Si enim exempli gratia Cicorium febribus ex obſtructione ſit commodum, quia ſuo humore aqueo refrigerat & humectat, amaritudine autem abſtergit. Et Abſinthium aſtrictione & amari-

C tudine ſimul corroborat & abſtergit: profectò aqua diſtillata non præſtat hæc omnia. Idem in cæteris contemplari licet. Cum verò aquas diſtillatas eligimus, cauere oportet, ne in vaſis plumbeis, vt ſolent, confectæ ſint: abradunt enim aliquid Ceruſſæ, quæ internis partibus inimica eſt, ac venenoſa: maximè autem eam rapiunt aquę acriores & acidæ: Purgari tamen poſſunt in ſole iterum percoctæ, donec aliena reſideant, & percolentur: ſic enim & minus putreſcunt. Species quædam diſtillationis eſt, cum aqua non in aliud vas recipiens colligitur, ſed iterum deſcendit, vnde egreſſa eſt, ac veluti per circulum ſæpius aſcendit ac deſcendit: in qua operatione ſoluuntur magis partes corporis in liquorem craſsiorem veluti ſuccum. Hoc modo ex floribus Roriſmarini quidam ſuccum colligunt ad viſum clarificandum efficaciſsimum: & ex herba Verbenaca ad Strumas

mas

mas diſſoluendas : ſed ne vires ab igne corrumpantur, hoc opus in D
Sole æſtiuo perficiunt, in vaſe vitreo optimè obſtructo : vbi radiorum Solis viget reflexio. Hæc de diſtillatione dicta ſint.

C A P. XX.

SVBLIMATIO autem in ijs tantum quæritur, quæ in fumum attolluntur ſiccum, vt quæcumque in fuliginem tranſeunt. Huiuſmodi eſt apud Dioſcoridem fuligo Thuris, & picis, & reſinarum, Accenſis enim glebis fumus operculo fornicato exceptus in fuliginem tranſiens hæret. At in Pice liquida ſupponitur Lucerna cum Ellychnio vt ardeat : oportet autem operculum aqua frigida aſsiduè refrigerare, vt fuligo addenſata hæreat. Redduntur hac præparatione medicamenta ſicciora & terrea : exhalatio enim omnis refrigerata in terram conuertitur : ſed propter v- E
ſtionem retinent aliquid caliditatis, ideo pleræque fuligines amarę : parum autem quid retinent de qualitate corporis, vnde abſceſſerunt, vt teſtatur Galenus. Metallica quoque ſuam fuliginem reddunt longè diuerſam. Nam in fornacibus, quibus excoquitur æs aut argentum, corpuſcula aſcendunt non nigra vt in reſinis, ſed luteo colore, aut candicante, aut uario : hæc ſuperioribus fornacis lateribus cohærentia concreſcunt in Cadmiam : ſimiliter ex Pyrite vſto gignitur, vt teſtatur Dioſcorides. Ex Cadmia vero ſola aut cum ære ſublimata fit Pompholyx & Spodium : nam partes leuiores & candidiores in Pompholygem tranſeunt, grauiores autem & nigriores in Spodium. Quæ omnia corpora terrea ſunt, caliditatem quandam ex uſtione retinentia, ſed ſi abluantur, illam exuunt, & ſiccant ſine morſu. Ex ſulphure autem, ſi lucernis cum Ellychnio comburatur, vt in pice liquida fit, ſuperpoſito vitreo operculo for- F
nicato & multum concauo, fuligo aſcendens in puluerem candicantem colligitur, qui in loco frigido ſoluitur in liquorem acerrimum, quod oleum ſulphuris vocant, iiſdem facultatibus, vt oleum Chalcanthi. Nam fuligo hæc maximè attenuata, inſtar fęcis vini combuſtæ facillimè ſoluitur humido, vt ſolus aer ſufficiat ad ſoluendum. Diſtillat enim quandoque liquor ex operculi lateribus, dum ſulphuris flammam aſcendentem ſuſcipit, cum eius copia affuerit. Sublimantur etiam abſque combuſtione metallica, quibus aerea ſubſtantia ineſt exhalabilis, ut ſulphur, Auripigmentum, argentum viuum, & quædam genera ſalium. Verum vt in diſtillatione oleorum dictum eſt, niſi admiſceantur corpora, quæ fęces retineant in fundo, tota ſubſtantia aſcendit nequaquam depurgata. Ex argento viuo

A to viuo cum ſale Ammonicaco factitio ſublimatur ſubſtantia candida veluti ſaccharum, quod vulgo ſublimatum vocatur, venenum acerrimè corrodens: ex hac enim præparatione calorem ac tenuitatem acquiſiuit ſupra naturam propriam. Nam & ſi in ſua natura caliditatem habeat erodentem, vt teſtatur Dioſcorides & Galenus, tamen ob denſitatem difficile reducitur ad actum, ideo interim refrigerat partes, quibus applicatur: vnde à quibuſdam eius temperamentum frigidum putatum eſt: Sed hoc modo ſublimatum raritatem acquiſiuit ſimul, & acceſsionem caliditatis externæ. Auripigmentum quoque in eodem genere eſt, ſed ob ſubſtantiam inflammabilem minus denſum apparet: ideo in ſui natura magis erodit & putrefacit, quam argentum viuum: adhuc magis ſubſtantia, quæ ex eius glebis excoquitur in Riſagallum, quæ eſt purior Auripigmenti pars ſeparata à terra, & lapidoſa ſubſtantia. Quod autem ab eo ſu-
B blimatur candidum Arſenicum vocatur, aliquando Criſtalli modo pellucidum, cui efficacior vis ineſt quam in argento viuo ſublimato. Sulphur mitiſsimum inter omnia hæc, & ſi caliditatem habeat accedentem ad quartum gradum: neque enim putrefacit in ſua natura, neque ſi ſublimetur. Si autem cum argento viuo excoquatur, conficitur Cinnabari factitium, quod inter corrodentia reponitur. Inter metallica inflammabilia ſunt etiam genera Bituminis, quę adhuc mitiora ſunt quam ſulphur: accedunt enim ad naturam Picis: ideo eorum pinguedo in oleum ſublimatur, non in puluerem. Sublimatio igitur corporum ſeparat partes exhalabiles, attenuat, & caliditatem auget. Quod ſi hæc fiat per combuſtionem, immutat naturam corporum in terream ſubſtantiam cum quodam ignis veſtigio.

C

CAP. XXI.

SEPARATIS omnibus partibus exhalabilibus aut vaporoſis à corporibus, quod remanet exuſtum eſt. Quæritur autem aliquando vſtio in medicamentis ob quaſdam vtilitates. At quæ vtilitas remanere poſsit, cum ignis mixtionem deuaſtauerit? præſertim ſi in cinerem conuerterit? Reſpondet Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem in confectione ſalis Theriaci: multa ignis commercio reddi meliora, cum latens ipſorum natura in apertum editur: Nonnulla etiam ad quem volumus vſum commoda reddi. Quod hinc patet: Nonnulla enim vires nouas per ignem acquirunt, vt ſpongiæ combuſtæ cinis, qui ſanguinis fluxionem potenter ſiſtit. Calx ex combuſtione vim vrendi acquiſiuit. Non-

nulla per ignem mitiora fiunt, & ſic vſui magis commoda, vt Chalcitis, quæ cruda quidem excitat cruſtas, vſta autem cicatricem vlceribus inducit. Sic lapis Phrigius: ſic Viperæ crudæ vim tabificam poſſident ac naturæ inimicam, vſtæ autem commodæ fiunt ad multa. Et tandem vniuerſaliter teſtatur 4. & 9. Simpl. Acria omnia per vſtionem acrimoniam deponere ac miteſcere, vt Chalcitis, Myſi, Melantheria, Chalcanthum Aerugo. Quæ autem non erant acria, ab igne acrimoniam aſſumere, vt Calx, & omnia genera cinerum: quæ tamen acrimonia facilè deponatur per ablutionem. Vſtionis autem terminus non vnus eſt. Quædam enim leuiter torrentur, non expectantibus vt vertantur in carbones, vt Rhabarbarum & Mirabolani, cum vim purgatoriam minuere cupimus relicta virtute aſtringendi. Similiter friguntur ſemina multa, vt Melanthij, Viticis, Lini, Naſturtij, Cumini, vt deleatur humiditas quædam excrementitia, quæ caput replet. Modus eſt, vt ſuper teſtam igneam aut in clibano ſæpius verſentur, donec ſicca appareant. Chalcitis Chalcanthum, Alumen torrentur, donec bullare deſinant, aut colorem floridum acquirant, vt docet Dioſcorides in Chalciti. Quædam amplius vruntur, quouſque iam flammam tenuem emittant poſt fumoſam multam exhalationem: non tamen expectandum, vt à flamma abſumantur: Sic Viperæ, Hirundines, Ranæ, Cicadæ, Erinaceus, Lepus cum ſuo ſanguine & pelle ad calculum frangendum: Cancri & alia multa: terminus enim vſtionis eſt, vt puluerari poſsint: quod præſtatur cum ferè in carbones redacta fuerint. Alia tamdiu vri præcipiuntur, donec in cinerem redigantur, vt in Antiſpodijs docet Dioſcorides: incluſa materia vrenda in fictili: vruntur hoc modo plantarum partes. Apud Galenum omnis cinis partes quaſdam terrenas habet, quaſdam quaſi fuliginoſas tenues & calidas, quæ in aqua per ablutionem depoſitæ lixiuium faciunt: relinquitur autem pars terrea frigida & ſicca. Retinet præterea aliquas conditiones materiæ, quæ combuſta eſt. Ex aſtringentibus enim, vt Robore, Ilice, Fago, Lentiſco, & huiuſmodi non mediocris facultas aſtringendi relinquitur. Ex Ficu autem, & Tithimalis vrendi magis & abſtergendi. Vruntur quoque lapides & Metalla, ſed difficilius, quia minus habent de ſubſtantia cremabili. Qui cremantur, in calcem conuertuntur, cui ineſt vis vrendi vehemens. Qui in igne non cremantur, vt ſilices & Gemmæ, diſſolui poſſunt ignitione & extinctione in aqua ſæpius, vt in Cadmia docet Dioſcorides, ſed in ea extinguenda vinum aſſumit aut acetum: ſic enim in puluerem optimè læuigari poſſunt: qua præparatione non multum immutatur natura medicamentorum, ſed tantum attenuationem acquirunt, quam in col-

lyrijs

A lyrijs requirimus, vt nulla omnino relinquatur aſperitas. Vruntur Metalla, vt operi commoda reddantur: non enim in puluerem teri poſſunt, niſi vrantur, aut alia ratione diſſoluantur. Docet autem Dioſcorides in Aere & Plumbo: laminis interpoſito ſulphure, aut ſale, aut vtriſque, aut alumine: in fictili crudo obſtructo, quod in fornacibus tam diu moretur donec fictile percoquatur: Quamuis etiam per ſe vri poſsint, ſed difficilius. Poſtquam vſta fuerint, egent ablutione, vt ab aliena caliditate & excrementis exuantur. Sulphur enim adiuuat vſtionem ſubſtantia cremabili, Sales & Alumina erodunt metalla. Quod animaduertentes Chimiſtæ aquas acutas ex ſalibus & huiuſmodi per diſtillationem parant, quibus breuiſsimo tempore metallum quoduis corrodunt in ſimilitudinem calcis: Etiã argentum viuum per eaſdem aquas in puluerem conuertunt, qui igne ſiccatus rubens fit, Præcipitatum vocant, ad cruſtas in vlceri-
B bus malignis excitandas. Vis etiam aceti metalla corrodit conuertens in rubiginem: aut demerſa in eo ſcobe, aut laminis ſuſpenſis vt vaporem aceti ſentiant. Sic enim ex ære fit ærugo viridi colore: Ex Ferro Rubigo colore ſubrubente, quod Crocum ferri vocant: Ex Plumbo & Stamno Ceruſſa colore candido: Aurum & Argentum nullam rubiginem contrahunt, aut admodum exiguam colore cæruleo. Eadem reſiſtunt omni vi ignis: ſolum per aquas acutas ſolui poſſunt, aut per argentum viuum in ſimilitudinem calcis, quæ in igne fundente coit iterum in aurum & argentum, nulla ponderis diminutione. Quod indicat eorum temperamentum immutabile eſſe. Reliquorum metallorum calces ſeu rubigines facultatem mordentem ex huiuſmodi præparatione adepta ſunt. Ideo lotione egent: Sic Squamæ & Scoriæ: recrementa enim ſunt metallorũ combuſtorum. Gemmæ quoque non minus quam aurum & argentum
C incorruptibiles videntur, nam ab igne non incinerantur, nec à ſuccis corroduntur. Si vero in puluerem quoquo modo redactæ fuerint, iterum in igne fuſionis coeunt in corpus tranſlucidum, ſi tamen aliqua adiungantur, quæ fuſionem adiuuent, vt nitrum, quo vitra conficiuntur, aut plumbum vſtum, Sandyx. Præparantur quoque Metallica diuturna contritione cum aceto in ſole æſtiuo, vt docet Galenus 2. Catage. 2. redduntur enim tenuiora & efficaciora, & morſu carentia. Quæ præparatio ſimilis eſt vſtioni, ſed non relinquit igneam qualitatem.

D

CAP. XXII.

ALTERANTVR medicamentorum facultates non ſolum per ſe in igne, dum elixantur, aut torrentur, aut vruntur, vt explicatum eſt, ſed etiam dum cum alijs concoquuntur: Hoc enim modo inuicem miſcentur refractis miſcibilium qualitatibus in vnam naturam mediam, quantum ab arte fieri poteſt. Patiuntur autem id non omnia, neque quomodocumque componantur. Quæ enim immutabilem naturam habent, componi quidem in puluerem inpalpabilem poſſunt, miſceri autẽ nequaquam. Quin fortè nulla arida inuicem miſcibilia ſunt: niſi enim ſoluantur, vt vnum corpus continuum fiat, permanent ſingula corpuſcula integra. Igitur ſine humore impoſsibile eſt miſtionem fieri. Miſcentur autem facillimè humor cum humore, non tamen quolibet, ſed aqueus cum aqueo: pinguis cum pingui: Metallicus cum metallico, vt argentum viuum & metalla fuſa inuicem, cum alijs autem nullis. Similis affinitas eſt inter arida & humores: non enim quælibet eodem humore ſoluuntur, ſed quædam ſe habent, vt ſal & Gummi ad aquam: quædam vt ſulphur & reſinæ ad oleum: quædam nullo humore ſoluuntur, ideo neque glutinantur, vt harenæ, niſi in igne fuſionis liquentur in vitri naturam: Quędam ſecundum aliquas partes ſolui poſſunt, vt quæ per elixationem deponunt aliquid. In his igitur aridorum inter ſe humore mediante miſtio fieri poteſt. Partes enim communi humore ſolutæ conuenire in vnum poſſunt, vt etiam ſiccato humore corpus conſtet, neque diſſoluantur partes. Ob duplicem autem naturam humoris nempe aquei & oleoſi duo genera ſumma compoſitionum apud Medicos reperiuntur. Quædam enim melle aut ſaccharo diſſoluto, aut alijs huiuſmodi ſuccis excipiuntur, præcipuè pro internis, vt Syruppi, Electuaria, Eclegmata, condita: Confectiones ſolidæ, Trochiſci, & Pilulæ. Quædam oleis, reſinis, Cæra, Pinguedinibus, Medullis & alijs eiuſdem generis, pro externis partibus, quia hærent, vt vnguenta, Cerata, Emplaſtra, & ſimilia. Sed quoniam in vtroque genere aliquando expetuntur, quæ alterius generis ſunt, vt in Emplaſtris Gummi, & in Electuarijs Reſinæ, quæ cum cæteris ſine artificio vniri nequeunt: inueſtiganda eſt ratio, ſi quæ eſt, qua coire in vnum poſsint. Profectò niſi aliquod medium adhibeatur, quod conueniat cum vtriſque, nequaquam inuicem copulari poſsint: Medium autem id, erit aridum, quod ſui natura bibit humiduu vtriuſque generis huiuſmodi ſunt, quæ miſtam habent naturam terrei ſapidi quod cum humore aqueo

E

F

conuenit,

A conuenit, & pinguis, quod cum oleo: neque enim ſales cum oleo, neque Pix cum aqua conueniunt: ſed plantarum partes aridæ & pleraque metallica cum vtriſque. Si igitur puluere huiuſmodi irrigentur alternatim modo humoribus, modo pinguibus adiuuante contritione & modica calefactione, ſaltem ne congelaſcant, fiet commoda permiſtio. Oportet autem in humore prius ſoluere quæ ſolubilia ſunt, & in oleo quæ liquabilia ſunt, liquare: dein pulueres irrigare prius quidem humore ſimpliciori, deinde ſoluta & liquata alternatim inſtillare, donec tota compoſitio abſoluatur. Artificium huiuſmodi aliqua ex parte uidere eſt apud Galenum in confectione Theriacæ primo de Antid. 15. Vino enim quæ ſolubilia ſunt ſoluit, & Therebinthinam per ſe liquat antequam permiſceat cum pulueribus. In Emplaſtris vero conficiendis quorum materia ex oleo, cera, reſinis, & cæteris pinguibus conſtat: arida quidem excipi poſB ſunt, vel dum liquata ſunt, ſi apta nata ſint cum ijs liquari, vt Lithargyrus, Ceruſſa, Aerugo, ſed adiecto humore vt aqua aut aceto aut vino, quod ſolutionem adiuuat, abſcedit autem dum coquitur, vel refrigerato emplaſtro & deraſo adduntur arida, vt per contuſionem miſceantur: ſic enim medicamenta non vruntur. Quod ſi Gummi recipiant, vt Galbanum, Hammoniacum & huiuſmodi, ſoluta in aliquo humore vltimo loco addenda & contundenda: ſic enim non proueniunt Encerides, ideſt grummi non permixti cum reliquis, vt tradit Galenus 2.Catage.2. Alioqui ſi liquefacto emplaſtro adderentur, nequaquam permiſcerentur, & grummoſa compoſitio euaderet, quod & ſæpe in commixtione aridorum contingit: nam pulueres non facile humiditatem glutinoſam bibunt: facilius autem à tenacitate emplaſtri refrigerati diuiduntur in totam eius ſubſtantiam contuſione & contrectatione diuturna. Aridorum igitur commi-

C ſtio ſeu per humorem aquoſum ſeu pinguem, ſeu per vtrumque hoc modo fieri deprehenditur. Alterantur quoque tum ſucci tum olea, tum ſolida corpora aliorum vires induendo abſque materia ſenſibili. Id præcipue in oleis patet: Cum enim eorum ſubſtantia impermiſcibilis ſit cum ſuccis, recipit tamen ab ijs & odores & ſapores relicto corpore. Sic enim varia oleorum genera parantur aut ſuccis expreſsis, aut recentibus floribus, folijs, fructibus, germinibusq́; per ſe infuſis, aut addita aqua, vbi arida fuerint quæ adiunguntur, vt aromata, quæ ad lentum ignem aut ad ſolem tamdiu decoquuntur, donec humor adiectus abſumatur: nam vel minimum eius ſi relinqueretur, oleum corrumperet, vt teſtatur Dioſcorides in Roſaceo: oleumque ab inditis medicamentis expreſſum colligitur. Hoc modo etiam in emplaſtro Phœnicino Galeni, quod Diapalma vocatur, ra-

mulus

mulus palmeus recens, eiusque ramenta incoquuntur, vt ſuccum D ſuum communicent. Vina quoque medicata non abſimili ratione perficiuntur, muſto iniectis medicamentis, vt proprio feruore concoquantur: ſeparentur autem, cum vinum clarum fuerit: quamuis liceat in quocumque vino infundere, aut ad ignem incoquere, quod & in aqua & alijs ſuccis fit. Solida autem corpora aut comminuta in puluerem irrigatione diuerſarum aquarum aut ſuccorum, ſępius in ſole, vt ſiccentur, vires eorum contrahunt, quam nutritionem vocant, opus ablutioni contrarium. Quomodo igitur medicamentorum facultates & ſecundum naturam inexiſtentes, & pro varia præparatione & mixtione ortas conſiderare liceat, explicatum eſt.

De Medicament. Facultatib. Finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE